Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Joannis Joviani Pontiani, viri clarissimi, qui unus ex multis seculis veram prudentiam cum summa eloquentia iunxisse videtur, Opera quae soluta oratione composuit, omnia, in tomos tres digesta ...

https://hdl.handle.net/1874/398504

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

PONTANI

OPERA.

III.

B. oct.
57



95 i PONTANI · PARS 3ª



57

Miscellanea Litteraria

Octavo nº. 57.

B. oct.
57

Ad nonã. Psalm. lxxix.

Ad vesp.

Ad benedictus. Ps. lxxxvi.

Ad magnificat. Ps. cxviii.

N. 1097. aa.

N 122. B.

IOANNIS IO

VIANI PONTANI, LIBRORVM omnium, quos soluta oratione composuit, Tomus

TERTIVS

IN QVO

Centum PTOLEMAEI sententiæ, à PONTANO è Græco in Latinum translatæ, atq; expositæ.

Eiusdem PONTANI de rebus cœlestibus Libri XIIII.

De Luna, Liber imperfectus.

BASILEAE,
M. D. XXXVIII.



donatione Hub. a Buchel.

CAPITVM LIBRORVM QVI IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTVR, INDEX.

SENTENTIARVM PTOLEMAEI LIB. I.

PROOEMIVM. Pag. 1

Sententia
I. 2
II. 6
III. 18
IIII. 9
V. 11
VI. 13
VII. 16
VIII. 19
IX. 20
X. 22
XI. 24
XII. 25
XIII. 26
XIIII. 28
XV. 30
XVI. 31
XVII. 33
XVIII. 34
XIX. 35
XX. 35
XXI. 36
XXII. 37
XXIII. 38
XXIIII. 41
XXV. 43
XXVI. 44
XXVII. 46
XXVIII. 48
XXIX. 50
XXX. 57
XXXI. 58
XXXII. 60
Sententia
XXXIII. 61
XXXIIII. 62
XXXV. 64
XXXVI. 66
XXXVII. 67
XXXVIII. 69
XXXIX. 72
XL. 73
XLI. 74
XLII. 76
XLIII. 77
XLIIII. 78
XLV. 79
XLVI. 80
XLVII. 82
XLVIII. 82
XLIX. 84
L. 85

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM. Pag. 88
LI. 91
LII. 95
LIII. 98
LIIII. 99
LV. 101
LVI. 013
LVII. 104
LVIII. 104
LIX. 106
LX. 107
LXI. 109
LXII. 109

Sen-

Sententia
LXIII. 112
LXIIII. 113
LXV. 114
LXVI. 115
LXVII. 117
LXVIII. 118
LXIX. 119
LXX. 119
LXXI. 122
LXXII. 124
LXXIII. 125
LXXIIII. 127
LXXV. 128
LXXVI. 128
LXXVII. 129
LXXVIII. 131
LXXIX. 134
LXXX. 135
LXXXI. 136

Sententia
LXXXII. 538
LXXXIII. 140
LXXXIIII. 141
LXXXV. 142
LXXXVI. 143
LXXXVII. 145
LXXXVIII. 146
LXXXIX. 148
XC. 148
XCI. 152
XCII. 152
XCIII. 153
XCIIII. 156
XCV. 157
XCVI. 158
XCVII. 159
XCVIII. 160
XCIX. 161
C. 163

DE REBVS COELESTIBVS LIB. I.

PROOEMIVM. Pag. 1
Cur ab Ariete sit principium Zodiaci. Cap. I. 6
De duodecim Signis in triginta gradus singillatim distributis. II. 7
De qualitatibus duodecim signorum. III. 8
De signis masculinis seu fœmininis. IIII. 10
De signis Aequinoctialibus, Cardinalibus, & Solstitialibus. V. 11
De signis mobilibus, fixis, & communibus. VI. 12
De Planetarum domibus. VII. 13
De domibus Veneris. VIII. 15
De domibus Iouis. IX. 18
De domibus Martis & Saturni. X. 18
De Mercurij domibus. XI. 20
Quòd domorum constitutio sibi maximè consentiat. XII. 21
De altitudinibus Planetarum. XIII. 22
De Aspectibus & Configurationibus. XIIII. 25
De Aspectibus beneficis & maleficis. XV. 27
De signis auersis & disiunctis. XVI. 28
De inæqualitate dierum & noctium secundum climata. XVII. 29
De signis obliquis aut rectis. XVIII. 30
De signis præcipientibus & obedientibus. XIX. 31

De Antiſcijs & gradibus ſibi reſpondentibus, & ſignis euidentibus XX. 33
De ſignis alienis & inconiunctis. XXI. 37
De decurijs ſeu decanis. XXII. 37
De finibus ſignorum. XXIII. 38
Ratio de numero & ordine finium. XXIIII. 40
De finibus Tauri. XXV. 42
De finibus Geminorum. XXVI. 43
De finibus Cancri. XXVII. 44
De finibus Leonis. XXVIII. 44
De finibus Virginis. XXIX. 45
De finibus Libræ. XXX. 45
De finibus Scorpij. XXXI. 46
De finibus Sagittarij. XXXII. 46
De finibus Capricorni. XXXIII. 47
De finibus Aquarij. XXXIIII. 47
De finibus Piſcium, XXXV. 47
De dominis Triangulorum ſeu Triplicitatum. XXXVI. 49
De Signis & Ventis. XXXVII. 50
De Simulacris, quæ cum ſignis ipſis oriuntur. XXXVIII. 53
De aſpectibus dextris ac ſiniſtris. XXXIX. 54
De triplici genere aſpectuum & configurationum. XL. 55
De Duodenarijs ſignorum. XLI. 57
De Duodenarijs Planetarum. XLII. 58

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM. Pag. 59
De quatuor cœli quadraturis. Cap. I. 63
De diſtributione ætatis ac uitæ hominum. II. 64
De quatuor Cardinibus, eorumq; diſtributionibus. III. 68
De duodecim ſigniferi locis. IIII. 71
De locis peculiaribus planetarum. V. 78
De conditione ſtellarum diurna ſeu nocturna. VI. 82
Mutari qualitates planetarum pro cœli regione. VII. 84
De Erraticarum qualitatibus. VIII. 84

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM. Pag. 89
De parte fortunæ. Cap. I. 103
De ſtellis quando maſculas uires ſuſcipiunt, quando fœmineas. II. 104

De collo-

De collocatione Planetarum in angulis. III. 105

LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM. Pag. 107
De Sole. Cap. I. 110
De Luna. II. 113
De quatuor elementis, & quinq; Planetis. III. 116
De duodecim signis, & corporis nostri membris. IIII. 118
De Saturno. V. 119
De Atrabile. VI. 121
De Ioue. VII. 124
De Marte. VIII. 128
De Venere. IX. 130
De Mercurio. X. 133

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM. Pag. 137
De Ariete. Cap. I. 142
De Tauro. II. 147
De Geminis. III. 156
De Cancro. IIII. 161
De Leone. V. 164
De Virgine. VI. 168
De Libra. VII. 171
De Scorpio. VIII. 175
De Sagittario. IX. 179
De Capricorno. X. 183
De Aquario. XI. 186
De Piscibus. XII. 190

LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM. Pag. 193
De Saturno & Ioue simul genituræ imperantibus. Cap. I. 195
De Saturno & Marte simul. II. 198
De Saturno & Venere. III. 200
De Saturno & Mercurio. IIII. 202
De Ioue & Marte. V. 203
De Ioue & Venere. VI. 205
De Ioue & Mercurio. VII. 206
De Bili. VIII. 207
De Marte & Venere. IX. 209

De Marte cum Mercurio. x. 210
De Venere cum Mercurio. xi. 211

LIBER SEPTIMVS.

PROOEMIVM. Pag. 213
De Marte datore artis ac magisterij. Cap. i. 219
De Venere quando erit domina magisterij. ii. 220
De Mercurio magisterij & artium datore. iii. 222
Quando uel duo, uel tres fuerint datores magisterij. iiii. 224
De magisterijs ipsis, & eorum qualitatibus. v. 226
De Mercurij commixtione cum alijs Planetis. vi. 229
De collatione signorum in dandis magisterijs. vii. 231

LIBER OCTAVVS.

PROOEMIVM. Pag. 233
De domino genituræ. Cap. i. 236
De Saturno genituræ domino. ii. 238
De Ioue genituræ domino. iii. 241
De Marte genituræ domino. iiii. 242
De Venere cum fuerit genituræ domina. v. 244
De Mercurio genituræ domino. vi. 246
De Sole & Luna circa dominatum genituræ. vii. 247
De quadam generali præceptione. viii. 248

LIBER NONVS.

PROOEMIVM. Pag. 249
De constitutione humani corporis. Cap. i. 252
Diuersitatem corporum proficisci è commixtione stellarum. ii. 253
De capillis. iii. 258
De oculis. iiii. 262
De opinione Aristotelis. v. 263
Præcepta cognoscendæ corporeæ constitutionis. vi. 264
De Saturno circa corporaturam. vii. 265
De Ioue circa corporaturam. viii. 266
De Marte circa corporaturam. ix. 267
De Venere circa corporaturam. x. 268
De Mercurio circa corporaturam. xi. 268
De luminaribus circa corporaturam. xii. 269
De matutinatione stellarum circa corporaturam. xiii. 270
De quadrantibus circa corporaturam. xiiii. 271
De stellis fixis, & signis circa comporaturam. xv. 272

LIBER

LIBER DECIMVS.

PROOEMIVM. Pag. 275
De locis inferentibus uitia aut ægritudines. Cap. I. 277
De uitijs seu ægritudinibus, & primo de oculis. II. 279
De sterilitate & aborsu, deq; uitijs circa pudenda. III. 286
De causis sterilitatis. IIII. 289
De cõfigurationibus facientibus sterilitatem, & hermaphroditos. V. 290
Opiniones Physicorum de hermaphroditis & geminis. VI. 291
De linguæ uitijs. VII. 293
De alijs quibusdam uitijs. VIII. 295
De uitiligine, scabie, & alijs uitijs compluribus, siue ægritudinibus. IX. 296
De claudicatione pedum, & alijs quibusdam morbis. X. 299
De neruorum uitijs ac morbis. XI. 301
De morbo comitiali. XII. 303
De insania. XIII. 306

LIBER VNDECIMVS.

PROOEMIVM. Pag. 308
De uitiligine siue morphea. Cap. I. 310
De impetigine. II. 311
De scabie. III. 312
De elephantia. IIII. 313
De calculis. V. 314
De quibusdam siue uitijs, siue ægritudinibus in generali. VI. 315
De uitijs, siue morbis in locis pudendis. VII. 318
De hydropisi. VIII. 319
De cardiaco. IX. 319
De torminibus. X. 320
De mutilatis. XI. 321
De tabe, siue phthisi. XII. 322
De podagra. XIII. 324
De hernia. XIIII. 325
De difficultate partus. XV. 326
De præcipitationibus & casibus. XVI. 327
De frigidis & glutinatis. XVII. 329
De fœtidis. XVIII. 332
De caluitio. XIX. 333
De canitie & surditate. XX. 334

CAPITVM III. TOMI INDEX.

LIBER DVODECIMVS.

PROOEMIVM. Pag. 337

LIBER DECIMVSTERTIVS.

PROOEMIVM. Pag. 347
De insania ex morbo comitiali. Cap. I. 350
De configurationibus facientibus morbum comitialem. II. 357
Alia configuratio faciens comitialem. III. 360
De statu & conditione planetarum cum Sole considerandis. IIII. 361
De uitijs, siue ægritudinibus intemperantiæ. V. 365

LIBER DECIMVSQVARTVS.

PROOEMIVM. Pag. 372
De septem Climatibus. Cap. unum. 375
DE LVNA FRAGMENTVM. 377

FINIS.

CHARTARVM SERIES.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y.
a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.
A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc.

Omnes ducriones, præter y in primo alphabeto, & a in secundo, terniones.

LECTORI.

NE mirere Lector, si aliter Ptolemæi initium hoc in libro uideris, quàm in alijs ueteris translationis & uideris, & legeris. Nã PONTANVS sententiam uerborum Ptolemæi in sua præfatione ad Federicum Vrbini principem παραφραστικῶς exprimit: & ne illa desyderares, hic Græca apposuimus. Sed tamen ea aliter hic scripta inuenies, quàm PONTANVS legisse uideatur.

Προειθέμενοι ὦ σύρε τὰς φιλοτεχνίας τ ἀστέρων ἃς φ τῷ σωθέτῳ διαπέργομεν διόσμῳ ἡ τὸ παρόν ἐζεθέμεθα πόνημα. ὅπερ καρπός ὅτι τ βιβλίων ἐκείνων γνωδὲν ἀλλ πείρας. διὸ δν τ μέλλοντα ὀρθ μετιγέναι πρότερον τὰς τ ὠφελήμας μεθόδους διελθεῖν. εἶτα πρὸς ἀπάτνωσιν ἴστο χωρεῖν ἀπὸ σῶ ἡ ἀπὸ τ ὠφελήμας.

IOAN. IOVIANI PONTANI COMMENTATIONVM IN CENTVM CLAVDII PTOLEMÆI sententias, ad Federicum Vrbini Ducem, liber primus.



AMETSI publicarum rerum administratio, belliq; gerendi cura deterrere me iure possunt, Federice dux fortißime, ne te maximis difficilimisq; occupatum rebus, & bellicis & urbanis, intempestiuus adeam: perspecta tamen mihi facilitas tua, & rerum plurimarũ studium atq; cognitio, in eam opinionem fiduciamq; adduxere, uti existimẽ, nihil te importunum aut intempestiuum ducere, quod ad naturæ cognitionem, & ad eam quæ scientia dicitur, facere intelligeres. Quam opinionem mirum etiam in modum auxere Romæ Neapoliq; sermones inter nos sæpius habiti, tum alijs de rebus, tum de cœlo, & illis sempiternis ignibus, quas erraticas, aut fixas stellas uocamus, quum earum inuestigationẽ rem admirabilem esse diceres, & homine maximè dignam, tum propter diuinitatis cõmunicationẽ, tum ob rei difficultatẽ, nobilitatemq; materiæ. Quid enim cœlo nobilius? aut eius inquisitione præstantius? quid item admirabilius, quàm hominem in remotißimis à cœlo constitutum locis, ad cœli ipsius, & stellarum quæ cœlo fruntur, secreta penetrare? Illud uerò suprà quàm dici posset, molestum tibi esse intellexi, quòd diuinam rem ab illis qui eam tractarent, indignius haberi cerneres. Aut enim nimis facilè quæsitis de rebus pronunciare, aut quædam in pronunciando sequi, quæ ab obscuris tradita autoribus, aut malè intellectis ueterum sententijs, in usum recepta essent: quibus è rebus maximi errores inoleuissent & in docendo, & in pronunciando. Quos pro uirili extirpare conatus, Claudij Ptolemæi libellum, centum enunciata, id est sententias, continentẽ, olim malè in latinũ conuersum, denuo tibi transtuli: cuius sola tralatione nequaquam contentus, singulis sententijs cõmentariolum, quò sententiæ ipsæ clariores essent, subiecì, stellarum significationes decretaq;, quantum res ipsa passa est, naturalcis ad causas rationesq; accommodans. Ipsa autem commentatio nostra est tota, in qua laborasse iure fortasse gloriabimur, quando quod Græcorum Latinorumq; nullus adhuc præstitit, ipsi primi præstitimus, ut stellarum naturas actionesq;, ad naturæ causas effectionesq; accommodare-

mus: quod in alijs quoq; libris, quos nondum emiſimus, uberius atque expreßius facimus. Sed de labore, ſtudio, induſtriaq; noſtra hactenus. Claudius Ptolemæus libellum hunc ad Syrum fratrẽ ſcripſit, quem ait fructum eſſe librorum, quos antè de ſtellarum decretis ſcripſerat, unde καρπὸς græcè inſcribitur: in quo quæcunq; traduntur, uſu experientiaq; probata eſſe dicit, ueritatiq; maximè conſentire. Monet autẽ, ne quis prius ad eum legendum accedat, quàm omnes ſcientiæ cœleſtis partes attigerit. Atque ille quidem hæc Syro cum fratre agit. Nos uerò te & hortari & rogare non deſinemus, uti commentationes has noſtras ſic legas, ut qui exiſtimes magis iudicium à nobis tuum, propter ſingularem, quæ in te eſt, peritiam poſtulari, quàm laborum ſtudijq; huius noſtri laudem inde quæri.

PTOLEMAEVS. I.

A TE & à ſcientia. Fieri enim nequit, ut qui ſciens eſt, particulares rerum formas pronunciet: ſicuti nec ſenſus particularem, ſed generalem quandam ſuſcipit ſenſibilis rei formã: oportetq; tractantem hæc rerum coniectura uti. Soli autem numine afflati prædicunt particularia.

PONTANVS.



EC *medici, nec moralis philoſophi ſola eſt cognitio, ſed quædam etiam operatio: & medici quidem curatio, moralis autem philoſophi actio, eaq; & honeſta, & ſecundum uirtutem rectámque uidetur rationem eſſe. Idem etiam de aſtrologo dicimus: ſiquidem non modò cœleſtium corporũ cognitio, ſed eorum quoque quæ ab illis portendantur, prædictio ad eum pertinet. Sed ipſam futurorum cognitionem, quam antiquis placuit appellare diuinationem, alij naturali quodam inſtinctu aſſequuti uidentur, ſtudio & diſciplina alij. Quocirca duplex uidetur eſſe futurorum prædictio: altera aduim quandam homini inſitam, atque ad naturaleis quoſdam eius motus ſolutos ac liberos, omni carentes arte, referenda: altera ad diſciplinam, quæ ratione conſtet atque obſeruatione. Et prior illa uidetur à ſtellis excitari, nulla eorum quæ dicantur, quæq; cœleſtibus motibus indicentur, habita ratione aut conſilio. Hos motus ut inconſultos, ac nulla humana arte rationéque temperatos, appellare ſolemus fanaticos: & eos ipſos qui ſic moueantur, tum fanaticos, tum lymphatos dicimus: quidam etiam dæmoniacos, uulgus ſpiritatos appellat. Quorum omnis, ut dixi, prædictio ſtatim*

ctio statim referatur ad stellas. Quanquam Prophetas diuino quodam afflatu uaticinatos credimus: quorum prædictiones atque uaticinia dei ipsius habeantur oracula. Posterior arte, id est ratione, atque obseruatione constat. Ac sub priori genere, atque in uaticinantium ordine collocari solent Sibyllæ, quas maiores nostri, utpote numine quodam afflatas, tantopere uenerati sunt. Quin hodie quoque Mahometani, furentes homines, tanquam diuinum aliquod familiare numen habeant, & beatos, et deo charos dictitant, maximáque ueneratione prosequuntur. In hoc uerò posteriori & haruspices, & augures, & cõiectores collocabantur à ueteribus. Sed uetera sint ista: nos autem omnem diuinationem bifariam partimur, & alteram furentium esse, alteram mathematicorũ dicimus. Et furentes quidem quid ipsi dicant aut non intelligunt, aut quanam ex causa prædicant, prorsus ignorant. At mathematicus quia tum ratione, tum obseruatione nititur, quæ dicit intelligit, & quomodo prædicit nequaquam ignorat: cuius prædicta ab astrorum cognitione proficiscantur, hoc est ab actionibus paßionibusq;, quæ ab illis excitari solent, ut longa obseruatione compertum est. quarum omnium causa est motus, ad quem generatio referatur atque corruptio, itemq; ea quæ generatis ipsis accidere soleant. Ad hanc autem cognitionem, cuius magistra fuit experientia, quando ab antiquis obseruatoribus mandata est literarum monumentis, plurimum quoque lectio conferet, præsertim doctißimi cuiusque. Sed ut bonos poetas ars sola non efficit, plurimúmque in ijs natura ualet, sic neque sola disciplina mathematicum perficit: in quo, quum cœlestium significationum interpres sit, multò etiam magis quàm in poëta necesse est, uti natura ipsa uires suas exerceat, quando medicum quoque & imperatorem asse uerent fortunatum esse oportere, quod natalium stellarũ beneficio illis tributur. Hoc est igitur quod ait Ptolemæus, à te & à scientia, hoc est ab insita ui, & à syderum cognitione prædictio est: ut intelligamus eorum quæ futura sunt, quæq; ab astris significantur, prædictionem proficisci: tum ab instinctu naturali, atque à facultate à stellis tradita: tum ab arte atque cognitione stellarum ipsarum, & à diuturna obseruatione illorum quæ à stellis significari sunt solita. Quod etiam Manilius in carmine suo confirmat, quum ait:

Hoc quoque fatorum est, leges edicere fati.

Etenim ut Cicero ait, nihil est faciendum inuita Minerua, hoc est natura repugnante. Quam ob rem excellentem mathematicum duplici oportet præsidio uti, naturæ atque eruditionis. Quum autem omnis futurorum prædictio sit aut de singularibus, aut de generalibus, uidendum est, in uniuersum'ne, an singillatim prædicere mathematicus debeat.

Atqui scientia, ut naturales asseuerant, de singularibus non est, nec de ijs quæ individua dicuntur, sed de universalibus potius. Ergo quum astrologia scientia quædam sit, oportet mathematicum ab enunciandis singularibus abstinere. Quocirca rectè Ptolemæus subiunxit, impossibile esse, scientem, id est sola disciplina præditum, particulares rerum formas prædicere, ut qui procul rem aliquã uideat: neq; enim quum hominem à remotissimo uidemus loco, aut Lucium, aut Marcum, sed quia moueatur, quia rectus incedat, hominem esse sentimus. Et uocis quidem remotissimæ sonum tantũ percipimus: cuius autem ea uox sit, aures minimè distinguunt. Age consideremus hac etiam in parte medicos: quàm multa ab ijs præcipiuntur in curandis febribus ac morbis alijs rectè quidem, atq; appositè, sed in individuis quibusdam, ut etiam ipsi dicunt, eorum præcepta manca sæpissime reperiũtur: quod euenire necesse est propter multa, quæ aut natura ipsa obstrusa sunt, aut quòd rarò ac repente accidant, incerta. Morales item philosophi licet omnia mediocritate metiantur, interrogati tamen medium illud quod sit, ad quod mediocritas ipsa referatur, respondere solent, illud à sapiente definiri, ac tale esse, quale recta dictet ratio: adeò de quibusdam particulariter loqui recusant. Quoniam autem medici propter diuturnũ usum, multamq; obseruationem, signa quædam sequantur, ex quibus euenturum quid sit in ægritudinibus iudicent, idcirco Ptolemæus ait, mathematicum conijcere res oportere, hoc est sequentem signa, atq; ea quæ diuturno sunt studio obseruata, de futuris dicere. Quòd si medicorum sæpenumero ingenia hæsitant, propter corpora ipsa nostra, quæ cœlestes motus sequantur, atq; ob occultas morborũ causas, quanto magis æquũ est in prædicendis futuris titubare mathematicũ? tum propter rerum ipsarum quæ contingunt uarietatem inconstantiamq;: tum propter stellas ipsas, quarum naturas incognitas habeat: ex illo enim infinito stellarum numero paucarum admodum uires naturæq;, eæq; non usquequaq; humana solertia comprehensæ sunt. Ad hæc satis compertũ est, pro subiecta eas materia, proq; locis ac regionibus agere, quædamq; homini aut libera permissa esse, aut ea moderari ratione ac modo posse. Postquam autem Ptolemæus dixit impossibile esse, rerum cœli peritum particulares res prædicere, duplicẽq; diuinationem fecit, quum omnis aut de universalibus aut de singularibus rebus prædictio esset, subiecit numine afflatos, id est, diuino quodam spiritu concitatos, particulares rerũ formas solos prædicere: ut uideatur disciplinam, id stellarum scientiam, à prædictione particularium omnino seiungere, camq; solis illis relinquere, qui à stellis ipsis, id est, diuino afflatu concitati uaticinantur. Sed quæramus ista etiam diligentius: nam si de nullis particularibus mathematicus pronunciabit, uix pauca quædam ei pronuncianda

cianda relinquentur: quando etiã rustici ex lunæ solisq; prognosticis diutius obseruatis prædicunt pluuias crastinas, futuros item uentos, atq; à qua sint cœli regione flaturi. Qui si de particularibus his certa pronunciant, cur non Astrologus & ipse dicere de futuris quibusdam particularibus audeat? quorum iudicium non tam sit à secundarijs, quàm à stellis ijs à quibus secundaria ipsa mouentur. Et medici quanquam multa in uniuersum de febribus ac morbis disserunt, tamen de singulis etiam febribus subtilissimè minutissimeq; præcipiunt. Idem prædicunt, quo die, qua etiam hora periculosiores futuræ sint accessiones, quibus antequam ueniãt remedia quoq; adhibent. Iubent etiam aliter iuuenem curari, aliter senem: aliter æstate, aliter hyeme: aliter eum qui calefiat multo sanguine, quàm qui atrabili sit arefactus. Quæ nisi particularia sint, nescio quid sit quod dici iure possi particulare. Sed tamen, ut dictum est, in indiuiduis quibusdam hæsitãt. Mathematicus quoq; ubi intellexit, ex stellis id significantibus, bellum excitatum iri in Italia: si urbium teneat genituras, hoc est signa ascendentia, & significatores planetas: item quæ faueant, quæue minitentur stellæ, cõpertũ habeat, nimirũ prædicere poterit, his quàm illis urbibus magis bellum imminere. Idẽ de pestilentia, de caritate annonæ. Sed nec attẽtabit, ut etiam quærat quanti uenire habeat aut uini cadus, aut frumenti sextarium, aut quot sint homines peste interituri: quamuis pronunciare poterit, aut uinum, quàm triticũ futurum carius: aut ex biliosis plures quàm ex pituitosis, id est phlegmaticis interituros, propter naturas stellarum, quas planè cognitas habeat. Idem quum nati alicuius genituram compertam habuerit, ferre poterit sententiam, an futurus sit adulter, inq; rebus Veneris intemperatus. Quot autem sit cogniturus mulieres, & Clodiam'ne an Albinam, Gaditanam'ne an Syracusanam, ut nominatim etiam patriam ac parẽtes explicet, prædicere mathematicus nec potest, nec debet: est enim aut omnino impossibile, aut maximè omnium difficile. Tomasutius, qui patrũ nostrorum memoria in Vmbria clarus habitus est uates, Fulgineæ quum esset, & uatum more multa prædiceret, ciuibus quibusdam consulentibus, quando Trincij, qui in ea ciuitate principatum obtinebant, diem essent obituri, respondit, qua hora campana prætoria effringeretur: quod non multò pòst contigit. Nam quum Fulginates aduersus Trincios cõiurassent, cõuenissetq; inter coniuratos de die, & item loco, signum autem adoriundi, prætoriæ illius campanæ sonus constitutus esset, demandatumq; id ex coniuratoribus uni, is quum signũ daret, & illi facinus signo accepto aggressi iam essent, inter primos pulsatus campana fracta est, ut eodẽ penè momento ipsi etiam domini cæsi fuerint. Paucis ante annis in Aegypto, in urbe quam Cairum hodie uocant, quum equites duo, quos Mamalucos dicunt, si-

mul equos ad fontem appuliſſent, uatem ferunt quendam exclamare cœpiſſe: ad eius autem clamores frequentem populum conueniſſe: quoſdam etiam percontatos eſſe clamoris cauſam: tum uatẽ reſpondiſſe, uidere ſeſe duos ſimul Soltanos (ſic enim reges appellant) equis inſidere. Quod uaticiniũ non multò pòſt comprobatũ re ipſa fuit: nam qui tunc regnabat diẽ quũ obiſſet, duo illi de regno inter ſe digladiati dicuntur. Quæ Martius uates Ro. olim uaticinatus fuerit, tũ alijs de rebus, tum Cannẽſi de clade, apud Liuiũ eſt uidere. Hi ſunt igitur quos Ptolemæus ait particulares rerum formas prædicere, diuino quaſi numine cõcitatos: quorũ omnis ſiue furor, ſiue cõcitatio ab aſtris eſt, quorũ ipſi nec ſignificationes teneãt, nec illorũ naturas aut motus intelligant: eſtq; ,ut Ouidius inqt, deus in illis, quo agitãte caleſcant: quoniã ſedibus ætherijs ſpiritus ille uenit. Ex his quæ dicta ſunt planè oſtenſum uidetur, quot ſint prædicẽdi genera, et q̃bus de rebus ſit tũ mathematicorũ, tum furentiũ prædictio. Quare ad reliqua tranſeamus.

PTOLEMAEVS. II.

Quũ is qui conſultat, ipſum melius ſcrutabitur, inter id & eius formam nulla rerũ differentia erit.

PONTANVS.

Hæc ſententia ad auſpicationes, conſultationes, & rerum incepta, atq; ad animorum motus, ubi quid primum decernimus, aut aliquid aggredimur, maximè pertinet. Inquit enim quo tempore quis facere aliquid decernit: hoc eſt, qua hora aut agere, aut facere quippiam proponit, capitq; conſilium aut cogitationem rei cuiuſpiam aggrediundæ, ſi cœli figuratio, & cœleſtium corporum ſtatus inſpiciatur, planè intelligetur, eius propoſitum conſiliumq;, ac deliberationem, cœli ipſius informationem ſequi, talemq; formã eſſe rei quæ agenda ſuſcipitur, eamq; in animo decernentis factam impreßionem, qualem & cœlum, & cœleſtis figuratio informauit. Sed euagemur aliquanto liberius. Si cœleſtis motus cauſa eſt eorum quæ hîc fiunt, atque inferiora hæc corpora ſuperiorum corporum agitationes ſequuntur, neceſſe eſt ut inquirenti rerũ inferiorũ cauſas appareat ipſum melius, hoc eſt id quod præſtat, quod primum eſt, &, ut ita dicam, principale, & à quo, tanquam à meliori, id eſt ab agente cauſa, hæc ipſa inferiora moueantur: id autem eſt cœlum, & quæ cœlo feruntur corpora, à quibus inferiora formantur: ſiquidem cauſæ ſunt, cur hæc ipſa fiant: græcè eſt τὸ κρεῖττον, quod nos non inconuenienter fortaſſe cœli numen dicemus. Quoniam autem generatio non eſt à caſu, & quæ genita ſunt materia conſtant ac forma, oportet materiam adeſſe idoneam, appoſitam, formæ ipſius aduentantis ſuſceptibilem: parare autem materiam, ac poſtea

informare

informare, quod utrunque fit suo tempore, & cœli est, & cœlestium corporum. Quocirca quum nec actio, nec passio, quæ est à stellis, sit à casu, sed pro natura tum suscipientis, tum informantis, qui rimatus hæc fuerit, planè compertum habebit, talia hîc fieri, qualium cœlestes causæ fuerint institutrices. Quamobrem serenitates, pluuiæ, tempestates, frugum prouentus, inopia, salubritas, pestilentia, quæq; alia in terra, aqua, aëre fiunt, cœli naturam, ac cœlestium corporũ agitatus sequuntur. Quin etiam ipsæ quoque hominum mentes ab imaginaria ui pro natura planetæ imaginariam ipsam mouentis, afficiuntur: talisq; est hominis corporatura, qualem cœlum ipsum in generatione concinnat, habita etiam ratione parentum ac patriæ. Ex quo fit, ut in genituris, in consultationibus, in rebus incipiendis, cœli figura, cœlestiumq; corporum constitutio nihil prorsus differre habeat à formis ijs, quæ ab ipso statuuntur: imò illis similem euentum indicat, effectumq; promittit. Nec uerò audiendi sunt, qui opinantur, sentire hîc Ptolemæum de orbibus cœlestibus, utpote animatis, aduersus eos qui aliter crederẽt: hæc enim uerba nihil omnino eiusmodi præ se ferunt. Quin Ptolemæus, ut prudens & cautus autor, quum de stellarum significationibus, deq; prædicendis earum effectibus præcepturus esset, in ipso statim initio docuit, qualia à cœlo decernerentur in terris fieri. quod nisi esset, uana omnis uideri poterat mathematicorum prædictio. At uide quàm appositè: quòd quum superiori uerbo de mathematici dixisset officio, & quod esset ostendisset, docuissetq; eum in generalibus prædictionibus uersari, statim subdidit, talia in composito hoc mundo fieri, qualia decernantur à stellis: ut ostenderet materiam, in qua mathematicus uersare tur, nec uanam esse, nec fallacem. Non solùm autem in genituris & inchoandis rebus, ut dixi, cœlum diligenter inspectum, ac stellarum figurationes, locorumq; naturæ probè examinatæ, quid & quale futurum sit indicabunt, sed in consultando quoque, & in ijs quæ Interrogationes à recentioribus dicuntur: quamuis Interrogationibus ipsis fides non tam certa sit adhibenda, quòd nonnunq; ea quæ naturalis cõmotio putatur, uoluntas est, mentis q; cogitatio, à consilio rationeq; proficiscens. Quamobrẽ sententia hæc nõ ad animi solùm cõmotiones, rerumq; incepta accõmodanda est, sed ad alia quoq;, quæ in ipsis elementis fiunt: & tanto quidẽ magis, q, elementa cœlestes cõmotiones propensius sequuntur, quibus humana mens nec statim accedere, et aliqua ex parte obsistere queat. Qui tamen græcè hæc Ptolemæi dicta explanat, de genituris & quæstionibus solùm intelligit: cuius
» uerba sunt hæc: In Interrogationibus genituris q; iuxta figurationes stella
» rũ ipsum melius, id est cœli informãs corpus, nullã prorsus in aliqbus sui re
» rũq; informatarũ differentiã habet, uerùm sui similẽ eis efficaciã indicat,

Qui ad rem quampiam aptus est, habebit profectò & huiusmodi significationis stellam admodum potentem in sua genitura.

PONTANVS.

Superiori uerbo quum esset dictũ, species rerũ earũ quæ hìc fierent agerentur ue, cœli ac stellarum decreta sequi, conuenienter subijcitur, naturalem ad rem aliquã hominis aptitudinẽ, eiusq; propensiorem applicationẽ cum facilitate & excellentia ab eisdem stellis id ipsum significantibus tribui, quũ optimè fuerint in natiuitatibus collocatæ. Neq; enim sine maximo fit cœli fauore aut hostilitate, ut ille in disciplinis aut in re bellica, alius in facultatibus alijs admirabiliter excellat, hic uerò abiecta quadam torpescat ignauia, utpote naturali beneficio destitutus. Etenim quũ sit à Marte uirilitas, si uirilis hominis inspecta sit genitura, planè apparebit Martem in primarijs cœli locis, atq; in signis conuenientibus, siue in altitudine sua cũ aliqua etiam fauorabili coniunctione, aut aspectu esse collocatum. Item si intelligentes sunt à Mercurio, inspecta intelligentis hominis natiuitate, ipsa nobis natalitiæ figuræ constitutio indicabit à signis locisq; propitijs, Mercurij adesse præsidium, quibus ipse in locis cum maiestate quadam potestatis suæ præsit. Experti prodimus, qui Mercurium in Geminis in domo tertia collocatum habuit, atq; à Sole remotum, euasisse clarissimũ in literis ac ingenij sui uiribus, assiduaq; lectione absq; multa præceptorum opera consequutum, ut & philosophiam, & astrologiã optimè teneret. Etenim Mercurius in tertia genituræ domo positus, in suis præsertim signis, si à nullo impugnetur, sitq; à Sole remotior, admirandum præbet nato ingenium, ut quas ad artes eum naturaliter impellit, illas non modò facilè discat, sed multa quoq; per se natus ipse inueniat, cunctaq; quæ ad eas quas sequitur artes pertineant, ingenij sui felicitate & citò, & facilè consequatur. Idẽ & de stellis reliquis dicendũ. Sed quod de singulis dicimus hominibus, affirmari etiã de populis rectè potest. Siquidem Athenienses mirũ in modum fuere literarum studiosi, Lacedæmonij uerò contrà. Syros auros efficit frigida Saturni stella: at uiolentus Martis ardor Gallos stolidos atq; inconsultos reddit: ut hæc ipsa cœli ac stellarum uis etiam nationibus imperare uideatur: quod cur ita sit uideamus. Mens hominis, quiq; intellectus dicitur, sensibus perinde ac ministris utitur, & quicquid agit, per illorum ministerium ac famulatum agit. Is ea quæ oculis cernuntur, auribus concipiuntur, naribus, lingua, tactioneq; sentiuntur, sibi oblata distinguit: quorum

quorum etiam causas quærit, quibus inuentis de ijs rectè iudicat. Quocirca uis ea, quæ phantasia dicitur, quæ receptaculum est, et tanquã penu eorum omniũ quæ sensus concipiunt, ad intellectum quæ cõcepit transfert, ea tum uisa, tum simulacra dicuntur à nostris, Græci uocant φαντάσματα. Sed quum sensus ad phantasiam, hoc est ad imaginariã uim: sic enim appellare placet: imaginaria ad intellectum atq; ad animum concepta transmittat, ipsa quidem imaginaria ab humoribus mouetur, celerius tamen aut tardius, acutius aut hebetius, pro humorũ qualitate ac natura: qui licet quatuor sint, infinitas tamen atq; incomprehensas mixturas habent. Porrò humores ipsi elementorum naturas, è quibus constant, sequuntur, quæ cœlesti à motu, corporibusq; quæ cœlo feruntur, affici manifestum est. Tales itaq; cuiusq; instinctus atque commotiones sunt, quales ab humoribus, è quibus compactus est, excitantur. Igitur quum frigus metum, calor fiduciam gignat, Mars calorem impellens, animos facit: Saturnus frigus cohibens, & animum cohibebit. Et illum quidem imaginaria excitabit ad uirilitatem, ad liberalitatem, ad elationem, ad libertatem, quæ caloris sunt: hunc uerò ad ignauiam, ad auaritiam, ad humilitatem, ad simulationem, quæ frigoris sunt. Atq; hoc quidem pacto, & uia hac, planetæ uires in nobis suas exercent. Has naturæ cõmotiones, & planetarum, ut ita dixerim, influentias, motus quoq; uoluntarij plerunq; sequuntur, & qui instinctus erat, applicatioq; naturalis, actio aut electio efficitur uoluntaria. Atq; uti stellarum tẽperamenta multiplicia sunt, sic ipsorũ quoq; humorũ multiplices mixturæ. Quibus è rebus hæc tanta existit ingeniorum diuersitas, totq; uarias ad res animorũ applicationes, ut quod in singulis uidemus hominibus, uideamus & in nationibus. Nanq; ut uis hæc Marium bellicæ, Ciceronẽ oratoriæ studiosum fecit: sic Athenienses ad literas, Romanos magis ad armorum exercitationem excitauit. Quas ad res patrij mores, leges institutaq; multùm etiam conferunt. In omni autem hoc libro planetas nunquam, sed astreres semper Ptolemæus nominauit: quanquã astreres solùm planetas intelligi uult, quem nos in his conuertendis sequuti sumus. Quod præmonuisse forsan alienum non est: ut quum stellam legeris, nisi fixam addiderimus, planetam intelligas.

PTOLEMAEVS. IIII.

Anima ad cognitionẽ apta, ueri plus assequitur, q̃ qui supremum in modum se in scientia exercuit.

PONTANVS.

Et à stellarum munere, & à rerum cœli peritia prædictionem esse superius est ostensum. Quando autem imitatrix naturæ est ars, dubitandum nõ

est, quin naturæ ipsius primæ sint partes ad prædicendi ueritatem, et quod à natura insit, uirium plerunq; esse maiorum, quàm quod ab arte. Itaque si in quæstione sit, naturalis ne uis, an studium cognitionis atque doctrinæ plus ad prædicendum conferat, primæ partes concedendæ sunt naturæ. Siquidē anima à stellis concitata ea sentit ex se, quæ ab ipsis stellis significata, ars quodammodo mendicare uideatur: et quod superius de poëtis est dictū, prima in mathematico ut in poëta ingenij uis est, naturalisq; aptitudo, quæ deficiente ars ipsa manca uideatur. Quum enim quæ à natura insunt perficere ars soleat, frustra studio nitimur, ubi nullum nobis adiumentum à natura tributum est. Quarta hac Ptolemæi sententia, licet ipsa è superiore sententia enascatur, confirmantur tamen etiam illa quæ in primo uerbo dicta sunt à nobis, de instinctu & concitatione naturali. Illud etiam inspiciendum, quòd uehemens uis ingenij, & insita à stellis aptitudo, etiam leuibus adminiculis adiuta, magnos ex sese conatus habet, celeresq; commotiones & ad cernendum, & ad iudicandum. uerbi gratia: Quæ dicuntur secundaria, dubiū non est quin significationes suas habeant: nam quum sint à stellis excitata, propter proprias actiones in primis corporibus futuras indicant tum pestes, tum siccitates, tum alia permulta, quorum quidem effectus est posterior, ipsa uerò quasi quædam sunt eorū signa. Hæc igitur sequuta ingenij uis, ac naturalis illa, de qua dictū est, aptitudo, & tanquam uestigijs quibusdam inhærens ea sentit, præuidetq; suo illo instinctu, insitaq; à natura sagacitate impulsa, quæ ars ipsa aut minimè, aut certè quamdificilimè assequatur: siquidem natura paucioribus, ars pluribus indiget. Quamobrem fateamur oportet, ingeniosum hominē, & à natura bene institutum, ueri plus, hoc est maiorem rerum cognitionem, ingenio, dum illud exerceat, assequi, quàm qui multo studio ad summam peruenerit disciplinam. Quæ sententia quoniam artes quoque, ac disciplinas planè omnes complecti uidetur, sic quidem sentiendum est, qui philosophiæ, qui iuri ciuili, qui poëticæ dant operam, qui deniq; facultatibus alijs student, eos & facilius & citius omnia consecuturos, quæ artis suæ fuerint, si naturali beneficio adiuuentur, quàm qui repugnante quodāmodo natura, licet multo studio ad illa peruenire conantur. In illis enim exiguus etiam usus, exercitatioq; mediocris maiores profectus adducit, quàm in ijs maior eruditio, summis etiam uigilijs cōparata. Neq; tamen hoc ita intelligendum est, ut natura non sit usu atq; exercitatione etiā multa confirmanda. sed ut sterilis ager licet sæpius subactus, nunquā uberis agri, si is quoq; solertem colonū habuerit, felicitatem assequetur: sic hebetis hominis quamuis diligens studium ac cura, nunquam ingenioſi hominis, si is sibi nō defuerit, laudes atq; excellentiam adæquabit. Illi enim euadere solent quamclarissimi, quibus à

natura

natura quum excellens ingeniũ datũ sit, illud hebescere non patiuntur, contendumq; est, naturam in plerisq; arte potentiorẽ esse, quod facilè appareat res humanas consideranti. Nanq;, ut de poëtis exempla tradamus, adolescentulos quosdam uidemus tenui doctrina præditos, maximis tamen ingenij uiribus adiutos, uersus egregios facere, quum ij qui in ea facultate cõsenuere, uix assecuti sint ut uersificentur. Et quum in Italia etiã sponte sua nascantur uites, eas quamuis magno cultu operaq; adhibita alere Cimbricus ager nequit. Hoc est igitur quod Horatius præcipit:

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua. Atq; ut Virgilius inquit:

Nec uerò terræ ferre omnes omnia possunt. Quanquam autem in omnibus tum artibus, tum disciplinis insita à natura uis sanè multũ potest, plurimũ tamen in futuris prædicendis uis hæc pollet, quod in artibus consilium ratioq;, et ipsa exercitatio maximum adiumentũ afferunt. At in futuris diuinandis, q, ea uis à cœlo magis, q̃ ab arte proficiscitur, natalis cœli constitutio plurimũ ualet. Quando consiliũ diuturnioreq; cogitatio, ac rerum pensitatio, quod in furẽtibus ac fanaticis secus est, naturales impedire commotiones solet. Quod autem ad tralationem ipsam attinet, ne à græco uerbo discederem, animam dixi: quod accipi sic uolo, ut animæ uis intelligatur ea per quã sentimus, intelligimus, cogitamus, atq; ad rerum cognitionẽ scientiamq; pedetentim progrediendo peruenimus. Animũ maiores nostri dixerunt. Et quũ animã habere etiã pecudes dicerent, solis hominibus animũ, dei munere atq; concessu datũ arbitrabantur. Illa inquã uis potestasq; per quam sentimus intelligimusq;, atq; cogitamus, & mens & intellectus dicitur, quo qui acutiore acrioreq; præditus est, ingeniosus dicitur: ut liceat hîc dicere, animã ad cognitionẽ aptam, id est ingeniosum hominẽ, atq; à natura ad cognitionẽ, atq; ad γνῶσιν, ut græcè dicitur, aptum natumq;, longè uerius per se futura sentire atq; uaticinari, q̃ qui arte longaq; exercitatione, ac doctrina etiã summa fretus futura prædicit. Inde enim ingeniũ dictum est, q, à natura ingenitũ insit: quanquã tum agri, tum loci ingeniũ, id est naturam, licentia quadam loquendi dicimus.

PTOLEMAEVS. V.

Potest quí sciens est, multos stellarũ effectus auertere, quando naturam earum nouerit, ac seipsum ante illorum euentum præparare.

PONTANVS.

Quum elementa ipsa inuicem conuertantur, necesse est ut corpora quoque nostra, quæ ex illis constant, alternas immutationes suscipiant. Quòd si terra in aërem transit, quanto erit facilius, adhibita diligenti opera,

corporum nostrorum qualitates, hoc est calidum frigido, frigidum calido temperare, quod medicorũ opus & studium est. Quum itaq; compactiones corporum, quæq; hodie dicuntur complexiones, incrementum ac detrimentum suscipere aptæ sint, & quod calidum est transire ad frigidum queat, nimirum poterit calida natura adhibitis frigidis temperari, ac sicca humidis, humida item siccis: quod ars, cura diligenti adhibita, procul dubio præstabit, ipsa rerum non repugnante natura. Quocirca si ob minacem Martis aspectum cognitũ sit astrologo, ex sua ipsius genitura, atque ex anni conuersione fore, ut in ardentiores febres incidat, poterit solerti medicorum opera, antè prouisa, febris uel omnino auerti, uel magna saltem è parte leniri. nam quum febrem illam excitatum iri è nimio calore intellexerit, solers medicus, cibis potionibusq; frigidioribus diutius adhibitis, calorem illum moderabitur: quo modificato, urens illa Martis uis, quum in humecto incendi nequeat, uel omnino extinguatur, uel magna ex parte sedetur oportet. Item si hostilis Saturni aspectus pernicioſos humores excitaturus intelligatur, idq; per atram bilem, hoc est melancholiam, euenturũ appareat, poterit prudens medicus aridum frigidumq; humorem, humectis calidisq;, modo mensuraq; adhibita, tẽperare. Atq; hæc quidem auersio non in ijs solùm quæ ad morbos pertinent, uerùm in euitandis quoque aut leniendis humanis casibus momenti multum habet. Nam si prouisum sit naufragium, poterit à mari fluminibusq;: si uulnus, à contentionibus ac pugna continere: si Mars uulnus pectori minitetur, thorace loricaq; tectus incedere: qua ratione in cõserendis cum hoste manibus uulnera euitari sæpissime soleant. Etenim in casibus quibusdam, licet periculũ euitari omnino nequeat, damnũ certè prohiberi aut omnino, aut magna è parte solet: siquidem mucro thorace prohibitus pectus raro penetrat. Quoniam autem nõ omnia uincì prudentia possunt, idcirco Ptolemæus dixit multos stellariũ effectus auerti posse. Non posse uerò omnia superari quæ à stellis significẽtur tum alias sæpissime, tum nuper docuit tanta in ora Tarentina & Crotonienſi cœli siccitas, ut non armenta solùm siti enecta dicantur, sed coloni iam cœperint aliò immigrare, quum putei, fontesq; exaruerint, & pabula segetesq; defecerint, aëre decimum iam mensem nullos imbres mittente. Quamobrẽ quando auerti prudentia cuncta nequeunt, rectè Ptolemæus subiunxit, posse instituere seſe ad ea toleranda, quæ euentura sint acerba et grauia. quæ enim prouisa sunt, minus lædunt: repentina uerò afficere grauius solent. Ergo cœli minæ, ut fames, id est annonæ caritas, ac uictus egestas, ut bellum, ut alia permulta diligenter prouisa & cauta, necesse est multò minus offendant. Atq; hic quidem est fructus, qui ex cœlestium significationũ cognitione, cum maxima etiã utilitate percipitur. Illud hoc loco monuisse

nuisse lectorem uolumus, quæ græcè est ἐνέργεια, nos & effectum, & uim, & operationem, actionemq; solere dicere: expressius tamen efficacia dicitur: quo uerbo usum sæpissime uidemus Iulium Maternum, cœlestium scriptorem planè accuratum ac diligentem.

PTOLEMAEVS. VI.

Tunc dierum prodest & horarum electio, quum tempus à genitura bene constitutũ est. Si enim contrarium est, nequaquam profecerit: quamuis bonum fortasse exitum respexerit.

PONTANVS.

Ea cœli pars quæ hora natiuitatis supra terras ascendit, unde à nostris appellatur Ascendens, Græci ὡροσκοπον uocant: ea inquam cœli pars, id est, primus cœlestis constitutionis ac figuræ locus, principiũ & tanquã radix est omnium quæ nato uoluendis annis sint euentura, ut si quis complicatum funem explicet: omnis enim illa ad finem usq; explicatio, ab ipso explicandi principio ortum, & consequendi seriem ducit: quæcunq; autem ad finem contendunt, ea suis profecta principijs, per media, quibus est ad finem uia, contendunt: nihil uerò huiusmodi fit à casu, sed ordine constat suo. Quum itaq; nihil sit cœlo magis ordinatum, generatio autem atque corruptio, ut physici consentiunt, sit à cœli motu, satis constat, quæ generata sunt sua per media od corruptionem, id est, ad exitum finemq; contendere. Quum autem corruptio non uno fiat modo, nec ex causa una, necesse est media ipsa talia quidem esse, quæ fini, id est corruptioni, conueniãt: quæ si cum fine conueniunt, quũ eadem ipsa media sint, per quæ ad finem catur, non erunt ab ipso principio dissidentia, quando ab eo seriem ac progressionem trahunt, quod esse necesse est, siquidem ordine constant ac tempore. Quamobrem futurorum series in hominis uita, quod cum hora natiuitatis connexionem ac complicationem habeat, atq; ab illa explicari incipiat, rectè dicitur, electiones dierum horarumq; utiles esse, ubi cum genitura conuenerint: rectè reprehenduntur, qui nulla genituræ ratione habita, solam sequantur electionem. Etenim in arboribus inserendis quanq; arborẽ ex quaq; arbore insitionis periti minimè inserunt, sed quæ naturalem inter se conuenientiam habeant: nec omnibus corporibus omnia alimenta cõueniunt, aut idem morbis omnibus remedium est. Quocirca qui gerendis rebus initium à dierum atq; horarum electione auspicantur, inspicere ante omnia debent, quæ fuerit in hora natiuitatis stellarum figuratio, qui situs atq; significatio, quæ series decernendi per loca singula, qui significatores & quales, quomodo etiam collocati, quid portendant triangula, id est tri-

plicitates, atque earum domini, quis morum dator, quis artis, dignitatis, honoris magisterijq;, quis item genituræ dominus, & quàm sit commode collocatus in figura. Fortunæ etiam pars cum primis considerandа, & dominus loci eius, aspectusq; planetarum. Quibus postea in unum collatis, & tanquam temperatis, ferendum est de nati uita fortunisq; iudicium, uidendumq; non solùm à quibus stellis, atq; à quo cœli loco quid aut quantũ sit sperandum, sed quo etiam tempore: annuarum quoq; conuersionum diligens ratio habenda. Quæ omnia ubi constiterint, eritq; stellarum ac cœli fauor perspectus, tum electiones ipsæ nimirum profuturæ uidentur. Sin natiuitas ipsa nil eiusmodi sperandum suaserit, inanis erit electio: ut si quis homini in ultima senectute constituto, ac uiribus defecto, arma ad pugnandum affabrefacta paret, quæ iuueni conueniant. Quid autẽ inanius quàm cui nulla in religione dignitas à genitura promissa sit, eum diem horamq; eligere suscipiendi ad Pontificẽ itineris pro sacerdotio impetrãdo? Quin etiam quum à cœlo tempora ipsa decernantur, quibus quid sit euenturũ, et hæc quoq; expectanda sunt: poma nanq; tum iuuant, quum sunt matura: atq; ut tempora ipsa constent, anni planetarum obseruandi sunt, & ad quẽ planetã annus ille, in quo fit electio, iam peruenerit. Nuper familiaris quidam meus annuæ suæ reuolutionis figuram ad mathematicum detulit, quæ Solem ascendentis dominum habebat in cœli medio, partemq; fortunæ bene collocatam: is mathematicus fore asseuerauit, uti natus ille eo anno maximo aliquo bono à principe afficeretur: eam enim reuolutionem magnificam & regalem esse, ac nato illi excellentem aliquam dignitatem portendere: hoc ego cognito uix risum tenui, quippe qui scirẽ nihil ei huiusmodi à genitura decerni, sed pauca quædã eaq; exilia à Sole promitti. Vide quò res redijt. Vendiderat rex castellum quoddam homini pecunioso, ad cuius possessionem tradendum familiaris ille missus est meus. Is eò quum uenisset, sedit regio more pro tribunali, iussitq; castellanos iurare in regis primò, deinde in domini illius uerba, quũ interim ad eius pedes populus procumberet, qui honos regibus habetur: atque hoc facto domum redijt. Hæc itaq; fuit eorum omnium summa, quæ à mathematico illo tam constanter promissa fuerant. Quocirca in electione facienda natalitiæ stellæ si bene se habuerint, omni oppressione obstaculoq; liberæ nimirum bona accumulabunt. oportet tamen prudentem mathematicum natiuitatis significationes cum electionis significationibus comparare, & tempus quærere à natiuitate decretum, ut omnia simul conueniant. Quòd si hæc ipsa ita quidem se habuerint, ut nec conueniant, quinimmo ut natalitiæ stellæ oppressæ, atque impeditæ langucant, nihil electio ipsa profuerit, licet felices stellarum applicationes, earumq; progressiones, ad dominantia cœli loca, suasq; in

domos

domos ingressus sequuti fuerimus: ut si quis nuptijs diem, horamq; auspicetur, qua Venus idoneum cœli locum teneat, qua Luna ad Iouem feratur, idq; etiam obseruet, ut Venus aut domum suam, aut signum in quo exaltatur ingressa sit. quod & si commendari potest, tamen uidendum prius est, quales nuptias natalis cœli constitutio promiserit. Fieri enim potest, ut locus qui hac in electione septimus est, fuerit in natiuitate duodecimus aut sextus, aut malè etiam fortunatus: quod ubi contigerit, auspicatio quantumuis prospera infeliciter uertet. Quin potius auspicandis nuptijs natale signum bene feliciterq; collocandum est, ut benignis radijs à Ioue Venereq; illustretur, ut nuptiarũ significator sit bene constitutus, ut Luna præsidium suum conferat. Sin hæc omnia conuenire simul nequeunt, illud certè uidendum, ne aduersus infelicium planetarum radijs feriatur. Illud tibi ex Ptolemæi sententia affirmare non dubitem, si turpes atq; infelices nuptias natalis cœli constitutio portenderit, frustra horam & diem eligi, frustra felices stellarum aspectus quæri, frustra planetarum amicas coniunctiones expectari. Neq; enim arbor retorrida, quamuis uiridem ac ualentẽ gemmam inseras, aut recipit, aut receptam diutius alit. At ubi honestas felicesq; nuptias genitura promiserit, bonique electio auspicij fuerit, credibile est non paruum inde adiumentum natali bono accessurum. Sin secus ut dixi, licet eiusmodi auspicatio subblandiri uideatur, parui tamen futura est momẽti, ut languenti corpori, & in mortem iam inclinanti, adhibita fomenta quãuis aliquantulum iuuent, quamuis nonnihil spei afferant, nihil tandem proficiunt. Quòd si genitura ipsa infelix infaustaq; nequaquam fuerit, imbecillior tamen conferendis bonis uideatur, sperandum est firmitatis ac præsidij aliquid felici ex auspicatione collatum iri. Nam & corpora imbecilliora sumptis melioribus cibis confirmantur, non tamen ut uires maiores, supraq; corporis ipsius naturam accipiant. Sed ad ipsorum uerborum Ptolemæi interpretationem redeamus, quæ quidem est huiusmodi. Electio dierum & horarum tunc utilis futura est, quum aduenit tempus, ipsaq; temporis opportunitas, quam genituræ configuratio, stellarumq; genitalium efficacia promittebat, ut figura quidem genituræ cũ electionis figura conueniat. Fecit autem mentionem primò de dierum electione, pòst etiam horarum: quoniam in quibusdam electionibus satis est diem eligere, quo Luna coniungitur planetæ accommodato negocijs, pro quibus electio fit, aut planeta ipse domicilium suum, aut altitudinis suæ signum ingreditur, aut ad felicem aliquem aspectum peruenit. Alibi uerò satis non est, diem solùm eligere, nisi horam quoque eligas, ac cœli totius figuram constituas, primarijsq; in locis planetas, & cardines statuas: ad hæc cardinum, ac rerum significatores bene felicitérque colloces. In qua tamen electi-

onis figura ſtatuenda, ſtellisq; atq; cardinibus feliciter collocandis, illud in primis uidendum eſt, ut perſpecta natali configuratione, inſpicias non ſolùm, ſi à genitura nato illi promiſſum eſt illud, pro quo electio ſuſcipitur, uerumetiã ſi tempus ipſum præſtandi promiſſi iam aduenit: ſiquidẽ alijs ſtatim in ipſa iuuenta bona promittuntur à cœlo, alijs ad ultimam ſenectutem. Quocirca tẽporis à cœlo conſtituti ratio in primis habenda eſt. Mendicarunt multi in adoleſcentia, quos poſtea ſenectus locupletiſſimos reddidit: quin etiam obſcuriſſimis quibuſdam homuncionibus contigit in Pontifices maximos euadere. Itaq; ſi tempus à cœlo præſtitutũ nondum aduenit, nihil profuerit felicẽ electionẽ feciſſe. Quamobrem duo hæc attenden da uidentur: alterum, ſi à cœlo eiuſmodi res promittitur: alterum, ſi præſtandi promiſſi tempus aduenerit: etſi tempus promiſſi ipſius aduenire nequit, ſi à cœlo bonum ipſum initio promiſſum non fuerit. Quòd ſi contrarium fuerit, hoc eſt, ut tempus illud, temporisq; opportunitas à cœlo decreta nondum aduenerit, electio ipſa quamuis benigna, nihil omnino profẽcerit. Etenim ſtirpem quantumuis ualentem, ſi tempore non ſuo pangas, haud multò pòſt areſcet: & ſemen non ſua tempeſtate ſulcis ac terræ, etiã diligentiſſimè cultæ, commiſſum, nullum colono profectum afferet: adeò in rebus ipſis tempus expectandum atq; obſeruandum eſt. quod ubi obſeruatũ nõ fuerit in electione ſuſcipienda iuxta genituræ conſtitutionẽ, fruſtra quis eliget, quamuis bonum exitum reſpexerit, cœlumq; ac planetas ipſos ita in electione ſtatuerit, ut ſtellæ totaq; ipſa configuratio benignum ac felicem exitum rei ſuſcipiendæ polliceantur. Quòd autem dicit, fortaſſe, uult innuere, nõ putare ſe aliquem facturũ figuram electionis præter genituræ conſtitutionẽ: tamen ſi fortaſſe fecerit, affirmat eũ fruſtra omnino feciſſe.

PTOLEMAEVS. VII.

Nõ poteſt quiſpiã ſtellarũ mixturas pcipere, niſi naturaleis prius differẽtias mixturasq; cognouerit.

PONTANVS.

Primò nobis uerbo declarauit Ptolemæus, uerſari mathematicũ in futuris prædicendis, & quidem generaliter, duplicemq; eſſe diuinationem docuit. Secundò, inferiora corpora cœli & ſtellarum motus, ac naturas ſequi, ne quis uanam opinaretur mathematicorum prædictionem, quæ à cœlo ſtellisq; deduceretur. Tertiò tradidit, uehementes animorum applicationes, & inſitam à natura ad res aliquas propenſionem proficiſci à ſtellis, atq; à magna alicuius earum in natiuitatibus autoritate ac uiribus, ut non ſolùm in rebus alijs compoſitis mixtisq;, ſed in homine etiã ipſo oſtenderet & cœlum & ſtellas uires ſuas exercere. Ad hæc quum quæri poſſet,

ars ne an

ars'ne atq; eruditio, an uis naturalis atq; à stellis insita, plus ad diuinationem, ad scientias, atq; ad facultates alias polleret, in quarto hæc explicauit. Et quia quæri item poterat, quæ foret utilitas hominũ generi ex prædictione, futurorumq; cognitione, docuit in quinto, multa mala quæ à stellis portendantur, ubi cognita prius sint, auerti posse. Quoniam uerò rerum futurarum series quædam esset atq; cõnexio, auspicationesq;, quas nunc uocant electiones, à natiuitate defluerent, uerbo superiori aperuit, quando utilis futura esset electio. In hoc autem de quo nunc agitur uerbo, quia difficile uideretur, quum stellæ tam sint à nobis remotæ, qua uis actiones moresq; hominum, qui ratione præditi essent, temperarent, docet astrologum ea quæ de stellis tradat, ad physicas debere rationes accommodare, nec posse aliter rectè iudicare. Ex quo palàm fit, quæ stellæ in nobis agant, ea naturaliter agere: quando earum est augere, imminuere, incendere, sedare, acuere, obtundere humores qualitatesq;, ex quibus constamus, ex quarum motu atq; effectione excitentur in nobis iræ, cupiditates, uisa, quæ dicũtur phantasmata, quos motus, mentis nostræ cogitationes, ipseq; etiam intellectus postea sequatur. Ad rem itaq; ueniamus. Satis constat triplicem animæ uim esse, eiq; tres inesse, ut hodie uocant, potentias, irascendi, appetendi, ratione utendi, id est uim irascibilem, appetibilem, rationalem. Iram appetitionemq;, uirtutes quæ dicuntur morales, & cõtraria eis uitia sequuntur. Ratio uerò quanquam est omnium magistra & moderatrix, tamen eæ quæ intellectiuæ dicuntur uirtutes, ad rationalem solam referuntur. Singulis his potentijs singuli præsunt planetæ: nõ quòd aliorũ radij ijs non multum etiam conferant. Mars præest irascibili: siquidem ira existit à sanguine ad cor efferuescente. Martis enim est rubra bilis, quæ græcè dicitur χολὴ: hodie tamen in ore omnium est cholera, quæ apud Celsum est morbi genus: & sanguis quidem ubi est efferuescentior, in choleram acuitur. Quocirca prudens mathematicus nati genitura inspecta, potest tum de illius moribus affectionibusq; quæ ad iram referantur, ex Martis collocatione iudicare: tum de morbis qui excitantur à cholera. uerbi gratia: Si natus quispiam ascendentem Leonem habuerit, & in eo Martem aut suos, aut Mercurij fines tenentem, nimirũ iracundus erit, & ad rixas cõtentionesq; procliuior: tum propter signum quod pectori nostro præest, ubi sedes est iræ, cuius etiam signi natura feruentior est: tum propter naturalem Martis ardorem: quam ad rem finium quoq; natura plurimũ conferet, siue sint Martis ipsius, siue Mercurij, qui & ipse retorridus est, motusq; concitatioris. Quòd si quadrata Martem radiatione Sol ipse respexerit, magna hinc fiet ad iracundiã accessio, ut si arida igni fomenta adijcias, unde natus ipse futurus est iracundus, & seditiosus, & turbulentus, & uiolens, qualis est natu-

ra choleræ. At si Martem, ut dictum est, in Leone constitutum, de tertio Iupiter signo amicis radijs temperauerit, nimirum & ira nati temperabitur, ineritq; nato illi animi quædam magnitudo, uis q; naturalis ad res gerendas, magnas illas quidem & claras. Sed uideamus quàm hæc physicis rationibus consentiant. Sanguinem affirmant choleræ temperamentũ & tanquam frenum esse, cuius naturæ quum sit Iupiter, temperabit Martis uehementiores impetus & tanquam coërcebit. Ad hæc calidi & sicci sursum quum sit ferri, qualis est cholera, animum Mars ad alta excitabit: ne autem cholera ipsa efferatur, & longius à modo recedat, sanguis, id est Iupiter efficiet. Idem modus, eademq; erit quærendi uia de Venere ac Mercurio, & planetis alijs uel nocentibus, uel iuuantibus, de quibus pòst suo loco dicemus. Vt igitur de nati moribus ueram posit mathematicus proferre sententiã, oportet rerum naturæ causas teneat, animæq; ipsius uires ac potestates cognitas habeat: proprietates item, differentias, coniugationes contrarietatesq; qualitatum, ipsarumq; temperamenta & mixturas, ad quas tum stellarum aspectus, tum cuiusq; signi singularumq; stellarum qualitates proprietatesq; & comparabit, et referet. Mixturas uocamus eas, quas Græci κράσεις dicunt, indifferenter etiam temperamenta, temperationesq; uocamus: Iulius Maternus ubiq; mixturas appellat: recentiores philosophi complexiones uocant: quod uerbum quomodo in hunc sensum receptum sit ignoro. Et quoniam qualitates, ex quibus constamus, ut physici tradunt, & plus, & minus suscipiunt, atq; alteram altera moderatur, hoc quoq; ad stellas transferens, Saturni tristitiam cum Veneris hilaritate temperabit: ex qua temperatione moderatio existet in nato, eiusdem frigiditatem ariditatemq; cum humecta & calida Iouis natura mulcebit, feruorem Martis & rabiem contraria Veneris potestate sedabit, imminutum Lunæ lumen Marti familiariter copulabit: tunc enim Luna plurimũ & humecto abundat & frigido: qua è re Martis cholera Lunæ pituita, id est phlegmate temperatur: contrà pubescentis aut plenæ Lunæ radijs torporẽ Saturni recreabit: siquidem tunc de Sole calefacta, & toto corpore ab eo illustrata, humentes ac calefactos à Sole radios suos Saturno refundens, senilem illius hebetudinẽ ita refocillat, & tanquam fouet, ut exercitatum à Saturno siccũ frigidumq; humorẽ humenti & calido temperet, ac melancholiam sanguine moderetur. Quæ omnia rerum harum peritus commiscens & temperans, corporis etiam nati fabrica qualis futura sit, probè intelliget, ad hilaritatem'ne an ad tristitiam, ad temperantiam an intemperantiam, ad mansuetudinem an asperitatem, ad liberalitatem an ad auaritiam, ad taciturnitatem an loquacitatẽ, ad celeritatem an cunctationẽ nati anima pro corporis qualitatibus propensior sit futura.

PTOLE-

PTOLEMAEVS. VIII.

Sapiens anima confert cœlesti operationi, quem admodum optimus agricola arando, expurgandóque confert naturæ.

PONTANVS.

Quanquam generi animalium est omni naturaliter insita tum mali declinatio, tum boni appetitio: homo tamen propter rationem, cuius est particeps, multò quàm cætera animalia & mala ipsa cautius declinare, & bona quæ uidentur, sibi adiungere commodius potest: duplici auxilio fretus, & communis naturæ, et propriæ rationis. In exquirendis autem utilibus, incommodisq; repellendis uersatur ea uirtus, quæ à prouidendis illis prudentia nominata est: eius est enim utilis & inutilis, recti ac praui, ueri itẽ falsiq; cognitio atq; distinctio. Sed exquisita prudentia nisi multo diuturnoq; comparari usu nequit: cuius ea laus est, ut cæterarũ uirtutum dux habeatur ac magistra. Quòd si tanta est prudentiæ autoritas ac uis, quanto maior debet esse sapientiæ? qua nihil est in homine diuinius: siquidem humanarum diuinarumq; rerum cognitionem habet. Quocirca si, ut antè dictũ est, multa quæ à stellis portenduntur mala, auerti atq; euitari possunt, ubi antè prouisa & cognita fuerint, cur non & bona quæ ab illis decernantur, antè etiam cognita, industria consilioq; poterũt tanquã allectari prius quàm eueniant? & postquã euenere, sapienti arte consilioq; magis ac magis cõfirmari? Etenim ut prouenturus è terra satisq; seminibus fructus plenior atq; uberior esse solet, si agricolæ diligentia cultusq; pro natura cuiusq; accesserit, sic conferenda quoq; à stellis bona, si sapiens consilium prudensq; adiuncta sit opera, ea tanquam procliuiore defluent riuo. Ac ne à medicis recedamus, hi non modò morbos curant, sed bonum quoq; habitũ corporis adiuuant, sanitatem confirmant, plurimumq; opera sua naturali adiungunt robori: ad hæc & horum præcepta sunt de sanitate tuenda, & agricolarum de annona in horreis conseruanda. Quamobrem sapiẽs uir, qui rerum naturalium cognitionem habeat, qui cœli stellarumq; proprias uires teneat, qui norit quid stellæ ipsæ decernant & quomodo, quum intelligat quibus à stellis, & à quo cœli loco, qua etiam ratione bona ipsa sint aduentura, si deesse sibi noluerit, uiam aduentãtibus illis aperiet: & postquam peruenerint, firmitatem quoque afferet: ut si quis aquam è superiore sit cliuo in hortos deriuaturus, potest sulcum dirigere, obstantes lapides remouere, purgamenta emundare, quò fluentiore alueo decurrat in plantas: quin ad illarum radices fossam altiorem facere, quò aqua tum abundãtius influat, tum diutius ibidem immoretur. Itidem sapiens ma-

thematicus felicibus ſtellarum promiſsis multum conferre poterit, prudenter agendo, rectè conſulendo, & largam fœcundamq; animi ſpem arte conſilióque intendendo. Quocirca ad inſitam à natura tum mali fugam, tum boni appetitionem, multum in utranque partem adiumenti habet rerum cœleſtium proſpectio, & cognitio futurorum: ut quemadmodum medicina ſanitatem procurat, alimentum agricultura, ſic aſtrologia utilitatem hanc hominibus ſui ſtudioſis procuret & afferat. Quia uerò auertendi mali ſtudium prius eſſet, boni adipiſcendi poſterius: ſiquidem medici pernicioſos antè humores eijciunt, quibus poſtea eiectis ſanitatem conciliant: idcirco Ptolemæus quum antè de auertendis malis monitos nos feciſſet, nunc docet, poſſe bonis artibus, prudenti ue conſilio, adiumenti plurimum promiſsis à cœlo bonis afferri: ſiquidem ſolertes agricolæ expurgatis prius noxijs herbis, ac terræ ipſius uitijs edomitis, ad frugum ubertatem plurimum conferunt, ut non ſolùm uberiores, uerumetiam pleniores, ut dictum eſt, fœtus proueniant: nam & ars naturalibus etiam bonis magno præſidio eſſe ſolet: quæ quũ defuerit, poma degenerant, armenta in annos hebetiora fiunt, bonisq; homini à natura datis, niſi diligẽs adiuncta ſit inſtitutio, non eſt cur perfectũ aliquid ſuo in genere poſsis dicere.

PTOLEMAEVS. IX.

In generatione atq; corruptione formæ afficiuntur à cœleſtibus formis. Idcirco qui imagines faciunt, ijs utuntur, quum eò ſtellæ ingreſſæ fuerint obſeruantes.

PONTANVS.

Vt ſuprà eſt dictum, utq; inter phyſicos conſtat, generationis corruptionisq; cauſa eſt motus: & hic primùm quidem ipſe ſibi materiam cõciliat, quam conciliatam poſtea informet. Deinde (*quia motus ipſe nunquam conſiſtit, ac nunc ad ſexangula quadrangulaq;, nunc ad triangula atq; oppoſita pergit, ac demum in ſeipſum, id eſt, unde cœpit, redit*) *neceſſe eſt qualitates, quæ inſunt materiæ, nunc excreſcere atq; impleri, nũc imminui, donec in exceſſum atq; exuperantiã abeant aliquam, ex qua interitus ipſe ſequatur. Quare ſi cœlum eſt quod materiam informationi apparat, erit profectò materia ipſa rudis atque informis: ſecus enim nequaquam apta eſſet aliam atq; aliam formam ſuſcipere, ſicuti quod graue eſt, uti ſuperna petat, inſtitui nunquam poteſt: neq; enim lingua ſi certum à natura inditum haberet ſaporem, alium quàm quẽ haberet, ſuſcipere ipſa poſſet, quum tamen ob inſitam ſibi uim nullum ſit ſaporis genus, quod non etiam diſtinctè ſentiat. Eodem modo & materia quum ſit informis, admotas formas induere apta eſt.*

apta est. Est igitur cœli cœlestiumq; corporum informare: nam si elementaris materiæ primaria informatio non est, & est alicunde, ut quidem est, erit profectò à cœlo, à quo elementa ipsa cientur & ad agendum, & ad patiendum. Atq; ut in ipsa materia uis ineſt aptitudoq;, uarias à cœlo formas accipiendi, ſic uicißim cœlo ſtellisq; uis ineſt illas imprimendi. Vtq; hæc quàm illa materia magis apta eſt, hanc quàm illam formam admittere, ſic hæc quàm illa cœli pars ſtellaq;, hanc quàm illam formã aptior eſt effigiare: quod ni eſſet, ſpecies ipſæ rerum confuſæ eſſent. At in cœlo ſtatuta ſunt omnia: ſecus enim homocerui naſcerentur & equipaſſeres. Eadem rurſus eſt corrumpendi uia ratioq;. Quocirca naturaliſſimè dictũ eſt à Ptolemæo, & in generando, & in corrumpendo rerum inferiorũ formas cœleſtibus à formis affici. Nec uerò quæ fabuloſè tradita ſunt à poëtis, naturali ratione carẽt, Arietem, Taurum, Geminos, Aquilam, Canem, Leonem, Cygnum, in cœlum translatos, quando ea quæ ſunt generis eius apud nos, ad ſua cœli ſigna referantur. Paucis ante annis Saturni Martisq; coniunctio in Tauro, horridiſſima hyeme frigora quum excitaſſet, magnam bubus calamitatem attulit: & quanquam ouis tolerando frigori eſt imbecillior, in boues tamen uehemẽtius peſtis illa deſæuit, propter ſignũ cœleſte, ad quod terreſtris bos referretur. Quæ coniunctio ſi fuiſſet in Ariete, nimirum in oues ſæuius graſſata eſſet. In hominum natiuitatibus quum pericula exquiruntur, ſi nocens ſtella minitetur è Geminis, nimirum malum id pro ſigni natura inferetur ab homine, quum ſignum illud humanum ſit. Cui uulnus in capite minaci à planeta infligitur, is Arietem habuit malè fortunatum in genitura: præeſt enim Aries capiti. Membrorum quoq; cæterorum mala à ſignis, quibus hæc ipſa membra famulantur, ſi parum fortunata fuerint in natiuitate, demanare ſolent. Quos currus obterunt, quos quadrupedes dilaniant, & hos infelicia genituræ ſydera inſectantur, quorum formis animales hæ formæ naturaliter ſubiectæ ſint. Rerum agri ſcriptores tradunt, non edi à muribus uitis eius uuas, quæ noctu putata fuerint, Luna plena Leonem peragrante. Refert Alexandrinus quidam ſcriptor, uidiſſe ſe hominem grauiter à ſcorpio percuſſum: ſtatim fuiſſe liberatum ebibito thure contrito, in quo ſcorpij cælatum ſignum fuerat: acſciſcitanti ſibi, in thure ne an alio cõmiſto aromate tam præſentanea uis ineſſet, reſponſum fuiſſe ab eo qui remedium id attulerat, in ſcorpij ſigno, quod in anulo ſecũ ferret, tam præſentis uim ineſſe remedij. Impreſſam uerò eam ſcorpij figuram fuiſſe in lapide illo anulari, aſcendente Scorpio, quũ Luna ibidem eſſet cardinaliter collocata. Ad ſanandos itaq; ſcorpij nocentes morſus imprimenda eſſe eo ſigno aromatica, qua hora Luna in Scorpio cardinalis inueniretur, quæ poſtea contrita in aqua potanda præberẽtur. Autor eſt Her

mes prohiberi calculos, si quis in auro Leonis figuram renibus illigatã detulerit, quæ cælata sit Sole Leonẽ tenente: dum tamen nec Luna sextam domum aspiciat, nec ascendentis signi dominus intueatur Saturnum, aut à Saturni cõiunctione recedat: sanari etiam morbum hunc sumpto thure, quod eo sigillo esset impressum. Laurẽtius Miniatus, familiaris meus, amico suo doloribus capitis penè quotidie laboranti, impressa Arietis imagine remedium attulit, quã cælari in auro fecit, primo Arietis gradu ascendente, Ioue ibi constituto, nullis q; infelicium stellarum radijs percusso, imò Luna Venereq; amicè intuentibus. Quocirca qui signa facere aut imagines uolunt, dies horasq; idoneas eligere debent, cœlumq; inspicere ac cœli signa, quibus subiecta sunt animalia, quorum figuras exprimant: habendaq; cum primis diligens ratio membri eius, de quo soliciti sumus, cui sit cœli signo dedicatũ, expectandusq; auxiliatoris planetæ in id signum ingressus, nec non salutares noxiæue configurationes, aut ipsæ quoq; expectandæ dum fiant, aut donec præterierint. Dicere autem de imaginibus ac sigillis non est loci huius: de quibus non ignoramus multa etiam inaniter ac superstitiose tradita esse. Quod uerò ad traductionem ipsam attinet, ubi nos conuertimus, qui imagines faciunt, græcè unũ uerbum est στοιχειωματικοὶ, *quod est ac si diceremus, elementarij: sed hoc uerbum latinè quidem neque id quod græcè, neque aliud quippiam, quod ad rem hanc faciat, significat. Sin conuerterimus, imaginarij, uerendum est, ne non ad imagines ac simulacra, sed ad mentis imagines ac sensa perperam quis referat. Sunt autem hoc in loco* στοιχειωματικοὶ, *qui sigilla atq; imagines ex mixturis ad stellarum cursus faciunt, tum ad sanandos morbos, tum ad affectus alios uel corporis, uel animi procurandos: &* στοιχεῖον *quidem quanquam græcè sit elementum, astrologi tamen pro imagine, forma ac signo utuntur, ut quum dicunt* οὐράνια στοιχεῖα, *hoc est cœlestes imagines, siue cœlestia signa: in qua significatione hac in parte accipiendum est* στοιχεῖον, *& quod ab eo deducitur* στοιχειωματικός.

PTOLEMAEVS. X.

In dierum horarumq; electionibus utere maleficis, perinde ut optimus medicus ad curationem uenenis utitur moderatè.

PONTANVS.

Nec omnes morbi eisdem curantur remedijs, nec eadem medicamentorum omnium est natura. Etenim scamonea uehementer aluum citat, quam sistunt mâla cydonia: et quibus leuiores sunt morbi, leuiora adhiberi remedia solent: acriora, qui grauius affecti iacent: his leuia si admoueris, nihil, aut parum

aut parum omnino proficeris: illis si attuleris ualentiora, morbum magis exacuas. Quamobrem solertes medici in curanda ægritudine tum ægroti ipsius, tum morbi natura prius inspecta, medicamentis utuntur accommodatis: quin ubi opus fuerit, etiam uenena miscent, quòd illa salutarem aliquando uim habere intelligant: quandoquidem pestilentes humores nisi potionibus quamacerrimis, quæ aut calidissimis, aut è frigidissimis temperatæ sunt, è corpore non educuntur. Atqui quæ frigida calidá ue ui exuperant, quamuis humanis corporibus noxia sint, pro morbi tamen natura, ubi solertis medici accessit opera, salutaria efficiuntur. Quod in morali quoq; philosophia præcipi solet: siquidem ipse aliquando excessus medium est, quod nonnunquam inde quæritur, ubi aliàs extremum constitutum ui debitur. Itaq; non herbis modò radicibusq; salutaribus, sed ijs nonnunquã medici utuntur, quæ per se sunt perniciosa, letalemq; uim habent: quam etiam rationẽ sequentur & mathematici in electionibus capiendis. Nanq; ut illi morborum naturam scrutantur, qua comperta, remedia quæ conducant adhibent: sic hi rei naturam, qua de agitur, antè perspicient, ea deinde perspecta stellas eligent, & signa, & domus, & aspectus ipsam ad rem conducentes. Vt si quis serendis arboribus tempus auspicetur, Saturnum Lunamq; cum primis debet inspicere, quamuis maleficã Saturnus uim habeat. Itaq; inspecta prius agri atq; arboris natura, tempus auspicabitur, quo Saturnus in bona cœli parte collocatus sit, aspiciatq; horoscopũ, quem Aquarium aut Taurum eliget, in quorum altero sit etiam Luna constituta, quando Taurus est exaltatio Lunæ, Aquarius uerò Saturni domicilium. Idcirco autem Saturnũ Lunamq; eligi serendas ad arbores iubemus, quòd Luna maximè corporibus ijs, quæ uegetabilia dicuntur, dominatur, Saturnus uerò sationi ac seminibus præest. Qui hostem aggredi parat, in primis debet Martem aspicere, eumq; in ascendente collocare: uidebit etiam ut aut Mars ipse sit ascendentis dominus, aut à salutari stella, quæ sit ascendentis domina, familiariter aspiciatur. Videndum etiam ut dominus secundæ domus aut sit in domo ipsa positus, aut Marti feliciter copulatus, sintq; potentes ambo et oppressionibus planè liberi, quo alter atrocibus radijs septimã impugnet domum, alter octauam, quæ loca sunt aduersarij. Eunti in uenationem statuendus est Mars in septima, uidendumq; ut benefica stella tueatur ascendens. Qui cauere uult testamento, ne sit irritum, eligat Saturnum, quum crescentis Lunæ radijs irroratur. Igitur ut ea quæ per se letalia sunt, pro morbi natura efficiuntur medicorum ope salutaria: sic & stellæ quæ maleficæ dicuntur atq; infortunantes, fiunt sæpenumero felices pro rei natura, mathematiciq; prudentia. Atque ut medicus uenenosa salutaribus temperat, sic nocentes stellæ salutarium stellarum aspectibus

coniunctionibusq; sunt à mathematico temperandæ. In primis autem nati genitura, cœlestiumq; decretorum series considerandæ est, quod superius in capiendis electionibus est præceptum: multos enim natalitiæ stellæ, quæ alioquin maleficæ iudicantur, adiuuant. Eorum etiam quæ agenda proponuntur, natura diligenter inspicienda est. Videndæ item stellæ quæ illis dominentur: siquidem bellis Mars præest, ædificationibus Saturnus, rebus alijs alij. Sin incerta genitura fuerit, poterit patris natiuitas inspici, atq; inde quantum ars disciplinaq; tulerit sumi. Ad hæc nati ipsius mores, actiones artesq; considerandæ, eæq; suos ad planetas referendæ. Stellas etiam ipsas commiscere oportet. Etenim qui bellicis in rebus clari sunt, eorum actiones Mars bene collocatus, bonisq; adiutus aspectibus decernit: qui si malè constitutus in genitura fuerit, atq; in deiectis cœli locis positus, artes dare solet quæ ferro igniq; exerceantur. Quocirca si fabri ferrarij, si centurionis cuiuspiam sit ignota natiuitas, pro quo auspicatio quæritur, Mars erit considerandus: siquidem ars ipsa indicio est, in illius natiuitate Martẽ plurimum ualuisse. Meritò igitur accusandi sunt, qui nullo rerum delectu habito, nulla geniturarum obseruatione adhibita, ubiq; stellas beneficas sequuntur, maleficas negligunt: atq; illas quidem in bonis ac primarijs locis statuunt, has uerò in abiectis, in quibus languescant, ac tanquam torpentes iaceant. Ptolemæus quos hodie nostri fortunantes aut infortunantes planetas dicunt, καλοποιοὺς atque κακοποιοὺς ἀστέρας uocat: nos eum in interpretatione sequuti, ut uerbum uerbo reddamus, beneficas atq; maleficas, id est salutares ac nocentes stellas dicimus. Et benefici quidem planetæ sunt Iupiter ac Venus, malefici uerò Mars atq; Saturnus.

PTOLEMAEVS. XI.

Diem horamq; non antè eligas quàm propositæ rei noueris qualitatem.

PONTANVS.

In ijs quæ ad electiones pertinent, primum hoc præceptum traditũ est, ut electio ipsa natiuitati conueniat. Secundum, ut maleficis etiam stellis adhibita, salutarium temperatione utamur. Tertium est, ut antequam diem aut horam auspiceris, rei ipsius quam tibi agendam proponis, naturã optimè noscas: qua ignorata, eligere nequaquam rectè ualeas. Siquidem pro rei natura tum planetæ ipsi, tum cœli loca signaq; aut fugitanda, aut capienda sunt. E quibus efficitur, ut in diebus horisq; auspicandis duo in primis considerandæ sint, agendæ rei qualitas, & eius qui agere uult natiuitas: quorum alterum si malè fuerit obseruatum, utilis esse susceptæ electio uix poterit. Quandoquidẽ & agricola prius quàm serit, tum agri ipsius naturam,

naturam, tum etiam seminis qualitatem considerat. Neque enim, ut Virgilius ait, terræ ferre omnes omnia possunt. Itaq; quando non omnibus sunt omnia à cœlo stellisq; promissa, nec omnes planetæ in rebus omnibus æquè influunt, non solùm genesis ipsa inspicienda est, sed rei quam quis agendam sibi proposuit, qualitas naturaq; pensitanda, qua pensitata & cognita, poterit in electionibus commodas stellas admittere, illisq; pro rei ipsius suaq; ipsarum natura uti, quo simul omnia conueniant: siquidem citharœdi ubi quam modulari cantionẽ uolunt, antè cantionis ipsius numeros expendunt, chordas inde prætractant, & ijs quidem in locis, quæ cantici numeris consentire habeant: medici quoq; non antè remedium ægroto adhibent, quàm morbi naturam probè teneant. Idem itaque eueniet astrologo quod et medico, ut uterq; plurimum peccet: ille si morbi curandi, hic si rei pro qua fit electio, naturam ignorauerit. Neq; enim artifex ignorata materiæ qualitate, cõmodè apparare illam operi suscepto potest. Conuenienter itaque Ptolemæus sententiam hanc superiori statim subiecit, docens signis ac planetis pro subiectæ rei qualitate utendum esse. Etenim qui diem equestribus concursionibus statuit, uidere debet uti Luna Martẽ minaciter aspiciat, sitq;, si fieri poterit, in Martis domicilio collocata, atq; in Ariete præsertim: nam Scorpius insidijs aptior est. Qui ad concurrendum egreditur, horam eliget, qua Mars ipse uel ab orientis cardine exurgat, uel ad cœli medium progrediatur, qui si Venerem ijs in locis elegerit, nihil dignũ ea concursione geret. Qui iter suscepturus est, domum nonam, & item septimam atq; octauam fortunabit: siquidem nona eorum quæ in itinere eueniura sint, significationem habet: septima locum indicat, ad quem iter suscipitur: octaua uerò index est eorum, quæ illo sint in loco euentura. Contrà qui peregre domum reuertitur, primam & secundam & tertiam fortunabit domum: quando altera locũ, ad quem regressio fit, indicat: altera, quid illic post reditum: tertia, quid in ipsa reuersione sit euenturum.

PTOLEMAEVS. XII.

Amor odiumq; ne uera eueniant iudicia prohibent, siquidem minuunt maxima, augent minima.

PONTANVS.

Amor odiumq; siue animæ sint affectus, siue hominis ipsius, qui ex anima constat & corpore, mentem à uero deflectere, rationemq; ipsam labefactare, ubi maiores uires habuerint, solent. Nam & in eos quos amamus indulgentiores sumus: siquidem pro magno peccato paululum supplicij satis est patri: & quos odio habemus, eorum supplicijs ac malis exatiari uix possumus. Has passiones & in consulendo & in iudicando plurimũ obesse

non est qui dubitet. Nam & qui res publicas administrant, si amicitia simultaté ue uincantur, fieri non potest, uti in commune consulant. Et qui de hominũ capitibus sententias dicit, si affectus hos sequatur, illum quamuis grauiore pœna dignum, propter amorem aut absolutum dimittet, aut longè minori, quàm quod à lege statutũ est, supplicio afficiet: ab hoc uerò quòd odio præceps rapitur, pro leui peccato etiam grauissimas pœnas exiget. Nam in ijs quos amamus & grauiora errata præterimus, & uirtutes quanquam leuiores, magnificis tamen laudibus prosequimur: contrà in aduersarijs leuissima peccata conuicios issimè inceßimus, morésque licet spectatißimos despicienter abijcimus, atque obscuramus. Iure igitur Ptolemæus cauendos affectus hos præcipit & in natiuitatibus, & in electionibus iudicandis, ne si ex felici stellarum constitutione ocium, pecunia, supellexque multa promittatur: rursus si ex infelici radiatione labores, paupertas, grauiáque pericula portendantur, odio aut amore uicti impediamur, quò minus ueras sententias proferamus. Quemadmodum itaque prætor, ac iudex æquus, legum ipsarum personam in iudicando induit, sic uerus mathematicus stellas ipsas, ac cœli statum decretáq; sequetur, à cuius significationibus, atque ab artis disciplinæq; institutis, ob beneuolentiam, maleuolentiam'ue nullo modo recedet aut demendo aliquid, aut addendo. Quamobrem in ferendis sententijs, futurisque prædicendis, non solùm regulas quæ suprà positæ sunt, seruare mathematicus debet, sed in primis cauebit, ne affectibus his uictus, bona malá ue à stellis decreta aut significata, maiora minorá ue futura pronunciet, siue de amico, seu de inimico iudicium sit laturus. Iudicium ac sententiam indifferenter dicimus, quod græcè est ἀποτέλεσμα: nam & hodie astrologi iudicare dicuntur, & eorum prædictiones iudicia uocantur: alibi quum de stellis loquimur, & effectus, & decreta, & significationes, nec non euenta pro arbitrio dicimus.

PTOLEMAEVS. XIII.

Quum cœlestis constitutio quippiam significauerit, adiutricibus etiam corruptiuis stellis, hoc est secundarijs utere.

PONTANVS.

Dictum est in primo uerbo oportere mathematicum signa sequi atque coniecturas, quod etiam apud Ciceronem in primo libro de diuinatione Quintus frater confirmat, quum ait augurum, astrologorum, quinetiam medicorum artem opinabilem esse, coniecturáque contineri, & iure quidem quan-

dem, quando & medici, & agricolæ, & nautæ signa sequuntur, ex quibus futura coniiciunt: in urina enim quæ cernuntur signa, magna ex parte morbum indicant. His accedunt uigiliæ, horrores, pallor, suspiria: permulta in oculis, in naribus, in lingua, in uoce, in alijs etiam corporis partibus signa sentiuntur. Et uespertina, matutináque cœli siue serenitas, siue obscuritas, aut rutila imnubilatio, futuras tempestates decernunt. Ad hæc pluuia solstitialis, hyems serena, uer pluuium, & alia multa (est enim prognosticorum magna uis) futurum segetis prouentum indicant: nec uerò diuturna obseruatio ratione caret. Atque ut ad mathematicos ueniamus, signa, quæ ipsi persequuntur, sunt ea quæ secundaria dicuntur, quæ in elementis ipsis cernuntur, ut cometæ, ut motus terræ, ut uehementiores tum pluuiæ, tum siccitates, ut uenti, & eius generis alia. Motus igitur, progressionésque cœlestium corporum, qualitates elementorum, quæ illis subiecta sunt, cient, quorum posteà mutationes corpora & ipsa nostra sequantur. Neque enim pestes, frigora, annonæ inopia, diluuiones, exustiones fiunt, nisi à causis antegressis. Etenim quæcunque fiunt, ut ab aliqua fiant causa, necesse est. Quocirca mathematicus, qui ab aliqua eclipsi, aut à stellarum coniunctione, quæ in aliquo cœli cardine facta est, aut pestilentiam, aut aliud morbi genus indicari sentit, si hyeme plurimos Austros, si uere continuas pluuias, eásque ab eisdem Austris fundi uiderit, nactus hæc signa, quum intelligat futurum, ut aduentantibus caloribus humida illa uis corrumpatur, nimirum affirmare poterit, multas æstate futuras ægritudines, quod & sagax quoque medicus sentiet. Itaque sequutus signa hæc, ex ijsq; coniecturam capiens, quum à secundarijs sese adiuuari intellexerit, ueras nimirum sententias proferet, intellectis enim causis, habitisq; causarum ipsarum signis, à futuris rerum euentis non decipietur. Ex quibus efficitur, ut quemadmodum prudentes medici non statim inspecto ægroto de illius morbo iudicant, sed signa prius uidere uolunt, prognosticaq; expectant, sic diligens cautúsque mathematicus, in ijs maximè quæ in uniuersum spectant, ubi minaces eclipses, aut coniunctiones uiderit, ut prædicere certiora ualeat, secundaria considerabit: quæ ubi unà consenserint, uix illi relinquitur, an quod præsenserat, de illo habeat dubitare. Quod idcirco dicimus, quòd non semper actiuis passiua consentiunt. Vbi uerò secundaria uisa fuerint, certum est, patientium naturam suscipiendis agentium stellarum qualitatibus aptam esse. Stellæ autem corruptiuæ, quæq; cœlestium stellarum decreta adiuuant, sunt ea quæ in elementis cum exuperantia, & ui quadam maiore fiunt, ut siccitates, aut pluuiæ nimiæ, ut uenti diutius ab eadem mundi parte flantes, ut cometæ, ut frequentes tra-

iectiones igniũ, qui per aërem feruntur, ut serenitates assiduæ, diuturnæ ue innubilationes, quæq; alia confirmandis stellarum decretis plurimum momenti habent. Nam in reuoluendis mundi annis, hoc est Sole Arietẽ ingrediente, si cœli constitutio morbos pestilentiamq; indicauerit, propter iniquam Martis Saturniq; collocationem, & hyems humida calidaq; præcesserit, hac tanquã secunda causa mathematicus ad prædicendum utetur. Siquidem ubi calidum humidumq; hyeme exuperauerit, propter eam quam habent corrumpendi naturam, cœlesti constitutioni plurimum conferent: quæ idcirco secundaria Ptolemæus appellauit, q; secundas uires habeant, quando prima uis in cœlo stellisq; cœlestibus inest, secunda in elementis quæ ab illis cientur. Vocauit & corruptiua, quòd omnis elementorũ exuperantia corruptionẽ adducat. Conferre autem atq; opitulari propterea dixit, quòd ubi elementorum qualitates accidentiaq; cum stellis ipsis consenserint, longè ualentius atq; acrius cœlestia influant corpora: quocirca secundas stellas nominauit, propter secundam uim illis insitam. Secundæ uerò hæ causæ primis non semper conueniunt causis, ob præteritas stellarum constitutiones. Nam ubi planetarum configuratio prægressa est, huic de qua dixi, Saturni Martisq; constitutioni contraria, quòd illa prius elementa pro natura sua affecerit, nequaquam poterit subsecuta Martis Saturniq; constitutio, materiamq; sibi aduersantem nacta, tantam ad nocendum potestatem uendicare. Sunt tamen qui stellas has, id est secundaria, intelligi uelint stellas, quæ extra zodiacum à septentrione meridieq; ferantur, quòd uires impares uiribus stellarum, quæ signifero feruntur, habeant: ac si quæ in ipso signifero collocatæ sunt, pares uires, pares q; omnium irradiationes sint. Quocirca falsò uidentur opinari: quin Ptolemæus quum ad prædictiones faciendas à signis coniecturis q; uehementer adiuuari mathematicũ iudicet, de ijs potius stellis præcipit, in quibus signa & tanquam notæ futurorum cernãtur, quas à uirium potestatis q; similitudine stellas uocauit, quòd cœlestes stellæ primæ causæ quum sint, elementa ipsa secundæ stellæ, id est, secundæ causæ essent. Atq; hæc quidem regula superiori regulæ rectè subijcitur à mathematicis obseruanda.

PTOLEMAEVS. XIIII.

Quantis in erroribus uersatur astrologus, quum locus septimus, atq; eius dominus, afflicti erunt.

PONTANVS.

Quum multa præcepisset, quæ mathematicis seruanda censeret, illud etiam addit, quod inspici ante omnia in quæstionibus, hoc est interrogationibus debeat. Etenim si est aliqua cœli pars quæ detur interroganti, & mathematico

thematico sua dabitur. Datur autem interroganti ascendens, & iure quidem, quando ea cœli pars quum moueri supra terras incipiat, uidetur esse causa cur aliquis ad consulendum, id est interrogandum, moueatur: eius autē qui quærit interrogatio, et quærendi finis eò spectat, ut id de quo incertus est, sciat. Accedit is itaq; ut ignorans ad scientem: ignorantia uerò & scientia è regione sibi aduersantur. Dabitur itaq; mathematico, utpote scienti, locus, qui sit ignorantis loco oppositus: opponitur autem ascendenti occidens. itaq; occidens, id est septima cœli domus in figura constituenda danda est mathematico, ut consultoris sit prima domus, cōsulti septima. Scio quantos hinc mihi concitem aduersarios, sed ueritas præferenda est. quis est enim nostrorum Astrologorum, uiuentium dico, qui nullo mathematicis loco attributo, occidentem cœli cardinem, id est septimam domum, non attribuat rei quæsitæ? Omnes hoc sentiunt, sequuti Arabes, seu Syros quosdam scriptores, à quorū libris, in linguā nostrā malè translatis, utinā hic solus ductus error esset. Sed ne solus ipse hoc sentire uidear: quanq̄ hoc ipsum sentire Ptolemæum ex suis ipsius uerbis manifestum est: ne solus inquam sentire hoc uidear, audiatur & græcus quidam interpres: Ascendens eiusq; dominus, ubi quis de re aliqua mathematicum consulit, pro consultore accipiendus est: pro ipso autem consulto septima domus, atq; eius dominus, qui si malè affecti fuerint, astrologo damnū portendunt: damnū autem erit, ipsum ad quod quæsitum est, uera nullo modo responsurū. Quā obrem Indi mathematici, quum septimum locum, eiusq; dominum malè se habentes inueniebant, ad ea de quibus consulebantur, nihil respondebant, ueriti ne falsa pronunciarent. Hæc græcus autor. Accidet autem mathematico, quum domus septima, & eius signi dominus, malè se habuerint, quod accidere solet, quū offusæ oculis nebulæ prospectum eripiūt, quodq; & philosophis, & usu etiā probatis uiris sæpenumero accidit, ut ad propositas de rebus etiam leuioribus quæstiones aliquando caligent, quòd acumen eorum quodam quasi situ obducto intorpuerit, propter crassos hebetesq; humores, qui spiritus ipsos obtundunt. Græcè ubi à nobis astrologus dicitur, est ἐπιστήμων, hoc est sciens, uti in primo & quinto enunciato. Placuit autem hoc in loco magis astrologum dicere, quoniam particulare nomen quum sit astrologus, sciens uerò generale, rem expressiorem reddimus, astrologum, quàm scientem conuertendo. Ad hæc ubi græcè est κακωμένος, à nobis traductum est, afflicti. quanquam etiam posset non minus propriè dici, malè affecti. Alibi quoque κάκωσιν afflictionem conuertimus. Quid autem sit afflictio, malaq; affectio, seu malus loci aut planetæ habitus, declaratur à nobis trigesimonono, & quadragesimo primo enunciato. Sunt qui hodie dicant loci impedimentum, & planetam

impeditum, & quod à nobis dictum est, malè affecti, aut afflicti, ab ipsis dicitur impediti.

PTOLEMAEVS. XV.

Ascendentia inimicorum regni, sunt signa ab ipsius regni ascendente declinantia. Amicorum uerò ascendentia, sunt cardines, locaq; succedentia. Idem & in dogmatibus.

PONTANVS.

In natiuitatibus, in electionibus, in regnis auspicandis, in magistratibus ineundis, in inceptis deniq; omnibus, primæ ac potissimæ significationes, quatuor sunt cardinum, secundæ succedentium illis locorum. Cardines uoco ortum, occasum, medium cœli, id est, culmen & imum. eosdem etiam angulos cuspidesq; cœli uocari à recentioribus uideo. Græci appellant κέντρα, loca uerò eis succedentia ἐπαναφορὰς. Primo cardini, id est ascendenti, succedit secunda domus: cardini huic opposito, id est, septimæ domui, succedit octaua: culmini, id est domui decimæ, succedit undecima: imo cœlo, quæ est quarta domus, quinta succedit. Signa itaq; cardinalia in regno auspicando, illisq; succedentia, indicant regni proceres, amicos, consiliarios, fautores, defensoresq; illos fore, in quorum natiuitatibus ascendentia ipsa fuerint. uerbi gratia: Cui regno Aries ascenderit, signa ascendentia amicorum fautorumq; eius erũt Libra, Capricornus, Cancer, & idem ipse Aries, quæ sunt signa cardinalia in ea figura: item Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, qui succedunt illis. Contrà uerò signa ab ipsis angulis, id est cardinibus declinantia, aduersantium inimicorumq; ascendentia sunt, Pisces qui cadunt ab Ariete, Sagittarius qui declinat à Capricorno, & Virgo quæ Libra cardinem tenente descendit. In tertio autem signo licet illud à cardine imo cadat, alia ratio sequenda est, quòd ascendẽs ipsum amicis radijs intueatur, atque ad illud festinet, ex infimo ad superna progrediens, quæ ratio diuersa est in domo nona: quamuis enim è triangulo domum primam aspiciat, præceps tamen deijcitur, & ab alto deorsum ad occasum rapitur. Nec uerò hæc sine ratione dicuntur, quando nec Virgo Libram, nec Sagittarius Capricornum, nec Pisces Arietem intuentur, quibus in signis regni, de quo loquimur, cardines positi sunt. Quanquam autem Taurus non intuetur Arietem, succedit tamen illi tanquã auxilium allaturus, locumq; eius subiturus. eodem modo Aquarius succedit Capricorno, Leo item Cancro, & Scorpius Libræ: quum signa præcedentia & deiecta non solùm nõ aspiciant subsequentia, sed illa deserant, ab eisq; tanquã præcipitentur, appareatq; aliò ea tendere atq; inclinare, cõtrà signa succedentia ad

tia ad angulos quæq; suos proficiscantur, eoq; contendant. Quocirca priscos Aegypti reges tradunt instituisse, ut eorum qui nascerentur genituris inspectis, si quorũ genituræ inuentæ fuissent horoscopantes in signis à regni horoscopo decidentibus, quæ potentes beneq; collocatos in figura dominatores habuissent, ut ij statim occiderentur, ne quando aduersum se mouere arma possent. In cuius uerò natiuitate ascenderit signum ex regni carditibus, aut ex succedẽtibus, is erit ex regni primoribus, atq; è regis ipsius familiaribus, pro stellarum benignitate atq; præsidio. Quod autem ait Ptolemæus, idem & in dogmatibus, nonnulli etiam ad initia religionum ac sectarum transferunt: sed quum Cicero dogma decretum interpretetur, ut de ciuilibus factionibus, decretis, edictisq; sentiamus, factionis cuiusq; sectatores amiciq;, rursus contemptores aduersariisq; eadem ratione cognoscentur. Ciuilibus item constitutionibus, decretisq; publicis ferendis dissuadendisq;, qui aut suffragatores, aut dissuasores futuri sint, eadem uia intelligetur. Vrbis etiam cuiusq; horoscopus, signum est illud quod ab oriente cardine in primis eius fundamentis iaciendis ascenderit, à quo significantur quæcunq; seu bona, seu mala ciuibus euentura sint, pro figuræ ipsius constitutione. Vbi quispiam ciuitatis alicuius dominatũ adeptus est, ab ascendente adeptionis eius intelligetur, imbecillá ne an ualida futura sit in populo domini potentia. Horoscopus dogmatis, siue edictum, siue decretum, seu factionem sectam'ue interpretari uelis, est signũ quod ascendit, ubi uel decretũ fit, uel edictũ publicè edicitur, uel factio prævalere in ciuitate incipit.

PTOLEMAEVS. XVI.

Quum in octauo loco beneficæ dominabuntur, damnum à uiris bonis afferunt: quæ si bene affectæ fuerint, illud dimouebunt.

PONTANVS.

Maleficæ stellæ, quas & maleuolas, & nocentes, & infortunatrices uocamus, Ptolemæus κακοποιοὺς appellat, si mutare naturam pro locis in quibus reperiuntur, proq; natura rerum, quæ ab ipsis significantur, solent, ut antè autor ipse docuit, profectò consequens erit, uti beneficæ fortunatrices q; pro rerum locorum q; natura & ipsæ potestatis suæ naturã mutent, quod nunc docet, inquiens beneficam, si octauo loco præfuerit, damnum inferre. Sunt in figura loca quædam pigra, deiecta, minacia: quippe quæ nulla cum horoscopo radiatione iungantur, qualis est octauus & duodecimus locus eorum quæ sunt in parte cœli superiore, & huic oppositus sextus locus in cœli parte inferiore. Quocirca Græci ueteres sextum locum malam fortunam, duodecimum uerò malum dæmonem, à nocendi potestate uo-

cauerunt. Noſtri autem alterum ægritudinis, alterum mœroris & carceris dicunt locum: at octauum, quòd eius natura ſit pernicioſior, mortis locum nominant. Octauo itaq; loco, quam ἐπικαταφορὰν Græci uocant, unde damna malaq; proficiſci Ptolemæus innuit, benigna ſtella ſi præfuerit, propter loci ipſius maliciam, detrimentum afferet, quod probi & honeſti uiri cauſa operaq; afferetur, quæ quidem opera honeſta & recta per ſe ſit, cæterùm quæ nato illi uertat malè: ut ſi quis arceſſitus in iudiciũ abnegatæ pecuniæ gratia, integri alicuius uiri ad iuſiurandum adacti teſtimonio conuincatur. An non uides damnum hoc dari, pecuniam abneganti, ob uiri boni teſtificationem perperam iurare nolentis? Ex quo fit, ut beneficæ ſtellæ pro loci reiq; natura uim poteſtatẽq; aliquando mutent. Quando autem inſita ſtellæ benignitas non facilè uincitur à loci malicia, ſi felicibus ſtellæ alterius radijs benefica in octauo poſita illuſtrabitur, damnum illud felici hac illuſtratione prohibebitur. Atq; hæc quidem ad Ptolemæi ſententiam explananandam ſatis ſint. Sed cõuertamus, ſi placet, hanc tam appoſitam naturalemq; iudicandi regulam, quod et quidam ante nos fecere, dicamusq;, ſi bono rurſum loco malefica ſtella dominetur, euenturum nato bonũ improbi cuiuſpiã uiri opera & beneficio: ut ſi uili emamus à raptore prædam, quã poſtea cariſſimo uendamus alijs, quod quidem lucrũ oblatũ nobis eſt raptoris ac nefarij hominis beneficio. Sed quũ cœli loca ſuapte natura ſint aut minacia, aut fauorabilia, & planetarum alij benefici, alij malefici eſſe cernãtur, efficitur ut aliâs bonis locis planetæ ſalutares præſint, aliâs noxij: rurſus ut locis malis nunc beneficæ ſtellæ, nunc maleficæ dominentur: quæ è re quatuor mixturæ, quædamq; quaſi temperationes ſtellarum ac locorum fiunt. De quibus ſingulis hæc præcepta traduntur, ut bonis locis ſi bonæ ſtellæ præfuerint, bonum, lucrum, fauorẽ, per bonos & claros uiros, ac bonorum uirorum opera, aut ex bonis artibus promittant: quæ ſi felicibus ſtellarum aliarum teſtimonijs adiutæ fuerint, promiſſa bona duplicabuntur: contrà minuentur, ſi noxij planetæ infelicibus radijs eaſdem percuſſerint. Sin maleficæ ſtellæ fauorabilibus locis præfuerint, improbi & nefarij uiri opera, aut per flagitium futurum bonum decernitur: quod accumulabitur, ſi beneuolæ fuerint ſtellæ radijs illuſtratæ: ſin hoſtiliter à nocente planeta feriantur, decreti boni magna fiet imminutio. Rurſus ubi minacibus locis planeta infelix dominabitur, damnum ac malum à uiris malis ſceleratisq;, aut per impuritatem ac turpe facinus futurum obnunciatur: quod augebitur, ſi maleficæ alterius uiolentia acceſſerit. Sin bonus planeta malo loco præfuerit, boni & incorrupti uiri opera aut benefaciendo rectèq; agendo malum damnũq; obueniet: quod erit maius ac nocentius, ſi nocens illum radius percuſſerit: contrà prohibebitur, ſi ut Ptole-

ſi ut Ptolemæus ait, benefica ipſa ſtella bene affecta, bonisq; irradiationibus illuſtrata fuerit. Hæ ſunt igitur ſtellarum ac locorum mixturæ, ex quibus potiſſimum tam multæ uariæq; bonorum malorumq; uiciſſitudines, tantaq; rerum uarietas contingit, ut alios maleficia iuuent, alios benefacta condemnent: hos malæ artes efferant, illi ob uirtutem deprimantur: huic proſint ſcelera, illi noceant rectè facta: huius bonæ actiones ob inuidiam ingratitudinemq; nullum præmiũ conſequantur, illius locupletetur ignauia: hic diteſcat per rapinas, ille dum continenter uiuit, omnia aduerſa patiatur: quorum exemplorum uita mortalium plena eſt.

PTOLEMAEVS. XVII.

Quum de ſenis cuiuſpiam uita iudicas, non antè iudicium feres, quàm dimenſus fueris, quot ille poſſit annos uiuere.

PONTANVS.

Hoc Ptolemæi dictum pleriq; ſic interpretantur, ut putent non debere de nati uita, deq; eius euentis antè iudicari, quàm compertum fuerit, an ea genitura ſit hominis, ne quando belluæ cuiuſpiam genitura propoſita, fortaſſis affirmaretur, diutius illam quàm à natura tributũ eſt uicturam: quã nos opinionẽ minimè condemnandam ducimus, potius tamen cum ipſo Ptolemæo ſentimus, qui in libris Apoteleſmatum ait, ridiculos eſſe mathematicos eos, qui de nati moribus, felicitate, euentisq; alijs antè iudicant quàm uideant, an ille tam diu ſit uicturus, dum ad felicitatẽ infelicitatem'ue à cœlo decretam uiuendo perueniat: quod ipſum Ptolemæi uerba ſatis apertè dictant, quando ait: quum de ſenis alicuius uita iudicas, id eſt de ijs quæ illi obuentura ſunt in uita, dum ſeneſcat, nolis prius iudicare quàm uideris, quot eum annos à cœlo permiſſum ſit uiuere: hoc eſt, quàm probè noueris, an decretum boni mali'ue tempus poſsit attingere: quod idem ait in tertio Apoteleſmatũ libro, ut paulò antè teſtatus ſum. Et profectò prima mathematici perſcrutatio de conſtituto uitæ termino eſſe debet, quando ad uiuentes euenta rerum, non ad mortuos pertinent. Ac ne fortè in hoc pertinaces uideamur, licet græca uerba hoc non innuant, utrunq; tamen præceptum mathematico ſeruandum ſtatuimus in genituris inſpiciendis, ut & uideat ne fallatur belluæ fortè genitura propoſita, & diligenter annos nati dimetiatur, quos exactè colliget, ut antequam de ijs, quæ inter uiuendum euentura ſunt, ſententiam ſuam ferat, probè nouerit, quod illi uiuendi ſpatium ſit ab aſtris tributum. Etenim ſicut in auſpicationibus faciendis ſeruandum ſuprà præcepit, uti propoſitæ rei qualitas ante diem horamq; capiendam inſpiceretur: ſic in genituris explicandis, antequam mala bona'ue obuen-

tura pronuncientur, inſpiciendum hîc præcipit, an ad bona malá ue à cœlo promiſſa natus ille peruenturus ſit. Nam ſi ad promiſſam à ſtellis felicitatem infelicitatem'ue peruenturus non eſt, fruſtra opera inſumitur ad ea prædicenda, quæ incaſſum ceſſura ſunt.

PTOLEMAEVS. XVIII.

Quũ ambo luminaria in eodem minuto fuerint, ſi aſcendit benefica, natus æquè ſanè in omnibus quæ inciderint, bene fortunatus erit. Simili modo, ſi & inuicem opponentur ab ortu atq; occaſu. Sin malefica eſt in aſcendente, contrarium ſentias.

PONTANVS.

Poſt generales has regulas paulatim ad explicandas planetarum uires Ptolemæus *progreditur: et quia Solis ac Lunæ maxima poteſtas eſt nõ in ijs ſolùm quæ corporis ſunt, ſed quæ ad animum quoq;, atq; externa etiã bona pertinent, de Lunæ Solisq; apoteleſmatibus primò præcipit. Ac prima quidem de bonis malisq; externis ſententia traditur, ut quum tanta utriuſq; uis in externis ſit, manifeſtior fiat eorum in corporibus dominatus. Pars fortunæ in natiuitatibus explicandis ſumma diligentia eſt uidenda: ea enim malè cognita, quæ poteſt eſſe de fato hominis uera certaq; prædictio? hæc ab intercapedine, hoc eſt diſtantia Solis Lunæq; inter ſe capitur, deduciturq; ab aſcendentis gradu, per ſigna locaq; ſubſequẽtia. Quo circa qui Solem Lunamq; in eodem minuto naſcens habuit, ſalutari ſtella horoſcopum tenente, is quũ locum fortunæ in ipſo aſcendente, id eſt in primo cardine, ac præcipua cœli parte cum ſtella fortunatrice ſortitus ſit, in omnibus mirificè fortunabitur, rerumq; illi copia plurimarum affluet, ut propter aſcendens, partemq; fortunæ, et beneficam illic præſidentem, in bonis tum corporis, tum fortunæ quam fortunatiſſimus futurus ſit, & (ut græcus textus habet) in omnibus quæ ad ipſius peruentura manus ſunt, quæq; ab ipſo tractabuntur. Quòd ſi contingat duo hæc cœli lumina Solem Lunamq; ab ortu atque occaſu in eodem opponi minuto, ſalutaremq; ſtellam in orienti cardine collocari, qui genituram hanc habuerit, erit etiam abundè felix fortunatusq;: quippe qui ſortitus fortunæ partem in cardine occidenti habeat fortunatricẽ ſtellam cum altero luminari in aſcendente. Contrà uerò multis ille malis undique uexabitur, in cuius natiuitate Solis hæc Lunæq; coniunctio oppoſitiõue contigerit, noxia ſtella ex horoſcopo minitante: ſiquidem fortunæ pars in ortu aut in occaſu poſita, hoſtilibus maleficæ ſtellæ radijs, quæ in primo ac potißimo cœli loco principatum habet, infeliciter impugnatur.*

PTOLE-

PTOLEMAEVS. XIX.

Vis purgationis hebetatur, quum Luna fuerit Ioui coniuncta.

PONTANVS.

Corpora noſtra Lunæ motum ſequuntur, unde & dominari Lunã corporibus dicunt, idq; tum aliàs, tum maximè ægrotantibus nobis cernitur, quod phyſicorum nemo eſt qui neget. Etenim ſi corpora inferiora ſuperiorum corporum motus ſequuntur, quum ſit Luna ſtellarum citima, terrisq; finitima, neceſſe eſt ab eius progreſſionibus corpora noſtra tum uehementius affici propter uicinitatẽ, tum ſæpius propter celeritatem: nam quum uelociſſimo curſu diebus ſeptem & uiginti cœlum omne circumeat, interim à planetis quibus cum diuerſis modis rationibusq; coniungitur, diuerſas poteſtates mutuatur, mixturasq; multipliceis ſuſcipit, quas corporibus noſtris refundit. Itaque, ut inferius dicemus, quum incrementa noſtri corporis ad Iouem referentur, ac uita ipſa noſtra calido humidoq; potiſſimum conſtet, cuius qualitatis Iupiter eſt dominus, quoties Luna Ioui copulatur, mirificum corpora ipſa noſtra uigorem inde ſuſcipiunt. Quæ ubi uegetiora facta ſunt, uiresq; maiores ſumpſere, uim pharmacorũ ſuperãt, & medicamenta ipſa concoquunt: ex quo fit, ut ea noxios eijcere humores nequeant. Hæc igitur ratio eſt, cur medici prouidere debeant atque cauere, ne potiones ægrotis dentur, quum Luna Ioui coniungitur, ex qua coniunctione tantum corpori roboris adijcitur, ut uis potionis hebetata, corpore fortiter reluctante ſuccumbat. Quantopere autem Lunæ curſus ſit à medicis in curationibus obſeruandus, docent tum ſeptimi quiq; dies, tum alia etiam multa, in primis q; quod miſceri ægrotis potiones, quum Luna Soli cohæret, prohibitum eſt.

PTOLEMAEVS XX.

Membrum ferro ne percutito, quũ Luna ſignũ tenuerit, quod membro illi dominatur.

PONTANVS.

Quum duplex ſit medicina, & altera potionibus curet, altera manu, unde & χειρουργία dicta eſt à Græcis: de utraq; Ptolemæus præcepta tradit. Quumq; uerbo ſuperiore Lunæ curſum in purgandis corporibus obſeruandũ præcepiſſet, cauendamq; Lunæ ac Iouis coniunctionẽ dixiſſet, hoc quod ſtatim ſequitur enunciato docet, in feriendis uenis, tuberculisq; cædendis, cauendum etiã eſſe, ne Luna id cœli ſignum permeet, cui membrum feriendum ſit attributum. Etenim quũ Luna totũ corpus humectet,

id tamen membrũ humoribus affluentius implet, quod signo illi subiectum est, per quod tunc ipsa discurrit, ex cuius nimia humectatione magnũ membro nocumentum afferatur, si ferro tunc ictum fuerit: ex quo non modò difficilis, uerumetiam periculosa curatio sequatur: siquidem ulcera, neruorũ distentiones, aliaq; item mala consequi soleãt. Atq; ut quod signũ cui membro præsit exponamus, Caput attributũ est Arieti, collum ac ceruix Tauro, humeri & brachia Geminis, Cancro pectus, latera & stomachus Leoni, uenter Virgini, Libra uendicat sibi renes ac uertebras, Scorpius pudenda, coxas Sagittarius, genua Capricornus, Aquarius crura, Piscibus, quum sit ultimũ cœli signum, pedes, hoc est postrema corporis pars, cessit in sortem. Est itaq; prudentis & cauti medici, Lunæ cursum optimè tenere, ne fortè aliquam corporis partem scalpello feriat, quo tempore præter cæteras humectatur à Luna. Periculosiora sunt etiã uulnera illata, Luna peragrante signum quod parti uulneratæ dominatur: difficulter enim ac uix absque magno membri eius sanantur incommodo.

PTOLEMAEVS. XXI.

Quum Luna fuerit in Scorpio aut Piscibus, do minusq; ascendentis stellæ sub terram positæ copulabitur, bonum est purgationibus uti. Si uerò copulatur stellæ supra terram constitutæ, potionem qui sumpserit euomet.

PONTANVS.

Rerum cœli peritia, & eorum quæ Luna in corporibus nostris agit cognitio, ad medicos uel in primis pertinet, ut salutaris remedij mixtura cũ stellarum signorumq; mixturis ac temperationibus conueniat, cœlestisq; actio rerum terrestrium actionibus consentiat. In signifero tria signa humentia esse perhibentur, unde & humida triplicitas, hoc est triangularitas à nostris dicitur, Cancer, Scorpius, Pisces. Quũ itaq; similia similibus uires addant, contraria demant, humida signa uidentur plurimum adiumenti purgando corpori conferre, ubi Luna corporũ ipsorum domina ijs in signis collocabitur: quod solertem medicum, nisi maiora cogant pericula, expectare oportet, ut Lunæ signiq; auxilio addito, maiores uires educendis humoribus potio ipsa capiat. Quoniã autem medicus eò respectat, ut pestilentes sordes aluo subducantur, eligendum est tẽpus quo Luna ijs signis feratur, quæ tum humida sint, tum inferioribus nostri corporis mẽbris præsint, quales sunt Scorpius ac Pisces, ut non modò propter conuenientem signi qualitatem Luna magis ac magis sordes atq; aluum citet, sed quod citatum fuerit, ut ad loca inferiora præsidentis signi beneficio eiectet.

Quod

Quod uerò ad Cancrũ attinet, licet Lunæ domus, licet humidum signum sit, citandis tamen deorsum humoribus non est aptus, siquidem ei præst corporis parti, quæ uomitum potius moueat. Quando autem, ut dictũ est, maxima est ascendentis uis, inspicere medicũ oportet, ut qua hora purgatio datur ægroto, ascendentis signi dominus sit planetæ subterraneo aut aspectu, aut coniunctione copulatus, quò duplicatis uiribus noxiæ sordes trudantur inferius. Nam si stella ascendẽtis domina cõiungatur stellæ, quæ cœlo superiori feratur, excitata nausea mouebitur stomachus, quẽ motum subsequens uomitus purgationem ipsam impediat. Quamobrem non modò potiones ipsæ temperandæ sunt, ut salutaris actio consequatur, sed cœli quoq; ac stellarum uires miscendæ, quando, ut in secundo uerbo dicitur, tales effectus, talesq; actiones aut passiones hinc proueniunt, quales cœlum stellæq; moliuntur.

PTOLEMAEVS XXII.

Vestem nec primùm induas, nec incîdas, ubi Luna fuerit in Leone collocata. Est autem peius, si eadem malè affecta fuerit.

PONTANVS.

Nec in cœlo quicquã est superuacuum, quum ex omni parte tantopere constet sibi, tantoq; feratur ordine: nec eorum quæ ad generationem interitumq; conueniũt, est aliquid quod causa careat sua, quum nec generatio, nec interitus fiat à casu. Sed quum sit aliud alio diuturnius, longiusq; perennet, diuturnitas autem constet è spatio quod medium inter principium exitumq; interlabitur, quemadmodũ nec generatio, nec corruptio, sic nec medium illud erit absq; ratione: nam cuius & principij, & finis causa existit, existet etiam & medij interfluentis. Constat autem fieri hæc à motu, motusq; principium à cœlo esse: erit ergo & cœlestis motus diuturnitatis ac breuitatis causa. Ex quo factum est, ut obseruatione usuq; monstrante dixerint, in cœlo, id est in regione signiferi, unde generandi & morendi causæ præcipuè deducuntur, esse signa quædam fixa, à stabilitate uidelicet eorũ quæ ipsis aut ascendentibus inchoarentur, aut à planetis significarentur ibidem collocatis. Omniũ autem planetarũ manifestissima rebus mortalibus est Lunæ Solisq; significatio ac potestas: & Sol quidem uitalis potentiæ fons, Luna naturalis esse perhibetur. Quod si est, ut quidem est, corporum dominatus ad Lunam maximè referendus uidetur: quæ quũ, ut dictum est, pro signi quod peragrat qualitate temperamentũ suscipiat, aliasq; atq; alias uires ac potestates adipiscatur, nimirũ ea quæ in signis fixis collocata decreuerit, firmiora erunt. Res aũt quæ corporis usus gratiã

fiunt, eiusmodi esse debent, ut corpori famulẽtur. Quod enim alterius gratia fit, imperfectius est eo ad cuius usum fit, quocirca quum præstantius sit, ĩperare debet. Igitur pallia, uestes, aliaq; indumenta, quæ uestiendi atq; ornandi corporis gratia fiunt, corpori, ad cuius parantur usum, subiecta esse debent, uidendumq; ne aut quũ inciduntur, aut consutis illis quum primùm induimur, Luna sit in signis stabilibus collocata, ac præsertim in Leone, quod signũ cæteris fixis signis efficacius est, quãdo terris nostris quàm cætera fixa magis imminet, easq; directioribus radijs ferit. Quod ubi contigerit, uestes ipsæ quum diutius perennaturæ appareant, fit significatio, aut morbos, aut alia mala, causam futuram, ne illis uti poßimus, aut saltem ut sepositæ atq; in arca conseruatæ ad nullos corporis domini usus comparatæ sint: ac tanto magis, si ab infelicibus radijs Luna percutitur: ex qua percußione, seu ex alio Lunæ ipsius malo habitu obnuntiẽtur carcer, morbi, aut mala alia pro natura planetæ percutiẽtis, ac pro loci signiq; & habitus ipsius malitia. Quocirca in faciendis uestimentis inspiciendum illud est, ut ea tanquam fluxa fragiliaq; ueteraſcant, corpus permaneat incolume, atq; ut ijs consumptis noui comparentur ornatus.

PTOLEMAEVS. XXIII.

Lunæ ad stellas figuratio, natum bene agilem facit: quæ si potentes fuerint, effectiuã: sin imbecillæ, inertem ad agendum cõmotionem indicant.

PONTANVS.

Quanta in corporibus nostris, etiam in ijs quæ cõtingunt extrinsecus, Lunæ potestas sit, licet ex ijs quæ dicta sunt patêre satis posset, tamen ut & in ijs quæ ad animũ quoq; pertinerẽt, uis eius manifestior fieret, docet nos Ptolemæus, & secordiam ingenijq; hebetudinem, & dexteritatẽ agilitatemq; à Luna nobis tribui, pro aspectibus coniunctionibusq; planetarum: nam quum sit corporum domina, corpora ipsa nostra afficit, perinde ut ab alijs ipsa stellis afficitur quotidianis discursibus, applicationibus, coniunctionibus, defluxionibusq;, proprias illarum qualitates uiresq; pro signorum ac locorum natura sibi mutuata. Et quoniam satis etiam constat, Solem generationis parentem esse, uitalémque ab eo spiritum, ueluti à fonte quodam fluere, idcirco in inspiciendis natiuitatibus luminaria ipsa in primis conſideranda sunt, quum alterum corporibus præsit, alterum uitali substantiæ. Videndumq; quibus ipsa cœli partibus ferantur, & qua etiam radiatione, & à stellis quibus, & à quo cœli loco aspiciantur, ut corporis ac spiritus nati qualitates, mixturásque temperare poßimus. Atque ut de Luna loquamur, quemadmodum ipsa lumine proprio caret, accipitq;

accipitq; à Sole ipso lumen, sic corpus cui Luna dominatur, uitalem à Sole spiritum haurit. Quumq; Luna ipsa, utpote infima, cæterorumq; planetarum radijs subiecta, propter celeritatem suæ orbiculationis uarias ab illis qualitates temperationesq; suscipiat, eius naturam affectionesq; nati corpus secutum, ueluti materia quædam suscipiendis impressionibus apta recipias à Luna qualitates suscipit, proq; illarũ susceptione afficitur: à qua etiã affectione & anima corpori iuncta mouetur, secuta motiones concursationesq; quæ in corde fiunt, atque in diuersis cerebri locis: siquidem sentimus appetimusq; prius quàm aut intelligimus, aut agimus. Atque ut de singulis planetis singillatim aliquid naturæ cuiusque proprium tradamus, Saturnus dat cunctationem, grauitatem, patientiam, taciturnitatem, parsimoniam, cautelam. Iupiter benignitatem, modestiam, maturitatem, probitatem, rectitudinem. Mars uirilitatem, fiduciam, perfidiam, iracundiam, crudelitatem, proteruitatem. Sol nobilitatem, elationem, religionem superbiam. Venus splendorem, uenustatem, hilaritatem, simplicitatem, luxum. Mercurius astutiam, computationem, calliditatem, mobilitatem, concitationem, turbulentiam. Luna ipsa dat acumen, elegantias, nec non splendorem, gratiamq; popularem. In cuius itaque natiuitate Luna felici fuerit radiatione à Ioue conspecta, bonitatem, moderationem, ac rectitudinem, quam à Iouis stella sibi mutuatur, nato refundet: quod eueniet propter sanguinis temperamentum: siquidem, ut dictum est, Iouis stella sanguini dominatur: sanguinis autem moderatio plurimùm ad animi ipsius moderationem confert propter motus ipsius temperantiam. Eadem Luna, si Veneris radios in alicuius genitura amico è loco senserit, nimirũ ad proprium splendorem multùm de Veneris splendore, gratiaq; adiunget. Contrà si à Saturno respiciatur, diminuet de suo splendore proprijsq; elegantijs, ac propter arditatem, frigiditatemq; ad parsimoniam declinabit. Etenim liberalitas est à calore, à quo et fiducia: at auaricia est à frigore, à quo et metus: mutuabitur tamen à Saturno grauitatem, tarditatem, patientiam propter frigus, siccitatemq;: frigida enim aridáque, qualis est terra, grauia sunt & firma, atq; ad tolerandum magis apta. Adhæc quum motus sit caloris causa, quin etiam ubi uehementior est, quũ ignem excitet, malè aptus est ad calefaciendum Saturnus propter tarditatẽ. Si Lunam Mars de propitio aspexerit loco, ex hoc aspectu ad proprium Lunæ splendorem, acumenq; multùm addetur: siquidẽ ignis penetrabilis & splendens est: quin etiam de Martis uirilitate sibi nonnihil assumet, quod tribuat nato. Quòd si à fauentibus Solis radijs in nati alicuius genitura Luna conspecta fuerit, addet ad splendorem suum, addet ad fauorem popularem, calefactaq; de amico Solis igne, nati animum, quando ignis sursum cõtendit, ad nobili-

tatem, ad magnitudinem, ad honores excitabit. Quum uerò Mercurij radios amico excepit aſpectu, ad proprium acumen adiunget calliditatem, mutuabiturq; ab illo concitationem & turbulentiam. Nam quum ſit Mercurius retorridæ ac penè exuſtæ naturæ, qualis eſt cholera, quæ ubi exuſta eſt in melancholiam declinat, proculdubio natus & citò mouebitur, & rixas turbasq; excitabit, quod eſt feculentiæ melancholicæ. Has itaque ſtellarũ proprias impreßiones naturasq; miſcere oportet, ijsq; Lunam ipſam temperare, pro ſtellarum ipſarum aſpectu, potentia, aut debilitate. Si enim potentes fuerint, Lunam potenter afficient: ſin imbecillæ, parum quid omnino ei conferent. Erunt autem potentes, ſi directæ, ſi in ſuis dignitatibus conſtitutæ fuerint, ſi in cardinibus aut in ſuccedentibus inuenientur locis, ſi alicuius ſtellæ fixæ, quæ eiuſdem naturæ ſit, coniunctionem excepe rint. Fit enim pro potentia imbecillitate'ue, ut nunc commotiones illæ, & animi ad agendum impulſione, principiò maiores uideantur, quàm re ipſa ſint in exitu, nunc uerò minores: utq; natus ille ſit concitatior celeriorq;, hic tranquillior ac tardior: & alius quidem in ipſis actionibus obſcurus & tacitus, alius apertus & loquax, alius cautus ſimulatorq;, alius temerarius. Has itaque ſtellarum qualitates, affectionesq; corpora noſtra referunt, à Luna dominatrice in genituris acceptas. Sed ſtellarum aſpectus, qui plerunque noceant, ſunt aut ex oppoſitis cœli locis, aut ab intercapedine ſignorum trium, qui aſpectus tum quadratus, tum quadrangulus dicitur, quòd tria ſigna quater ducta duodecim zodiaci ſigna compleant. Itaque planeta in Ariete conſtitutus, planetam in Libra poſitum oppoſito intuetur aſpectu: quadrato autem cum qui perambulet uel Cancrum, uel Capricornum. Qui uerò felices dicantur aſpectus ſunt aut ſextiles hexagoniq; duorum ſignorũ interuallo interiecto: ſiquidem duo ſigna ſexies multiplicata totum conficiunt zodiacum. aut trigoni triangularesq; qui ſunt ab intercapedine quatuor ſignorum: quatuor enim ter ducta duodecim conſtituunt. Stella igitur in Ariete collocata uidet ſextili aſpectu ſtellam in Aquario aut Geminis poſitam, trigono quæ ſit in Leone aut Sagittario conſtituta. Nec tamen ignorare nos oportet, triangularem aſpectum quadranguli uim aliquando ſuſcipere, propter ſigna quæ paucorum ſunt temporum: contrà quadrangulum aſpectum æquari triangulo, quando ſunt multorum temporum ſigna. Habenda itaq; cum primis horũ aſpectuũ, itemq; coniunctionum ratio, & à quo planeta ad quem planetam Luna ipſa deferatur, ut poßimus de uitijs & uirtutibus hominum ueras ſententias dicere, qualitates, affectiones, impreßionesq; ſtellarum miſcendo & temperando pro Lunæ ipſius in nati corpus reſuſione. Videnda ſunt etiam cœli loca, ſignaq; conſideranda, in quibus ſtellæ ipſæ reperiuntur in themate geniturę,

nituræ, id est, in figura constitutioneq; natiuitatis. Ad hæc diligentißimè uidendum, sint'ne regredientes an progredientes planetæ, ut paulò antè dictum est: in suâ ne exaltatione, an in depreßione: in finibus proprijs, an planetæ alterius positi, & cuius etiã planetæ, in domo propria an aliena: dominus etiam domus eius quomodo sit in figura constitutus, an propriam aspiciat domũ. Hæc igitur aliaq; diligentißimè sunt examinanda, ut (quod pictores faciunt in exprimendis lineamentis) poßimus & nos in explicandis corporis nati qualitatibus, tanquã adumbratis coloribus uti, planetarũ qualitates miscendo, & Lunæ affectiones temperando, habita etiam signorum ac locorũ ratione diligenti. Quod autẽ ad explicandam Ptolemæi sententiã attinet, Luna nati cõmotiones ad agendum pro stellarũ aspectu configurationeq; indicat: quæ si, uerbi gratia, cum Ioue coniuncta fuerit, aut felici ab eo irradiatione illustrata, Iupiterq; ipse feliciter collocatus, ac bene affectus fuerit, nati actiones effectiuas significat, ut ad quod intendit natus ipse ex sententia consequatur: præsertim si ab alijs quoq; planetis præsidiũ afferetur: contrà natus frustra agendo nitetur, inanesq; conatus eius erũt, si Iupiter imbecillus, maleq; affectus, atq; infeliciter collocatus inuenietur. Qualitates autem actionũ pro naturis stellarum ipsarum erunt: aliæ enim alias in animis natorum cõmotiones excitant. Quis autem dubitet inertẽ ignauumq;, atq; inanem, &, ut Græci dicunt, ἄπραγμον illum fore, in cuius natiuitate Luna sine aspectu configurationéque, ut destituta ac deserta, &, ut ita dixerim, uidua per cœlum ferretur?

PTOLEMAEVS. XXIIII.

Defectus luminarium in cardinibus genituræ, annuarum ue conuersionum noxius est: accipiunt autem locum ab interuallo ascendentis ac loci defectus. Vt autem ab hora solaris eclipsis annos, sic ab eclipsis lunaris horis menses capis.

PONTANVS.

Si Sol ac Luna spiritus et corporis imperiũ habent, necesse est nos ipsos qui è corpore spirituq; constamus, affici perinde ut luminaria afficiuntur. Vnde quod ab Homero dicitur, ab ipso etiam Aristotele comprobatur, tales nobis mentes ineße, quales singulis diebus Sol afferat planetarum princeps ac moderator. Itaq; quum Sol Lunaq; patiuntur, & nos ipsos pati ac laborare necesse est: corũ uerò manifestißimæ paßiones sunt, quos nos defectus & item deliquia atque obscurationes, Græci ἐκλείψεις uocitant. Nec uerò sic aliquis accipiat, ut laborare ac pati eos in cœlo credamus,

quod corruptibilium est corporum, quum ipsi perpetui sint, nullis q; incommodis obnoxij. Sed nos ita loquimur, ut passiones eas ad nos nostraq; potius referamus, ut quum dicimus Solem nubilum, aut Lunã rubicundam, quæ passiones sunt in aëre, indicantq; futuros uentos aut pluuias, quæ à stellis ipsis excitentur. Sol autem, quum deficere eum dicimus, nihil ipse prorsus patitur: prohibentur tamen eius radij terras attingere obsistente Luna. At Luna fortasse patiatur, quando corpus eius, quod opacum est, Solis radios terræ umbra impedicnte nõ accipit. Sed hæc siue passio, siue accidens, siue quo alio nomine dici oporteat, nullum lunari corpori detrimentũ, nullum incommodum affert, sed elementis atq; corporibus, quæ ex illis composita sunt. Solis igitur Lunæq; defectus nunquam non malum aliquod portendunt: tum uerò maximè nocent, quũ in cardinibus fiunt. Ipsa uerò mala ualidiora erunt, ubi eclipses longiores fuerint, atq; à nocentibus stellarum radijs luminaria ipsa percussa. Erunt autem mala ipsa ex natura locorum, in quibus defectus ipse contigerit, à cuius initio statim ascendens capiendum est, ab eoq; ad alia figuræ loca progrediendum. Eclipsium autem cardinalium pernicios ior est ea quæ fit in angulo genituræ, quàm quæ in cardine reuolutionis: quippe quæ loca natiuitatis insedit, ut si quis arborem à radicibus succîdat aut euellat. Quum itaq; continget defectus in signo quod ascendebat in alicuius genitura, portenditur nato illi malum in corpore, uitaliq; substantia, eritq; malum ipsum magis minus ue perniciosum pro eclipsis qualitate, constitutioneq; eorum, qui domini ac significatores fuerint in figura. Cum primis autem uidendum, quomodo se habeat ascendentis ipsius dominus. Si autem contigerit in angulo medij cœli, iuxta figurã natiuitatis, obnunciantur damna non modò in uita, uerumetiã in magisterio nati, ac detrimentum dignitatis eius, portendunturq; mala, quæ à potentibus et magnis uiris inferantur. Vbi autẽ in signo illo eclipsis facta fuerit, quod in natiuitate imum, id est, cardinem subterraneũ tenebat, damna patrimonij denunciantur, & rerum aliarum, quæ à domo quarta significantur, & sic deinceps in alijs genituræ domibus. Quæ ut acutius perspiciantur, repetendus est natalis cœli status, conferendusq; cum cœli statu, qui erit eclipsis tempore. Inspiciendæ fortunatrices stellæ, num quo fauore loca illa tueantur, rursus an maleficæ impugnent è potentibus ac minacibus locis: nati etiam anni considerandi, uidendumq; cuius stellæ imperio annus ille subijciatur, ne parte in aliqua iudicium titubet. Futuri uerò mali decretum tempus hac ratione colligitur. Quoties Luna deficit, necesse est Solem ei è regione obsistere, id est, integro ab ea hemisperio remotum esse: quod cœli spacium centum & octoginta partium est, quos gradus hodie dicimus, qui signa sex constituunt, quod quidem cœli dimidium est. Consti-

est. Constituamus itaq; Arietem in ortu, Libram in occasu, Capricornum in medio, & in eo Lunam deficientem, ubi genituræ tempore angulus fuerat, obseruemusq; à defectus principio ad finem horæ quot interlabantur, eæq; sint tres, tunc dicemus trium lunarium mensium tempus omne periculosum & noxium nato fore: longè tamen medium tempus periculosius, quod est mensis unius integri & alterius dimidiati, quando cœli spacium quod erat à gradu Lunæ ad ascendentis gradum, est graduum octoginta, quæ portio est totius hemisperij propè media. Sed ut malum ipsum fiat manifestius, uidendum est eo tempore, quonam aspectu benefici planetæ locum aspiciant, & quæ sit cœli totius constitutio. Si enim cœlum malè se habuerit, grauius malum erit: contrà minus, si beneficæ stellæ præsidium accesserit. Sin Sol eodem in loco defecerit, erit post annum & menses sex grauius malum pro natalis anguli qualitate: quod quidem pernicioſius erit, si in ipso angulari gradu defectus fit. Sin pluribus ab eo gradibus aberit, mali uis aut euanescet penitus, aut quicquid erit, periculum magis quàm damnum, & metus potius quàm discrimen erit. Singulæ autem horæ lunaris eclipsis singulos menses indicant, quo tempore Luna cursum suum conficit. Solaris uerò eclipsis horæ annos, quo spatio Sol cursum suum peragit. Sed nec prætereundæ sunt horarum fractiones, & quæ minuta dicuntur, ut dierum quoque certus colligi numerus possit. Quòd autem Ptolemæus dixit, accipiunt, non accipis, indicio nobis est, omnes quidem astrologos idem hoc & ante ipsum, & eius etiam tempore de horis sensisse, ac tam Aegyptios quàm etiam Persas.

PTOLEMAEVS. XXV.

Dominatoris progressionem quum in medio cœli positus est, per sphæræ ascensiones: quum uerò in ascendente constitutus est, per climatis ascensiones facito.

PONTANVS.

Quia de temporibus colligendis, computandoq; illorum numero mentionẽ fecit, statim subiũgit docens, in percensendis temporibus nunc sphæræ ascensiones, nunc climatis, ubi cõstituti fuerimus, attendendas esse. Quũ enim singuli gradus singulos annos denunciare dicantur, hoc sic accipiendum est, ut gradus alibi plus temporis ascendendo occupent, alibi minus, idemq; in descendendo. Nam quum Leo antequam totus ascendat, horas duas & tertiam horæ partem occupet, Aquarius uerò horam unam, & horæ alterius partes octo, ut in partes duodecim horam distribuamus, efficitur uti Leonis gradus Aquarij gradibus maiores sint: quocirca æquan-

dì uidentur ad pares ascendendi portiones, atq; ad eos æquatos anni referendi, quando singuli A quarij gradus singulos annos non implent: Leonis uerò unusquisq; gradus anno id plus occupet, quod supra duas æquas horas totus Leo occupat in ascensu, tertiã illam horæ partem æquis sibi portionibus assumẽs, facta æquali in triginta gradus distributione. Sed iam ad rem ipsam ueniamus. In genituris inspiciendis, ut possimus decretũ à planeta tempus pronunciare, primùm uidere oportet, in qua cœli parte planeta ipse constitutus sit: quod si medium cœli tenuerit, iusta sphæræ ascensiones tempora metiemur: sin in oriente positus fuerit, iuxta climatis ascensiones tempora supputabimus. Quid autem sequendum sit, si inter duo hæc loca constituatur, hîc quidem Ptolemæus nõ aperuit, sed id intelligendum reliquisse uidetur, quod ipse alîas docuerat: hoc est, ut utræq; ascensiones capiantur, simulq; misceantur inuicem temperando: qua de re in tertio Apotelesmatum libro à Ptolemæo multa traduntur præcepta: & nos alîas longius atq; expressius disseremus. Præcipit igitur, ut significatoris, id est, dominantis in figura stellæ progressionem, quam hodie, & sanè ineptè, directionem uocant, hac ratione faciamus, Græci dicunt περίπατον, nos & inambulationem, & permeationem, & progressionem, & peragrationem, & profectionem rectè dicimus: quæ uox tempus, id est, & annos, & menses, & dies significat, quibus ad locum illum quem quærimus, cui planeta minabatur, decurso spacio interiecto, progressio peruenerit: ueluti quum Mars ex primo Capricorni gradu Artetis gradus quadrangulariter ferit, sumpto graduum interuallo, gradibusq; ipsis coæquatis, quærimus post quot annos mensesq; malum illud portenditur, quod tum quidem portenditur, quum ad gradum illum, id est, ad annum à gradu significatum, progressio ipsa peruenerit.

PTOLEMAEVS. XXVI.

Latet planè res, quum stella eam significans aut sub terra, aut in loco alieno Soli coniungitur: contrà patet, quum è depressione in altitudinẽ tollitur, proprioq; in loco collocatur.

PONTANVS.

Solem si lucis fontem esse constat, omnis ab eo claritas erit. Si tenebræ de lucis amotione fiunt, erit Solis absentia tenebrarũ atq; obscuritatis causa: occulta autẽ omnia obscura sunt, manifesta uerò clara: & hæc quidem ob præsentem lucem, illa ob lucis amotionem. Solis igitur præsentia claritatis, absentia obscuritatis prima causa est. Ad hæc si uoluntatẽ sensus excitant, à qua ipsi ad agendum impellimur: ipsi autem sensus corporei sunt, quum

quum inferiora hæc corpora cœlestiũ corporũ agitationes sequantur, necesse est uti actiones ipsæ hominũ à cœlo ipso mouendi principiũ habeant. Docuit autẽ diuturna sapientissimorum hominũ obseruatio: cui planetæ, cui etiã cœli loco, quod in duodecim loca domosq; distribuerũt, quam rem actionẽq; attribuamus, siue laude, siue uituperatione digna sit. In quo quidem secuti sunt tum corporeorũ humorum qualitates, uires, naturas, effectus, tum locorũ cœli ipsius, motusq; cœlestes, à quorũ quidem humorũ commotionibus, ubi moderatæ ipsæ fuerint, & actiones moderatæ proficiscentur: ubi uerò modo mensuraq; caruerint, immodicæ atq; inordinatæ erunt. Ex quo efficitur, ut actiones hominũ aut moderatæ sint, aut immoderatæ: nam aut mediũ retinebunt, aut in alterũ extremũ propendẽt, pro modo naturaq; commotionũ. Eædem autem actiones siue turpes, ut furta, adulteria, siue honestæ, ut dicta factaq; cõmendatione digna, aut manifestæ & claræ sunt, aut occultæ obscuræq;, quod euenit è Solis collocatione in cœlo ipso agendi tẽpore, atq; è coniunctione & statu planetæ, qui actionis est reiq; significator. Verbi gratia: Nauauit egregiã quis operã aduersus hostem, quo tempore Mars Soli coniunctus erat, aut sub terra in hemisperio inferiori, aut in loco improprio & alieno, ubi Mars eius actionis significator nullam prærogatiuam, nullum ius habebat, puta in signo non suo, in finibus alienis, locoq; depresso, erit facinus id obscurum, & fama, id est hominum celebritate carebit: quo tempore si quis paricidium fecerit, latebit atq; ignorabitur, quòd lucis autor sub terra absit, significatrixq; facinoris stella Solis radijs uicta oppressaq; ita delitescat, ut nec loci, nec signi, nec finium autoritate ulla efferre illud in lucem possit. Etenim candentissima lux minimum lumen hebetat, quod dies ipse declarat: siquidem stellæ diurno tempore solaris lucis maiestate occuluntur, & accensus cereus si meridianis Solis radijs admoueatur, nullum lumen emittit. Ex hac igitur Ptolemæi sententia argumentari licet, hominum actiones facinoraq; manifesta aut occulta futura pro collocatione Solis stellæq; significatricis, tempore perpetrati facinoris. Erũt enim clara & nota, si planeta significator fuerit à Solis radijs remotus, liberq; uagabitur, ecq; notiora, si in cardinibus hemisperij superioris, si in sua domo aut in altitudine inueniatur: contrà obscura atq; ignota, si stella significatrix radijs Solis occulatur in hemisperio inferiori: atq; eo magis si in signo alieno, & ubi mœret atq; deijcitur. Sed hæc ita tẽperanda sunt, ut res ipsa planè latere dicatur, ubi omnia quæ dicta sunt simul conuenerint: sin non omnia, magis minus'ue manifesta futura res est, perinde ut plura pauciorá ue conuenerint. Fieri enim potest, ut stella sit Soli coniuncta in loco alieno atq; in depressione sua, tamen in medio cœli cardine, contrà ut in imo coniungatur, in exaltatione tamen

ſua, atq; in finibus ſuis. Græci quam nunc exaltationem dicimus, ὕψωμα uocant, eadem à noſtris altitudo & ſubleuatio dici ſolet: & quæ à nobis depreßio, ab illis ταπείνωμα dicitur, quæ & humilitas, & deiectio uocatur, à quibuſdam etiam caſus. Exaltatur autem Saturnus in Libra, deprimitur in Ariete: tollitur Iupiter in Cancro, deijcitur in Capricorno: ſubleuatur Mars in Capricorno, cadit in Cancro: Sol in Ariete, Venus in Piſcibus: Mercurius in Virgine, Luna in Tauro cum maieſtate reſident: at in ſignis quæ ſunt his contraria, oppreßi iacent. Quanquam autem Ptolemæus de re negocioq; hìc loquitur, utrunq; enim ſonat πρᾶγμα, ſunt tamen qui dicant, ſi quis ob patratum ſcelus iram magiſtratus fugiens deliteſcat, qua hora ſtella ſcelus ſignificans Soli, ut prædicitur, coniuncta eſt, fore ut is aut pereat in latebris, aut ſaltem grauiſſima patiatur.

PTOLEMAEVS. XXVII.

Venus nato uoluptatẽ affert in mẽbro, cui ſignũ in quo ipſa eſt, dominat. Idem & in cæteris ſtellis.

PONTANVS.

Quum triplex ſit animæ noſtræ uis, una ad Martem, ut dictum eſt, potiſſimũ refertur: nam quum ira è ſanguinis accenſione cõcitetur, ob quam commotionem rubra bilis ſuccenſa efferueſcat, iure uis hæc Marti tribuitur, qui huic humori dominatur: unde rixarum ac bellorum deus ab antiquis dictus eſt. Altera, cuius propriũ eſt oblectari & ſuauia quærere, Veneri ab antiquis attributa eſt, quòd eius ſtellæ proprium ſit, in ijs quæ animalia dicuntur, uoluptatem infundere, atq; ingenerare. Etenim quæcunq; ſenſibus utuntur, ea neceſſe eſt oblectatione afficiantur, ſequanturq; læta ac iucunda, quandoquidem hæc naturaliter appetuntur. Si enim phyſicis credimus, quæ ſenſibus prædita ſunt, omnia & lætantur, & dolent: lætantur iucundis, dolent triſtibus, atq; ad ea quæ uoluptatis ſpeciẽ præ ſe ferũt, ab appetitu mouentur, cuius quidem cupiditas dux eſt: neq; enim ſine cupiditate quicquam appetitur. Iucundorum autem licet non ſit una ſpecies, omne tamen iucundum oblectat: contrà quod eſt triſte, dolore afficit: & illud quidem ut bonũ & appetitur, & cupitur, & delectat: hoc ut malum & angit, & turbat, & cauetur: atq; ut ad illud naturali inſtinctu ferimur, ſic mala fugimus, & pro uirili declinamus. Si igitur ita ſe res habet, ſicq; à natura comparatũ eſt, ut omne quod ſentit appetat, quodq; appetit cupiat, cupianturq; iucunda, læta, & commoda. iure huic animæ parti quæ concupiſcibilis dicitur, Venus præpoſita eſt, quũ ex ea appetitione & cupiditate titillationes illæ in animalibus cieantur ad uoluptatẽ, cuius Venus conciliatrix eſſe dicitur, ideoq; à Lucretio hominũ diuũmq; uoluptas dicta eſt.

Aptiſſimè

Aptißimè igitur ut Marti uis animæ iraſcibilis, ſic Veneri concupiſcibilis attribuitur, quũ eius ſtellæ proprium ſit, iucundi cupiditatem in animalibus excitare. De tertia uerò pòſt dicemus. Nec uerò eorum omnium quæ planetæ in nobis agunt, ubiq; ſua ratio reddi poteſt, quæ ne in herbarum quidem actionibus ſemper redditur: qua in re ſatis eſt dicere, quòd ea uis à natura inſit, quodq; effectus ipſe ſic eſſe demonſtret. Venus igitur ab infita ui propriaq; autoritate uoluptates excitat, id quod etiam uulgus non ambigit. Vnde & odoratus, et iecur, & caro Veneri attribuũtur, ac præſidere illis dicitur. Volunt autem ex iecinore appetitionum & cupidinũ fontem emanare, ex quo fit, ut iure id Veneri membrum attribuatur: & in carne quidẽ, quòd in ea tactus collocatus eſt, titillationes poſitæ ſunt. Odoratus uerò quantum conferat ad delectationẽ, quæ humanæ naturæ præcipua quædam conſeruatrix & cuſtos eſt, illud docet, quòd à dolore & putore hominis natura, medicorum ſententia, ſic offendatur, ut ab ijs proſterni & confici eam putent. Quum autẽ duodecim cœli ſigna alia alijs corporis membris præſint, plurimùm ipſa ad animæ concupiſcentiam conferũt: quinimo uoluptas ac iucundi ſtudium pro natura ſigni, in quo genituræ tempore fertur, à Venere ſuſcitatur: quæ cauſa eſt, cur alij alias ad uoluptates ſtudiaq; propenſiores ſint: quam quidem ad rem perſcrutandam, terminorum quoq;, quos ueteres Latini fines, Græci ὅρους uocant, qualitates attendendæ ſunt, uidendumq; qui ſint ipſorum terminorum domini, & quomodo in genitura collocati, quos etiam aſpectus ac temperamenta habeant. Sed nec facies, id eſt ſignorũ decani, quas decurias appellare Latino uerbo placet, negligendi ſunt: qua in re imitãdi potißimũ ſunt medici, qui non ſolùm qualitates morbi, naturãq; humoris qui morbũ excitauit, inſpiciunt, ſed ægroti quoq; ætatẽ, & anni tempeſtates, & regionẽ, & uictum, quo dum ſanus eſſet utebatur, & quas etiã artes ſit ſecutus, aliaq; huiuſmodi diligentißimè cõſiderant. Nihil enim aut in medicina, aut in aſtrologia artificioſius, quàm miſcere ac temperare: ſiquidem medicis inuenta morbi natura, mathematicis cœli ſtellarumq; locis cõpertis, tunc magna opus eſt arte, qua illi ea temperent, quibus pernicioſo humore depulſo ſanitatem concilient: hi quæ ad indicandas corporis atq; animæ nati qualitates, moresq; conueniunt in genitura. In quo uis omnis medici quidem ad ſanitatẽ reſtituendam, aſtrologi ad futura prædicenda uerſatur. Quocirca quum appetibilem animæ uim Venus moueat, commotionesq; eas ipſa moderetur, iure uoluptates ac iucundi ſtudium à Venere in genitura exiguntur, pro ſigni natura figuraq; conſtitutione. Verbi gratia: Naſcente aliquo Venus aſcendit in Ariete conſtituta, quia capiti Aries dominatur, uoluptates potißimũ excitabit ab oculis, cuius ſenſus obiecta quũ ſint colores, nati eius

oblectamenta erunt ex ornatibus, picturis, atq; mundi tijs. Quòd si Veneꝛ in ſuis poſita finibus erit, natus ille ex picturis laſciuis & floridis, atq; ex gemmis ueſtibusq; elegantioribus uoluptatem capiet. Delectabitur item unguentis, odoribus, ſertis, & ſuauibus ſonis, alijſq; quæ nares aurésque demulceant, & comæ ſtudioſus erit. Sin in Tauro collocabitur, natus qui Venerem ſic collocatam habuerit, amabit cantus & carmina poëtica, delectabitur fabellis & cantilenis, capietq; uoluptatem ex guſtu propter Taurum, qui collum in homine poſsidet. eadem Venus libidinis appetitum magis prouocat in Libra reſidens, quòd id ſignum in corpore noſtro renes, uertebras & pectinem habeat. Sed aliorum planetarum boni mali'ue aſpectus multùm in utranq; partem cõferunt, & ad demendum de libidinis appetitu, uoluptatumq; aliarum, & ad illum augendum incendendumq;. Atque hæc quidem ratio in reliquis ſignis ſequenda eſt. In quibus iudicandis ne fallamur, ſummo ſtudio uidendum eſt, quis planetarum animæ qualitatibus magis imperet, & qua ſit Veneri planetis q; alijs familiaritate cõiunctus: quibus cognitis, animæ nati qualitates tanquã lineamenta quædam adumbrari poterunt. Quoniam autem non ſola Venus, ſed cæteri omnes planetæ, pro natura ſigni quo feruntur, uires ſuas exercent, idcirco Ptolemæus ſubiecit idem in cæteris ſtellis, hoc eſt erraticis ſentiendum: ſiquidem ſigni naturam non ſolùm in ijs quæ ſunt corporis, ſed quæ animæ quoq; ſunt, ſequuntur. Quas ad res conijciendas cœli etiam ſitus & natalis cõſtitutionis ſeries conſideranda eſt. In primis autem intelligere oportet, quid quiſq; planeta in quoq; ſigno, & in quibus etiam cœli locis ſignificet. Locum autẽ Veneris iure Ptolemæus inſpiciendum uel in primis monet, quòd appetibilem animæ uim prima omniũ Venus moueat, per quam amamus, odimus, appetimus, abhorremus, lætamur, dolemus. Ne autem in aliquo falleremur, imò ut omnis nati qualitas manifeſta fieret, ſignum etiam in quo unuſquiſq; planeta genituræ tempore inuenitur, diligenter cõſiderandum ſubiunxit: quod præceptum non modò ad uoluptates, uerùm ad omnes animæ qualitates inquirendas referendum eſt. Quas ad res ſi erraticarum omnium locus inſpiciendus eſt, uidentur Martis, Mercurijq; loca præcipuè conſideranda, qui quam uel artem, uel diſciplinam, uel facultatem natus ſecuturus ſit, decernere dicuntur.

PTOLEMAEVS. XXVIII.

Quũ præſtare nõ poteris, ut duabus Lunã ſtellis coniungas, id præſta, ut ſtellæ fixæ eã coniungas ſtellarũ mixturã habenti.

PONTANVS.

In rebus inchoandis, principijſq; auſpicandis cum primis inſpiciendum

dum uidetur ascendens, ipsiusq; ascendentis dominus, & item domus ea cui agenda res attribuitur, ac dominus domus eius. Etenim si dominus ascendentis, & signi in quo negocium suscipiendum collocatur, bene se habuerint, exitus rei eius bonus, atque ex suscipientis sententia portenditur. Quoniam autem præceptum hoc ad electiones potissimum pertinet, meminisse debemus sententiæ illius, qua monemur, electiones tunc utiles esse, quũ tempus fuerit à genitura accommodatum. Quocirca natalis cœli constitutio in ijs suscipiendis ante omnia considerandа est, ad eamq; electio referenda. Nam & agricolæ in semente facienda naturam soli primùm inspiciunt, qua inspecta & genus seminis solo aptum deligunt, & tempus sationi idoneum capiunt. Quum igitur Lunæ potestas ac uis tanta sit, monet in suscipiendis negocijs felicem eius configurationem obseruandam, cum domino tum ascendentis, tum signi, cui peragenda res attribuitur. Quod autem de domino ascendentis dicimus, & de domino medij cœli, deq; aliorum cardinum dominis dicimus, pro natura electionis. Quod ubi præstari non poterit, ut utriq; domino Luna iungatur, tunc ex ijs quæ fixæ dicũtur, stella perquirenda est, quæ naturæ amborum sit particeps: ex cuius coniunctione, atq; ob susceptas à fixa qualitates illis familiaris efficiatur. Verbi gratia: si quum dominus ascendentis sit Iupiter, septimæ uerò Mercurius, nec Lunam potes in opportuna utriusq; configuratione collocare, fixam inquiras stellam Iouis & Mercurij participẽ, cum qua Lunam amicè constituas. Idem seruabis, si dominus medij cœli Saturnus, duodecimæ uerò domus Iupiter dominus fuerit: & sic deinceps pro rei qualitate ac natura. Quod medici quoq; seruant, qui miscendis potionibus si quo uel succo, uel radice, aut semine carent, persimili aliquo utuntur, quod uires easdem habeat. Etenim Luna stellæ fixæ radijs feliciter illustrata, si non per aspectum aut coniunctionem, per similes tamen naturas planetis illis familiaris amicaq; effecta, eorum significationes adiuuabit, et quædam tanquam mediatrix, ut sic loquar, eosdem simul componet, quibus compositis, & in hanc familiaritatem adductis, de felici euentu optimè promittendum erit. Similia enim similibus conferunt. Hoc etiam ciuilibus in negocijs atq; causis obseruare ciues solent, qui dum ad prætorem aut regem habere aditum ipsi nequeunt, aliquem notum atq; amicũ adeunt, cuius opera se insinuent, negociaq; commendent. Ex hoc Ptolemæi præcepto facilè iudicari potest, quàm solerter in rebus omnibus Lunæ cursus obseruandus sit. Quocirca in natiuitatibus quoq; animaduertendum diligẽter censeo, an Luna cui Planetæ per radios coniuncta non est, sit fortasse per stellam fixam ac ratione coniuncta. Neq; enim contemnenda est coniunctio hæc, quæ similibus è qualitatibus potestatibusq; existit: quod enim possunt fines propter naturas dominorum,

& ſtellæ fixæ poterunt, propter ſimilitudinem naturarum.

PTOLEMAEI SENTENTIA XXIX.

Stellæ fixæ irrationabiles, atque admirabiles felicitates afferunt, quas tamen plerunque calamitatibus inſigniunt, niſi & planetæ ad felicitatem conueniant.

PONTANVS.

Maiores noſtri quum res cœli non ſatis compertas haberent, ignes illos ætherios, tum ſtellas, quòd ſtare illas putarent, tum ſidera à ſidendo uocauere, ut Martiano placere uideo: pòſt uerò, quum cœleſtium motuum cognitio, quæ Aſtronomia dicitur, in lucem ueniſſet, ſeptem has inferiores ab errore, hoc eſt peregrinatione, motúsque diuerſitate, erraticas, cæteras uerò, quòd earum motus poſt centum annos uix cerneretur, quod humanæ uitæ ſpatium longiſſimum uidetur, fixas cognominauerunt: quanquam nulla cœli pars eſt, præter polos, quæ firmamenta à poſterioribus dicta ſunt, quæ non continuè moueatur. Erraticarum autem ſtellarum, quos πλανήτας Græci dixere, poteſtates naturaéq; facilius comprehenſæ ſunt, propter propinquitatem, motúsque celeritatem: nam & curſus earum, & tempora, quibus illos peragunt, & quid in coniunctionibus, quid item in aſpectibus, & in ſingulis tum ſignis, tum locis annuncient, humana ſolertia pedetentim aſſequuta eſt. At ex infinito illo fixarum numero, paucæ admodum notæ ſunt, quas tamen nec fruſtra moueri, nec in caſſum munera ſua obire credendum eſt. Diuturna itaque obſeruatio docuit, ſtellas quaſdam maximas afferre felicitates ſolere, quoties naſcente aliquo, in orientis, aut medij cœli cardine, aut cum ipſa parte fortunæ, aut cum Sole Lunáque partiliter reperiuntur. Sed quamuis lucidæ ſtellæ permultæ ſint, & in uarijs ſignis, diuerſiſq; cœli locis poſitæ, quæ tamen regiæ, atque auguſtæ dicuntur, & per paucæ ſunt, & in quatuor tantum ſignis collocatæ, hoc eſt Tauro, Leone, & in ijs oppoſitis ſignis, Scorpio & Aquario. Quæ in primis, quos dixi, genituræ cardinibus partiliter inuentæ, maximas facultates decernunt, quando natum ita extollunt, ut & legionibus præficiant, & moderandis populis principem ac regem ſtatuant: licet ipſe ſit obſcuris parentibus, atque humili loco natus. Hoc igitur illud eſt quod ait Ptole-

mæus

mæus, irrationabileis & admirabileis: Nam quòd filius magni ducis in re militari à patre institutus, ac primo sub illius auspicijs, deinde suis exercitum ducat, atque ut regis filius à patre institutus, in regno paterno succedat, nec mirum uidetur, nec absque ratione, quod Græcè uerbum ἄλογον significat, quando institutio disciplináque, & ciuiles item leges in hominibus, atque hominum rebus, tantopere ualent. At repentinum, id est, sine ratione, & admirabile usum est, NICOLAVM PICININVM lanij filium, MVTIVM SFORTIAM agricolæ etiam ignobilis, eò magnitudinis peruenisse. Sed quum repentina, & quæ sine ratione sunt, parum sint diuturna (uidentur enim quodammodo uiolenta) idcirco insigni aliqua calamitate confici consueuere. Græci quidam textus habent, Saturni calamitates, quod Ptolemæi uerbis additum iudicamus, quum etiam Martis calamitatibus multos, quibus stellæ fixæ ingentia bona contulerant, perijsse sciamus. Iidem textus non habent id, quod de planetis dictum legitur, hoc est, nisi planetæ ad felicitatem conuenerint: quod licet additum uideri possit, summa tamen cum ratione dictum est, ut eorum præsidio fixæ stellæ muniantur. Maximum autem præsidium Iouis uidetur, propter naturæ temperantiam. Bona quæ à planetis conferuntur, partius, pedetentimq;, & per labores, arte industriáque adhibita, homines assequi solent: contrà quæ à stellis fixis dantur, obijci potius uidentur, nullo quodammodo, aut perquam exiguo merito: quocirca ea magis repente obiecta, quàm ratione comparata uideri possunt. Sed quum stellæ, quas dixi, tam sint remotæ, Luna uerò finitima, utpote omnium citima, quas ab eis qualitates accepit, terris refundens, illarum actionibus plurimùm confert, quæ partiliter cum illis inuenta, in primo aut medio cardine immensas facultates promittit, præsertim si lumine plena sit, quas mirum in modum Iupiter stabilict, si salubribus Lunam radijs illustrauerit. Constituamus itaque nasci aliquem, regia stella Tauri horoscopum tenente, eius stellæ uis natum eum supra paternas facultates euehet, sed uis ea nec satis stabilis, nec admodum fidelis uidetur, cum propter radiorum tam longinquam remotionem, tum quia connexione, ac uinculis caret. Quæ enim nullis uinculis connexa sunt, facilè soluuntur. Luna igitur ut corporum domina, si radios eius exceperit, & tanquam media in natum transtulerit, præsertim in sua altitudine, atq; in primo cardine posita, mirum in modum & augebit, & confirmabit bona ab regia stella promissa. Quòd si Venus, Tauri domina, de Piscibus, in quibus exaltatur, & Lunam & domum suam aspexerit, plurimùm addet & ad felicitatem, & ad per-

petuitatem, de cuius quidem felicitatis magnitudine constantiaq; nihil omnino uerendum est, si Iupiter in Cancro, ubi exaltatur, & in domo Lunæ constitutus, ascendentem cum regia stella Lunam intuebitur: præsertim si nec Saturnus, nec Mars in hac cõstitutione infeliciter collocati fuerint. Quo circa quæ bona planetæ largiuntur stabiliora sunt, quoniã & propinquiores ipsi sunt, & seipsos inuicem aspiciunt, simulq; congrediuntur, & mutuis præsidijs tuentur, ac uinculis propè quibusdam innectunt, atq; ultro citroq; dant, accipiuntq;, quum stellæ fixæ nec unà inter se coniungantur, nec ad mutuos aspectus accedant. Itaque tametsi ex altissimis cœli culminibus in elementa influunt, ipsarum tamen influxus inconstantior est, si nullis planetarum præsidijs munitus, nec tanquam medijs quibusdam nexibus uinctus fuerit. Quare fit ut quòd extimam & supremam sedem teneant, uires quidem potissimas & admirabiles pro loci maiestate habeant: quòd uerò tam sint remotæ, planetarum præsidijs quasi nexibus quibusdam indigeant: quibus deficientibus, tanquã præsidijs destitutæ, quod largitæ sunt parũ tuentur. Ex quo fit ut concessæ felicitatis finis calamitosus sit. Quod nec mirum uidebitur res humanas consideranti, quæ ita natura comparatæ sunt, ut quanto maiores sunt, atq; altiore in loco positæ, tanto & difficilius custodiantur, & periculosius concidant. Quoniã autem stellæ fixæ & ad septentrionem, & ad meridiem sparsim collocatæ sunt, probè inspiciendum est, ne gradus nos fallat. Linea enim à primo Arietis gradu ad polos utroq; deducta, nobis qui in hoc climate habitamus, pari modo non exoritur: siquidem ubi pars septentrionalis sese extulerit, australis depressa iacebit: ex quo fit uti Sole in primo Arietis gradu exoriente, non exoriatur cum eo fixa in eadem linea ad austrũ posita, sed aliquot pòst gradibus: contrà ad septentriones posita, citius exorta Solem antecedat, ut nec cum Sole simul oriantur, nec occidant. In omni autẽ sermone qui de stellis fixis habetur, ante omnia uidendum est, beneficarum'ne, an maleficarũ stellarum qualitates naturásque sortitæ sint, ut certius de illis ferri iudicium possit. Atque hæc, quæ de stellis fixis à nobis dicta sunt, sic intelligi uolumus, ut existimemus potius eas ob insitã quandam uim efficaciamq; talia efficere, atque præstare, quemadmodum de magnete ferrum ad se rapiente, déque quarundam herbarum admirandis uiribus dicitur, atque eo magis, quòd illæ nihil elementare habent, nihil caducum. Earum quum aliæ quidem beneficis, aliæ maleficis planetis similes uires nactæ sint: quin etiam sint non nullæ, quæ nec maleficis, nec beneficis simile aliquid habeant, sed planetis illis similiores sint, qui communem quandam naturam sequuntur, non omnibus eodem modo fidendũ uidetur: nam quæ Martiæ Saturninæq; qualitatis esse perhibentur, eas parum fideleis fore par est. Quod enim conferunt,

ferunt, propter insitam malitiam parum tuentur: sed nec illis omnino fidendum uidetur, quæ benefici simul, maleficiq; planetæ uires tanquam è repugnantibus qualitatibus compositas habent. De ipsarum uerò stellarum fixarum naturis qualitatibusq; hæc à maioribus tradita inuenimus. Stellæ quæ in Arietis capite collocatæ sunt, Martis ac Saturni qualitatibus similes qualitates habent: quæ in ore, Mercurium imitantur, quadam etiam ex parte Saturnum: quæ in posteriore Arietis pede collocantur, Martis: quæ ad caudam, Veneris qualitatem sequuntur. Taurus ab antiquis sic in cœlo formatus est, ut pars eius posterior tanquam à reliquo corpore abscisa latêre dicatur. Stellæ igitur quæ ad Tauri abscisionem positæ sunt, Venereæ temperationis esse dicuntur, quamuis Saturninum etiam quiddam unà mixtum habeant. Stellæ autem illæ quæ à Babylonijs dicuntur atorage, Græcè πλειάδες, Latinè uergiliæ, quòd extremo uere, quũ æstas incipit, oriãtur, Lunæ ac Iouis naturas imitãtur: has stellas qui horæ genituræ cum Luna horoscopantes habuerit, magnus & clarus erit: quas si Iupiter feliciter irradiauerit, exercitum ducet, ac terra mariq; multa geret, demum offenso principe mala morte peribit. Licet autem, ut dictum est, Iouiæ naturæ sint, tamen qui eas ortus sui tempore in occiduo cardine habuerit à maleficis stellis percussas, naufragus morietur. Quòd si benefi cæ etiam stellæ illas feliciter intuebuntur, nihilominus repentina illi mors ex nimio coitu, aut inter uina epulasq; portenditur. Quin etiam si quis Lunam in pliadibus lumine uacuam nascens habuerit, à Marte aut Saturno ho stiliter percussam, oculis capietur: quæ hoc in loco ideo attigimus, ut iuxta Ptolemæi sententiam re ipsa intelligatur, finem plerunque calamitosum ab stellis fixis inferri. Ex hyadibus, quas Latini ueteres suculas dixerunt, ut alij uolunt in ore, alij in fronte, alij in Tauri capite constitutis, una illa fulgẽs ac rutila, quæ Græcè λαμπαδίας, Chaldaicè aldebaran dicitur, Martiam efficaciam habet, reliquæ Saturninam: quamuis etiam aliquantulum Mercurij habeant. Quæ in summis cornibus positæ sunt, solius Martis naturam sequuntur. Stellæ quæ ad pedes Geminorum constitutæ sunt, similes Mercurio uires habent, quadam etiam ex parte Venerem imitantur: limpidæ stellæ, quæ in femoribus collocantur, Saturno similes sunt. Ex ijs quæ in capite anteriori splendescunt altera, quã Chaldæi uocant anhelar, Græcè ἀπόλλου ἄστρον dicitur, ea Mercurio similis est: altera quæ in capite posteriori fulget, Marti, à Græcis ἡρακλέους ἄστρον stella cognominatur, à Chaldæis dicitur abrachaleus. Stellæ, quæ ad Cancri pedes sitæ sunt, easdem quas stella Mercurij uires habent, Martis quoq; naturam quadam ex parte sequuntur. Quæ sunt ad chelas, uocanturq; à Chaldæis azubene, Saturni ac Mercurij qualitates retinent. Nebula quæ est in eius pectore,

quod præsepe cõplures è nostris uocant, Chaldaicè est meelleph, Græcè νεφελωειδὴς συσσοφή, Martis Lunæq; uires habet. Stellæ autẽ qui asini uocantur, ad ipsum præsepe constituti, Marti ac Soli similes esse perhibentur. Duæ stellæ quæ ad caput Leonis describuntur, Saturno similes sunt, aliquantulum etiam Martis habent. Tres illæ quæ Leonis collum constituunt, Saturno etiam similes sunt, quadam etiam ex parte Mercurio. Lucida quæ est ad cor Leonis, uocatúrque à nostris regia, βασίλισκος à Græcis, Marti ac Ioui similis est. Hanc stellam qui hora genituræ cum Luna crescente habuerit in horoscopo, aut in ipso cœli medio, ad magnas facultates magnaq; imperia promouebitur: neq; enim temere regia uocata est: quoties tamen Mars aut Saturnus ad eam peruenerit, rixas, contentiones, & grauia illi bella cõcitabit. Lucidæ stellæ quæ ad lumbum caudamq; Leonis formãtur, Saturno Veneriq;: quæ in femoribus, item Saturno similes sunt, quadam etiam ex parte Mercurio. Virginis signũ alatum in cœlo formatum est, ad cuius caput, atq; ad apicem australis alæ stellæ constitutæ Mercurij naturam referunt. habent etiam Martis aliquantulum. Reliquæ stellæ eiusdem alæ, quæ quidem lucidæ sunt, similiter quæ ad pudenda figurantur, Mercurij, & quadam è parte Veneris naturam sequuntur. Stella lucida quæ est ad alam septentrionalem, qui uindemitor dicitur à nostris, à Græcis πρότρυγητὴς, à Chaldæis almucedie alaraph, Saturni Mercurijq; qualitates habet. Quæ autem uocatur à nostris spica, à Græcis σαχὶς, Chaldaicè est alzimon alazel, Veneris qualitatem retinet, habet etiã Martis aliquantulum. Quæ est ad summos Virginis pedes, quæq; dicuntur in ipsa ueste constitutæ, Mercurio, & quadam è parte Marti similes esse perhibentur. Veteres Scorpiũ ita in cœlo effigiauere, ut duo illum cœli signa occupare uellent: & priorem quidem eius partem, quæ à nostris Libra dicitur, χήλας Græci uocauere. Stellæ igitur quæ sunt ad summas chelas, quæ cornua dicuntur à nonnullis Latinorum, Iouiæ Mercurialisq; qualitatis sunt: quæ ad medias chelas, Saturninæ, quadam etiam parte Martiæ. hæc de Libræ stellis. Lucidæ stellæ quæ in Scorpij fronte perlucent, Martias uires habent, Saturni etiam aliquantulum. E tribus stellis in Scorpij dorso distinctis, media illa rutila quæ lucidior est, Martia est, aliquantulum etiam Iouia: ea Græcè dicitur ἀντάρης, à recentioribus Latinis cor Scorpij. Quæ in caudæ internodijs sitæ sunt, Saturninæ, quadamq; ex parte Mercuriales sunt: quæ in aculeo, Mercuriales, Martiæq;. Quæ sequitur nebulosa caterua, Martis Lunæq; naturã sequitur: has stellas in nebula hac constitutas Chaldæi uocant alacha, Græci νεφελωειδὴς συσσοφή, id est nebulosum globum. Stellæ Sagittarij, quæ sunt ad sagittæ cuspidem positæ, Martiam Lunaremq; efficaciam habent: quæ sunt

in arcu

in arcu ad capulum, hoc est ubi manus arcum capit, Iouias Martiasq; uires habent. Globus stellarum quæ in eius sunt corpore, Solis ac Martis naturam imitatur: quæ sunt in commissura atque in dorso, Marti similes sunt, quadamq; è parte Mercurio: quæ in pedibus, Ioui Saturnoq;. Stellæ ad caudam positæ in figuram quadranguli, Veneris naturam sequuntur, habent & Saturninum quiddam. Stellæ in Capricorni cornibus positæ, Venerem imitantur, licet Martis nonnihil habeant: quæ in ore collocantur, Saturno similes sunt, quadamq; ex parte Veneri: quæ sunt in pedibus atq; in uentre, Martem Mercuriumq; imitantur: quæ ad caudam, Iouem atq; Saturnum. Stellæ ad Aquarij humeros positæ, quæq; sunt in eius sinistra, atque in uestę, Mercurio Saturnoq; similia faciũt: quæ in femoribus, magis Mercurio, minus Saturno similes sunt: quæ ad effusionem aquæ, Saturni naturam sequuntur, nonnihil etiam Iouis habent. Pisces quum Gemini sint, & alter quidem νότιος, id est australis, alter uerò βόρειος, id est septentrionalis, stellæ quæ sunt ad Piscis australis caput, eadem quæ Mercurius efficiunt, Saturni quoque aliquantulum habent. Quæ in dorso, eadem quæ Iupiter & Mercurius agunt. Quoniam autem Pisces hi quodam filo colligati figurantur, quod alij linum, alij lineolam, alij ligamentum uocant, stellæ quæ sunt ad Piscis australis caudam, atque ad lineolam australem, Saturninam naturam retinent, quadam è parte Mercurium quoque imitantur. Quæ sunt in dorso & spina Piscis septentrionalis, Ioui similes sunt, nonnihil etiam Veneris habent: quæ sunt in lino septentrionali, Saturni ac Iouis naturas sequuntur. In hac cœli parte, id est inter Pisces atque Arietem, sunt stellæ quædam in orbem dispositæ, Græci συνδεσμόν, Latini nodum cœlestem uocant: nodi huius lucidæ stellæ Martiæ sunt, quadam etiam ex parte Mercuriales. Atque hæc de stellis fixis zodiaci orbis, ut ab antiquis autoribus tradita sunt, prodimus. Quæ ad minorem ursam lucidæ sunt stellæ, Saturni qualitati similem qualitatem habent, aliquantulum etiam Venereæ similitudinis. Quæ uerò ad Vrsam maiorem, Martis similitudinem referunt. Chorus stellarum qui est sub huius caudam, Lunæ Veneris q; qualitatibus persimilis est. Lucidæ stellæ quæ sunt ad serpentem, quem alij draconem, alij anguem uocant, Saturninæ Martiæq; efficaciæ sunt. Stellæ Cephei, qui à Babylonijs ficares dicitur, sunt Iouiæ, itemq; Saturninæ: quæ ad Bootem sunt, Mercuriales Saturninæq;. Rutila & fulgens stella, cui nomen est arcturo, Chaldaicè dicitur azimech ramer, Martis ac Iouis qualitatem retinet. Quæ in septentrionali corona dispositæ sunt, quam Chaldei uocant malfelcare, eadem quæ Venus ac Mercurius agunt. Quæ ad ἐνγούνασι, qui Latinè geniculatus dicitur, Mercurio similes sunt: quæ in Lyra, quæ Chaldaicè uocatur asan-

ge, Veneri ac Mercurio: hoc signum à maioribus tum Græcis, tum Latinis lyra dicebatur, nunc uulturem cadentem nostri uocant. Eandem quoq; Veneris Mercurij q; naturã sequuntur stellæ quæ gallinam constituũt. Quæ sunt ad Cassiopiam, Saturni ac Veneris: quæ ad Perseum, Iouis & Saturni qualitates retinent. Globus stellarum qui est ad capulum gladij, Martius est. Lucidæ stellæ quæ sunt in Eniocho, quem nostri aurigam uocant, Martis Mercurioq; similes sunt. Quæ in serpentario, qui græcè ὀφιοῦχος dicitur, Saturni qualitatem retinet, habet & Veneris quiddam. Quæ ipso serpente collocantur, qualia Saturnus & Mars efficiunt. Quæ ad sagittam positæ sunt, Martis naturam imitantur, nonnihil etiã Veneris habent. Stellæ aquilam constituẽtes, Martiæ ac Iouiæ naturæ sunt: hoc signum à recentioribus uultur uolans dicitur. Quæ delphinum constituũt, Saturno Martiq; similia operantur. Lucidæ stellæ quæ ad equum sunt, Marti ac Mercurio similes sunt. Quæ in Andromeda, Venereæ: quæ in triangulo, Mercurialis qualitatis esse perhibẽtur. Hæc de stellis, quæ in signis ab orbe signifero in septentrionem uergentibus constituuntur, dicta sunt. Earum quæ in austrũ uergũt lucida stella, quæ in piscis australis ore fulget, operationes Venereis Mercurialibus similes facit. Quæ in pristice, qui cetus etiã uocatur, Saturninæ sunt. Earum quæ ad Orionem, quem recentiores fortissimũ cognominant, stella quæ in humeris collocatur, Marti Mercurioq; similis est. Quæ aliæ lucidæ stellæ ibidem sunt, Iouis ac Saturni naturas imitantur. Earũ quæ in flumine, quem Eridanum multi uocant, ultima quidem et fulgida Iouia est, cæteræ Saturninæ. Quæ in lepore, Saturninæ ac Mercuriales. Quæ in cane, Venereæ sunt omnes, præter eã quæ in ore lucet, quæ Iouia est, aliquantulum etiã Martis habens: ea dicitur à Chaldæis aſceber. In procyone, quẽ nunc antecanẽ uocãt, est lucida stella quæ Mercurij qualitatem habet, nec non & Martis aliquantulum. Stellæ quæ ad anguẽ fulgent, qui & hydrus uocatur, recẽtiores tamen nescio qua ratione ducti magnanimũ dicunt, Saturninæ sunt, atq; Venereæ. Quæ in cratere, similiter Venereæ sunt, quadam etiam è parte Mercuriales. Quæ ad coruum, Martiæ ac Saturninæ. Quæ in naui Argo perlucẽt, Saturni ac Iouis qualitates sequuntur. Quæ ad Centaurum, hoc est stellæ illæ quæ in parte humana corporis sunt, Veneris ac Martis efficaciam habent: quæ uerò in parte splendescunt equina, tum Iouis, tum Veneris uires assecutæ perhibentur. Quæ ad belluam, id est lupum, sunt lucidæ stellæ, Saturnum imitantur, habent & Martis quiddã. Quæ in thuribulo, Venereæ sunt, atq; ex parte aliqua Mercuriales. Stella quæ splendescit in australi corona, tum Mercurij, tum Saturni qualitati similem qualitatem habet. Hæc de stellis fixis hac in parte dixisse sufficiat, aliàs fortasse uberius atq; expressius de ijs dicemus.

PTOLE-

PTOLEMAEVS. XXX.

Inſpice primorum generis regum creationes. Si enim aſcendens creationis conuenit cum aſcendente geniturae regis filij, is regis ſucceſſor erit.

PONTANVS.

Superiori uerbo Ptolemæus docuit, eas eſſe fixarum uires, ut infimi loci homines aliquando in reges eucherent. Sed regno ſtabilito, regijſq; rebus compoſitis, quum liberi ſuccedere ex lege conſueuerint, docet nunc ex filiorum genituris iudicari poſſe, quis è liberis patri ſit in regno ſucceſſurus, atq; ubi unicus fuerit, an ille ſucceſſor ſit futurus. Quocirca primò inſpiciendum iubet cœli ſtatum, qua hora primus regni eius rex gubernacula accepit: antiqui creationem & deſignationem uocabant: nunc ſunt qui coronationem uocent, alij qui thronizationẽ: deinde nati genituram conſiderandam: cuius aſcendens ſi cum aſcendente paternæ, id eſt primæ deſignationis conuenerit, is profectò regni ſucceſſor erit. Signorum autem conuenientia potiſſimum uidetur ex triangulari & ſexangulari aſpectu conſtare: quanquam quæ maior conuenientia eſſe poteſt, quàm ſi idem ſignum utriuſq; ſit aſcendens? Nec uerò prætereundum eſt quod dicit, primorum ex genere regum creationes, non primi: fit enim uti aliquando nepotis genitura cum auita deſignatione magis cõueniat: quando & phyſici conſentiunt, nepotes ſæpenumero auitam corporis ſpeciem, & animæ quoq; qualitates magis quàm paternas referre. Sunt qui alias rationes ſequuti, dicãt etiã à culmine, hoc eſt à loco medij cœli, regiæ creationis indicari aliquando ſucceſſorem: nonnunquam etiam à ſtatu cœli, atq; à primis cardinibus coniunctionis Solis Lunæq;, aut oppoſitionis, quæ regiam creationem proxima anteceſſit. Memoriæ proditum eſt à Græco quodam mathematico, Aronem in Aegypti regno ſucceſſiſſe Achimeto patri, idq; Themimen mathematicum ab eo conſultum prædixiſſe, ex aui eius creatione, in qua Scorpius aſcenderat, fueratq; Sol in Virgine, quũ idem aſcendens eundemq; Solis locum in Aronis nepotis genitura fuiſſe conſpicaretur. Idem Græcus mathematicus, Græcum dico quòd Græcè ſcripſerit, accuſat eos, qui dicunt non ſucceſſuros filios in regno paterno, ubi filiorum natiuitates ſtellarum orientalitate, aut angularitate caruerint, quum magis inſpicere debeant aſcendentium, & item culminum deſignationis paternæ aut auitæ, aut primi ex ea gente regis cum filij natiuitate conuenientiam: primos reges dico, qui primi in urbe & regno aliquo regnare incipiunt, ut Alexandriæ Ptolemæus, in regno Neapolitano Carolus, quamuis ipſe alios ex eo pepulerit: ut non multis antè annis Franciſcus Sforția, licet ipſe Mediolanenſem

dominatũ uxori ſuæ Blancæ aſſerere uideretur: ut nuper qui à Ferdinando rege aut Duces, aut Barones inſtituti ſunt. Sed hac ipſa de re, id eſt, de filiorum ſucceſsione, qui iudicaturus eſt, antè gentium ac populorum leges inſtitutáq; conſiderare ipſum oportet, quum uideamus apud Syros nõ Soltanorum, id eſt regum liberos, ſed aliquem è ſeruorum numero, qui ſoli apud eos militant, ſuccedere: tametſi tanta interdum cœli uis, tantus ſtellarũ fauor eſt, ut nothus legitimo præferatur: quod comprobatũ eſt in Leonello Eſtenſi, qui præteritis duobus fratribus legitimis, ipſe ſpurius Nicolao Ferrarienſi Marchioni ſine ullo bello ſucceſsit. Quid de Pontificum Romanorum, quid de Venetorum Ducum ſucceſsionibus dicam? qui ſuffragijs tantũ creantur. Apud Britannos non tam leges in obtinendo regno, quàm factiones bellicaq; uis poſſunt. Apud Gallos & Hiſpanos filius natu maximus, quem primogenitum uocant, in regno ſuccedit, quo ante patrem mortuo, ex eo nepos regni hæres auo ſubſtituitur. Sed de hoc ſatis. Nunc id agamus, cur oriens mediumq; cœli, & regnum & regni ſucceſſorẽ denuncient, quum alijs in natiuitatibus ab imo patrimoniũ quæratur. Ac ne phyſicis ſemper rationibus agamus, quemadmodum in habendo ſenatu, atque in capiendis de republica conſilijs, locus eminentior, ſedesq; auguſta ſummo magiſtratui ſtatuitur, ſedetq; in ſuo rex ſolio, ſic in imperijs dominatibusq; exquirendis in natorum genituris, à cœli culmine, id eſt ſublimiore mundi parte res exigitur, iure quidem, quando ſummis ſumma conueniũt: unde nanque in terras radius aut rectior, aut uehementior, quàm à medio, ubi cœli culmen ſtatutũ eſt, mittitur? quo è loco apertiſsimus liberrimusq; in terras deſpectus eſt. Quod uerò ad orientem attinet cardinem, quum motus cauſa ſit omnium quæ ſub cœlo fiunt, ab oriente rerum principia metienda ſunt. Sicuti enim principia in actionibus ſeriem ex ſe agendarum rerum explicant, ſic orientis cœli motus reliquum cœli uolumen ſecum trahit, qui motus quando maximè ordinatus eſt, neceſſe eſt ut ordinatã à principio ad exitum ſeriem adducat. Rectè itaque Ptolemæus iubet aſcendens creationis regiæ, & regij filij natale aſcendens obſeruandum ad cognoſcendam ſucceſsionem eſſe: hæc enim ſi conuenerint, neceſſe eſt ut & res, quarum principia ipſa ſunt, ſimili modo conueniant.

PTOLEMAEVS. XXXI.

Quũ regni dominator in locũ climatericũ incident, tũc aut rex, aut è regni principibus magnus quiſpiam morietur. PONTANVS.

Græci quidam codices etiã hoc habent: Si in reuoluendo anno regni ſtella in ſigno depreſsionis inuenta fuerit, magnus aliquis uir ex ſtellæ ipſius natura

natura morietur. Sed ad sententiæ enarrationem ueniamus. Quod est antè dictum, ut generationis, sic etiam corruptionis causa motus est, futurorumq; malorum perinde ut bonorum indicia & causæ in cœlo constitutæ sunt, quando hæc est ad corruptionem uia. Etenim ut generatio interitui, sic felicitati miseria, bono malum aduersatur: atque ut generationis est incipere, sic interitus est desinere: utrunque autem à motu efficitur. Cœpit quispiam aliquando rex esse, desinet etiam aliquando: tunc uerò desinet, quum minaces planetæ ad locum nocentem atq; letalem peruenerint. Atque ut corporis nostri fabrica ex contrarijs constat, sic & ipsa contraria, ex quibus constamus, à cœlo affecta corrumpuntur. Sunt itaq; & in cœlo contrariorum affectuum atq; effectuum indicia, significationes & causæ. Neq; enim tanta rerum diuersitas inconstantiaq; esset ex sola materia, cuius tamen proprium est pati magis quàm agere, & affici potius quàm afficere. Incommodorum itaq; & morborũ, & corruptionis & mortis, cæterorumq; malorũ significationes ex noxijs locis aspectibusq;, qui illorũ causæ sunt, oriuntur: quæ quidem mala tunc euenient, quũ pernicioſus planeta ad locum progredietur, in quo res cœpit, aut ad loca hostilia ac minacia, hoc est quadrata, uel oppoſita, quæ ue minacibus tunc radijs feriebat, aut ad loca quæ Græcè dicuntur ἀφετικὰ, à nostris hodie Ilegialia barbaro nomine uocantur. Quæ loca quoniam Græci uocant climaterica, anni quoq; progreßionis eius climaterici dicuntur: quod nomen inde ductum uidetur, quòd ex aſcenſionibus planetarum, ſecundum climatis rectum aut obliquum circulum, cognoſcatur tempus quo planeta ſit ad locum eum peruenturus. Nos ea loca interimentia, & letalia, et perniciosa, & noxia à loci malignitate uocamus. In creando igitur rege, ut certa & ſtatuta cœli loca ſunt, quæ tum regi, tum regno felicitatem pollicentur, ſic contrà quæ infelicitatem minentur: & quia creati regis aliquando futurus eſt exitus, neceſſe eſt locum eſſe aliquem certum ſtatutumq;, in quem quum dominator inciderit, rex ipſe moriatur, ſi aut nullum omnino beneficæ ſtellæ præſidiũ contulerint, aut beneficarũ ipſarum radij hebetes atq; imbecilli erũt. Fieri tamen poteſt, ut periculum mortis quod à creatione portenditur, rex ipſe beneficio genituræ ſecurus euadat. Quocirca prius quàm de morte certũ aliqd affirmetur, genceſis inſpicienda eſt, conſiderandũq;, regi ne mortẽ, an regis dignitati finem potius uideatur afferre, ipſo rege ſuperſtite, an alicui ex regni primoribus mortẽ minitetur, ut nuper in Roberto principe Salernitano uidimus cõprobari. De qualitate autẽ mortis conſulendi ſunt planetæ illã minitantes, et loca, & gradus, et ſigna, in qbus, atq; è quibus portenditur. Idem regni ſignificator quũ in reuoluẽdis regni annis in depreßione ſua lãguere inuẽtus fuerit, potẽtis alicuius et clari uiri ex natura ſua mortẽ

denunciat. Sed hoc, ut dixi, Græci quidam codices tantum habent: quamuis nec absonum uideatur, nec ratione carere. Regni autem dominator significatorq; is est, qui plures potioresq; prærogatiuas in medij cœli cardine habet, quem tamen mutari contingit: siquidem alium par est fuisse Romani imperij significatorẽ, quum primi Consules magistratum iniere, alium quũ decem Tribuni, alium quum Iulius Cæsar in sella curuli regio more sedit, alium quum imperator Constantinus imperium, atq; imperij iura Byzantium transtulit, alium quum uiginti quatuor antè annis Mahometus Turcarum rex Constantinopolim cepit, cæso imperatore, ac Græcorum rebus attritis: quæ obseruari summa diligentia à mathematico debent.

PTOLEMAEVS XXXII.

Concordiam inter duos facit cõueniens stellarũ figuratio, speciem rei significantiũ, ex qua beneuolentia in utriusque genitura constituta est.

PONTANVS.

De ingenij aptitudine, déque naturali ad rem aliquam instinctu, in uerbo tertio abundè dictum est. Quia uerò in ijsdem non solùm artibus, uerumetiam facultatibus disciplinisq; alij inter se inimicitias exercerent, alij singulari quodam consensu simul uiuerent, redditur hîc à Ptolemæo & discordiæ, & consensus ratio, quam ex natalitiarum stellarum collocatione, artem & facultatem eam significantium, proficisci docet. Etenim si naturalis ad rem aliquam propensio à stellis manat, à quibus corporis est formata fabrica, si felices infelicesq;, amici inimiciq;, in cœlo stellarum ipsarũ aspectus sunt, si earum radij nunc cõiuncti, nunc obliqui, nunc etiam aduersi irradiãt, fieri necesse est, ut inter eos qui artes facultatesq; ab illis significatas exercent, concordia discordiá ue pro radiorum collocationisq; necessitudine aut hostilitate oriatur. Quocirca inspectis genituris eorum qui ad mercaturam, qui ad easdem artes facultatesq; exercendas à cœlo applicantur, facilè prudens mathematicus iudicabit, futurá ne sit inter illos concordia an discordia, odium an familiaritas, commodatio an incommodatio, quod stellarum collocatio, ac cœli status demonstrabit. Si enim facultatis eiusdem stella significatrix, in eodem cœli loco signoq;, in illorum natiuitatibus, aut in trigonis hexagonisq; signis reperta fuerit, dubitandum nõ est magnum inter eos uiuendi consensum fore: contrà si in signis locisq; oppositis inuenientur, lites discordiasq; ob artem facultatemq; ipsam orituras. Quas ad res certius cognoscendas multùm etiam conferent in utranq; partem aliorum planetarum irradiationes atq; constitutiones. Quòd si in figura natali nulla significatricis stellæ, nulla signorũ locorumq; conuenientia, nullus

nullus etiam planetarum aliorum bonus aspectus accesserit, quæ inter artifices illos conuenientia familiaritasq; esse poterit? Itaque exercebunt illi quidem artem facultatemue à cœlo promissam, familiaritatem uerò inter se nullam, quando parum à stellis conceditur, exercebunt.

PTOLEMAEVS. XXXIII.

Amor odiumq; tum ex luminarium concordia discordiaq;, tum ex utriusque geniturę ascendentibus deprehenditur. Adaugent autem beneuolentiam obedientia signa.

PONTANVS.

Hominem natura sociabilem esse constat, unde & cœtus amat, & ciuitates colit. Ad hanc naturalem societatem accedit ea quæ dicitur amicitia, quæ nomen ab amore duxit. Cur autem uni quàm alteri magis afficiamur, et beneuolentia iungamur maiore, Sol Lunaq; efficiunt, & signa quæ grato aspectu sese intuẽtur. Etenim Luna quum sit corporum domina, Sol spiritum corporibus infundat, ita corpus animumq; afficiunt, ut in quo maior similitudo sit, ad eum magis magisq; amandum impellant. Quocirca quia de familiaritate & conuenientia illa, quæ à planetis ob artium ac facultatũ similitudinem conciliatur, abundè præceptum est, statim subditur regula, per quam inspecta nati alicuius genitura amicitias eius iudicare possimus, & qui sint quos amore intimo natus is complexurus uidcatur: quod ut apertius ostendamus, unius atq; alterius genituræ figuram subijciamus. Natus est Marcus ascendente Ariete, Sole in Ariete ipso, Luna in Capricorno constituta. Lucius uerò natus est Capricorno ascendente, Sole Capricornum, Arietem Luna peragrante. Iudicandum est futuram inter hos arctissimam familiaritatem propter commutata luminarium signa in utriusque genitura. Similiter si Marcus habuisset Solem in Tauro, Lunã in Piscibus, Lucius uerò Lunam in Virgine, Solem in Cancro, quibus è signis, triangularibus se inuicẽ radijs Sol Lunaq; intuentur: aut si in Marci genitura Sol fuisset in Aquario, Luna in Geminis: in Lucij uerò natiuitate Luna in Sagittario, Sol in Leone, quibus è locis sexangulari è loco luminaria se aspiciunt. Signa quoq; grato lumine se aspicientia amorem conciliant, ea sunt signa sexangularia & triangularia. Amabũt enim mutua se beneuolentia, in quorum genituris ascenderint Aries, Leo aut Sagittarius, Taurus, Virgo aut Capricornus, quæ signa triangulari, gratoq; aspectu se intuentur: & item quibus ascenderint Libra, Aquarius ac Gemini, seu Gemini, Leo & Libra. Arctius tamen uinculum erit inter illos, quos triãgularia signa coniunxerint, propter maiorem conuenientiam qualitatum ac radiorum.

Illorum tamen arctiſsimum uinculum erit, quorum eadem ſigna, ijdemq; gradus fuerint aſcendentes hora natiuitatis: quæ ſigna ſi obedientia fuerint, mirificum inter utroſque amorem ingenerabunt, cum ſingulari quadam conuenientia, & pacati animi æquabilitate, utputa ſi in alterius genitura Scorpius, in alterius uerò geneſi Piſces aſcenderint: utrunque enim ſignum obediens eſt. & ſigna quidem obedientia natorum animos adinuicem obtemperandum impellunt, qua è re conuenientia ſtabilitasq; amoris comparatur. At Leo Sagittariusque licet triangulares ſint, tamen cui Leo aſcenderit, tametſi afficiatur erga eum cui aſcenderit Sagittarius, illius tamen amor erit cum quodam quaſi imperio, & autoritate: at huius cum ſubiectione & ſimulatu, quum Leo ſignum ſit imperioſum, Sagittarius uerò ſignum obediens. Sed ne in aliquo falſi ſimus, inſpiciendum etiam, quaſe planetæ, ſignorum domini, ratione conſpiciant, num etiam ſigna ipſa maleficis à ſtellis occupata ſint, aut inimicis radijs feriãtur. Quæ omnia miſcenda ſunt, ut de amoris magnitudine aut exiguitate, ac familiaritatis firmitate infirmitate'ue certius tradi iudicium poſsit. De futuris uerò odijs ac ſimultatibus facilè iudicari poterit, quoties aſcendentia ipſa ſibi inuicem aduerſabuntur, nec luminarium ſimilitudo aut ſignorum commutatio acceſſerit: quæ odia tanto acerbiora erunt, ſi luminaria ipſa quadratum oppoſitum'ue alterum alterius inſederit locum.

PTOLEMAEVS. XXXIIII.

Dominator ſeu hoſpitator interlunij ſi cardinalis fuerit, quæcũq; illo menſe futura ſint, ſignificat.

PONTANVS.

Hæc ſententia tametſi ad aëris ſtatum ex Lunæ Solisq; coniunctione cognoſcendum planè pertinet, fuere tamen qui ad hominũ genituras eam referrent, rati Ptolemæum de cardinibus geniturarum omnino ſentire, ut locus dominatoris nouilunij aut plenilunij uni ex angulis genituræ cõgrueret, idq; in hominũ tantum genituris probatũ eſſe, in ortu uerò cæterorũ animalium nequaquam cõtingere. Quod cur ex hoc Ptolemæi enunciato cõijcere uoluerint, nõ ſatis intelligo, quũ eius uerba manifeſta ſint. Dominus, inquit, loci in quo Solis Lunæq; coniunctio fit, ſi quem coniunctionis tempore cœli cardinẽ tenuerit, index erit eorum omnium quæ menſe illo ad alteram uſque copulationem futura ſunt, hoc eſt, ſiccus'ne an pluuius, an mixtum nunc pluuius, nunc ſerenus: item calidus'ne an frigidus, an moderati temperamenti menſis futurus ſit: qui etiam uenti flaturi ſint, & in qua menſis ipſius parte. De aëris autẽ ſtatu ſentire Ptolemæum, declarat etiam

etiam subsequens de Sole enunciatum: more enim suo Solis Lunæq; apotelesmata simul annectit. Quumq; sententia hac qualitatem mensis ex Lunæ Solisq; coitu cognoscendam tradidisset, pro collocatione planetæ dominatoris, aut domini signi eius in quo cõiunctio ipsa contigisset, statim subdidit de Sole sententiã, quem ait ciere aërem pro natura planetæ, ad cuius planetæ locũ Sol ipse profectus fuerit. Ad hæc Luna quũ sit mensis domina, futuri mensis indiciũ ab hora & puncto coniunctionis sumendum docet. De Sole uerò quũ sit anni totius dominus, sic præcipit, ut dicat à Solis reditu ad principiũ Arietis decerni posse, quas commotiones in aëre Sol ipse intra annũ facturus uideatur, quo tempore ad planctæ cuiusq; locum perueniet. Sed sententiã iam ipsam aperiamus. Dominus signi in quo Luna cum Sole coit, siue planeta ille, qui plures ac maiores eo in loco prærogatiuas habuerit, qualis mensis ille per singulas sui partes futurus sit, declarabit, si tempore interlunij (interluniũ autem ac nouilunium uoco Lunæ ac Solis copulationẽ, quam σύνοδον Græci uocant) in aliquo cœli cardine dominabitur. quo dicto monemur menstruum hoc iudicium à dominatore sumendum semper non esse, sed tunc solùm, quum in aliquo cœli cardine præsidere inuentus fuerit: cardinalis enim prærogatiuæ ratione tantum iuris atq; autoritatis illum sibi uendicare, ut ab eo tanquã præfecto quodam iudicium exigatur. Hæc sententia ipsa per se tametsi clara atq; absoluta uidetur, uolenti tamen iudicare aliquanto difficilior ac perplexior apparebit: siquidem natura planetæ ipsius inspicienda est, item signi non solùm ubi cõiunctio fit, sed in quo dominator aut hospitator ille reperitur, attendendæ cõiunctiones & cõfigurationes toto mense futuræ, quæ item cõiunctionum atq; aspectuum tempore signa ascensura sint, ortus quoq; atq; occasus syderum considerandi, & Lunæ ipsius defluxus atq; configurationes, & quæ mansiones dicũtur, quæq; alia multa exactißimè, diligentißimeq; pensitanda sunt, est enim res plena difficultatis. Sed nec regionis qualitas, aut anni pars prætereunda est. In primis autem scire oportet, quæ sit cuiusq; planetæ in elementis efficacia: alius enim densat, contrà alius rarefacit: alius humectat, alius rursum exiccat: hic frigus excitat, ille calorem affert: est qui cogat, contrà qui coacta soluat. Ipsorum quoq; signorum gradus quales sint, & cuius planetæ finibus attribuantur, diligẽter inspiciendum est. Cardinum quoque ipsorum naturæ perquirendæ, ne in parte aliqua decepti labamur. His dictis aperiendum relinquitur, quem dominatorẽ, quem etiam hospitatorem uocemus. Differunt enim inter se, quamuis idem ipse planeta simul & dominator, & hospitator aliquando inueniatur. Dominatorem eum dicimus, qui Græcè est ἐπικρατήτως, inde dictus, quòd epicratesim, id est dominatum inter alios planetas obtineat, sitq; in tota

figura cæteris pollentior: quæ è re placuit latinè dominatorem nominare, quòd eius autoritas alijs præferatur, sitq; penes eum dominandi licentia: quidam etiam præpositæ præpositione qua rem magis exprimerent, prædominatorē uocauere: hunc eundem significatorē aliquādo dicimus, quòd constitutionis, figuræq; totius primā maximamq; significationē habeat. Hospitatorem intelligi eum uolumus, qui Græcè uocatur οἰκοδεσπότης: ac tametsi expressius dicatur pater familiâs, siue domus dominus: hoc enim Græcè sonat: maluimus tamen uno, quanquam nouo uerbo, hospitatorem, quòd domo sua suoq; hospitio alium accipiat, appellare. Græci hūc ipsum οἰκοδεσπότην, aliquando κύριον γενέσεως, id est dominum genituræ uocant, quod etiam Iulius Maternus in matheseos libris testatur. Sed de domino genituræ aliâs. Dicitur autem planeta alterius planetæ hospitator & tanquā pater familiâs, quū in domo sua illū accipit, cuius etiā curam patrociniumq; hospitij iure susceperit: nam si Venus in Virgine constituta sit, Mercurium Veneris hospitatorem, quòd Virgo Mercurij domus est, dicimus. Si Sol in Ariete inueniatur, quòd Aries domicilium Martis est, Solis patrocinium iure hospitij Mars accipit, quippe qui perinde ut pater familiâs propria Solem domo accipiat. Igitur qui mensis totius qualitatem prædicturus est, inspicere accuratissimè debet, an quem cœli cardinem Lunaris coitus tempore teneat, aut dominator, id est planeta plures ac maiores prærogatiuas in loco cōiunctionis habens, aut hospitator, hoc est signi eius dominus, in quo Luna cum Sole coiuerit. Quid autem sequendum foret, ubi neuter cardinalis esset, Ptolemæus non attigit, præceptum hoc ut minimè fallax tradidisse cōtentus: ex quo conijci rectè potest, in mensis statu prædicendo non modò locum Lunaris cum Sole congressionis inspiciendum esse, uerùm etiam cardines, cardinumq; ipsorum dominos, item planetas illic præsidentes, quí ue ipsos cardines intuentur, ac quo etiam è loco & quali è signo aspiciant, obseruari oportere.

PTOLEMAEVS. XXXV.

Sol quū in alicuius Stellæ locum deuenerit, uim eius excitat quam in aëre habet.

PONTANVS.

Sol ut est temporum autor, ab eo enim est & dies, et annus, sic frigoris atq; caloris, humidi atq; sicci, quæ temporū anni qualitates sunt, excitator & index est: mouet enim qualitates aëris pro natura erraticæ stellæ, quā in signo quod ipse permeat reperierit, ut si Mars in reuolutione anni fuerit in Geminis, Sol Geminos ingressus, & Martis loco uicinior factus calores excitabit, & quidem solito maiores: contrà frigora & niues, si Capricornum

pricornum ingressus illic Saturnū inuenerit: rursum si Geminos ingressus illic Saturnum inuenerit, remissior calor erit: item frigus remissius, si ad Capricornum profectus in Martis locum deuenerit. Quam ad rem qualitates quoq; signorum multùm conferent: signi enim calor ad Martis calorem plurimùm addet, demetq; de Saturni frigore: contrà frigida signi iuis, Saturni frigus augebit, Martis calorem imminuet. Quocirca partes anni eam sequentur qualitatē, quam Sol ipse mouebit pro natura planetæ, quem planetā siue locum eius in signo quoq; illud ingressus inuenerit: nam quum planeta pro natura sua, proq; signi etiam qualitate aërem infecerit, Sol ad locū planetæ ipsius profectus, quod ab illo infectum erat, præsentia sua cōmouet, occultasq; planetæ commotiones manifestas facit. Aspectus quoque & situs planetarum aliorum considerandi sunt, & Lunæ cursus in primis attendendus, ut tanquā in statera quadam examinari cuncta certius queant, siue in maius, siue in minus propendant. Nec uerò me præterit, opinari quosdam, dici hoc à Ptolemæo de Solis peragratione in signis quibusq;, ut Sole ipso in Ariete constituto, ea sit aëris qualitas, ni alia obstiterint, qualem Mars ibidem positus excitaret, sic in Piscibus, sic in Tauro, sic in Geminis, ac si Iupiter in Piscibus, Venus in Tauro, Mercurius in Geminis positus esset. Cui opinioni quo minus accedam, tum alia multa, tum præcipuè hoc me mouet, quòd autor ipse non signum dicit, sed locum: est enim Græcè τόπος, id est locum, non ζῳδίον, quod signum est. Nam signum est in zodiaco cuique planetæ suum, & semper quidem suum: ubiq; enim Aries signum & domicilium Martis est, Pisces Iouis, Aquarius Saturni, sed loca mutantur: & qui nunc locus est Veneris, paucis pòst diebus poterit esse Mercurij, Martis, Saturni. Singulorum enim planctarum locum eum dicimus, quem in cœli constitutione facienda unusquisq; planeta tenere tunc inuentus fuerit. Sunt enim loca occupantium, signa uerò ac domicilia dominorum: & illa quidem, hoc est loca, mutantur pro tempore: hæc, id est domicilia, perpetua sunt, & uniuscuiusq; planetæ propria. Quidam textus ubi nos dicimus, in aëre, habent, in stella, ut sit sensus, Solem excitare uim, quā locus habet in stella, ad cuius stellæ locum Sol profectus est. Quocirca sunt qui putent sic intelligendum esse, si stella frigidæ naturæ ad locum, hoc est signum (locum enim pro signo accipiunt) frigidum peruenerit, sitq; hiberum tempus, fore ut frigus magis ac magis augeatur: sin fuerit signum calidum, fore ut frigus remittatur, quòd signi calor frigidæ stellæ frigus immi nuat, & quodammodo temperet: quòd si calidum signum fuerit, & planeta calidus, planetæ calorem signi calore intendi. idem in cæteris anni partibus qualitatibusq;. Cui opinioni nihil in hoc refragamur, in illo uerò dissentimus, quòd hi locum pro signo accipiunt, nos locū ipsum intelligendum

censemus, et in anni reuolutione, ut hoc inspiciatur præcipi à Ptolemæo iu dicamus, ut superiori enũciato diximus. Quid enim opus erat de Sole mentionem facere, nisi hoc ad Solem pertineret? Imminui enim planetarum qualitates à contrarijs qualitatibus signorũ, augeri à similibus, suapte natura contingit, Sole etiam longius à signis, ubi planetæ fuerint, remoto.

PTOLEMAEVS. XXXVI.

In condendis urbibus stellis fixis, quæ cõferre habeãt, utere. In ædificandis uerò domibus, erraticis. Reges cuiuscunq; urbis, quæ Martem culminantẽ habuerint, gladio plerunq; pereunt.

PONTANVS.

Quanta cœli ac stellarũ uis sit in corporibus, rebusq; inferioribus, singulis penè sententijs hoc libello nobis Ptolemæus ostendit, docetq; non ea solùm quæ in ipsis elementis naturaliter contingunt, ad stellas referenda esse, sed hominũ quoq; opera nõ alium euentũ habere, quàm quẽ in operibus ipsis exordiendis cœli stellarumq; constitutio ab initio portenderit. Quo circa quũ de Solis Lunæq;, & planetarũ aliorum actionibus in aëre, præcepisset, ut ostenderet hominũ quoq; opera stellarum decreta sequi, ipsosq; homines plurimũ conferre inceptis suis posse, felicẽ cœli statum eligendo, statim subiecit, quid obseruandum in cõdendis urbibus censeret, quarũ magnitudo fortunaq;, siue prospera siue aduersa ædificationis hora, quũ à stellis portendatur, docet humano fieri consilio posse, uti condendæ urbis tum firmitati, tum felicitati optimè cõsulatur, ubi bonũ cœli statũ ædificationis tempore quis elegerit. Siquidem, ut antè dictũ est, ab ipso mouendi initio reliqua motus series explicatur. Quumq; ab initio ad finẽ ipsum progressio sit, talia quidem rerũ euenta futura sunt, qualia fuerãt à cœlo in initio significata. In condendis igitur urbibus duo potissimũ quærenda uidentur, urbis diuturnitas, ac felix ciuiũ status: quas ad res quũ planetarũ uires minores essent, fixarũ uerò bona quanq; locupletiora, solere tamen, ut dictũ est, calamitatibus cõfici, nisi felicibus planetarũ radijs iuuarentur: idcirco Ptolemæus iubet in condendis oppidis utrunq; inspiciendũ, ut & planetæ ipsi bene in cœlo constituti sint, et fixarũ stellarũ præsidiũ è felicibus ac primarijs locis accedat. Quamobrẽ Ptolemæus quũ ait utendum esse fixis, quæ cõferant, id est simul operentur: hoc enim sonat græcũ uerbũ συνεργοῖς, id est cooperantibus, siue cooperatricibus: innuere uidetur, ut planetæ primùm bene collocentur, deinde ut illorũ uires fixarũ præsidijs firmẽtur, aut simul eas coniungendo, aut in beneuolis aspectibus, ac primarijs cœli locis collocando. Maxima uerò cardinũ uis est: qui quum sint quatuor, prima au-

toritas

toritas ac potestas (st medij cœli & horoscopi. Cum primis autẽ cauendũ iubet, ne in primis iaciendis fundamentis Mars mediũ teneat, q, ea domus principi tribuatur, quodq; Mars quũ sit sanguinolentus & minax, uiolentã principi mortẽ mĩnitetur. Ideo autẽ dixit, plerunq;, non semper, q, felix Veneris Iouisq; irradiatio tutari aliquando principẽ poterit, & à ui gladioq; defendet. Si enim Mars in domo & finibus Iouis repertus fuerit, ipse autẽ Iupiter feliciter collocatus, liberq; impedimentis, Martis rabies Iouis moderatione temperabitur: atq; eo magis, si Veneris quoq;, aut fixæ alicuius, quæ Iouiæ Venereæq; naturæ sit, præsidium accesserit: atq; ut Mars cauendus est, sic etiã fixa Martis naturã habens: quando noxij fixarũ effectus repentini sunt, & impetus acriores habẽt. Quocirca in auspicandis urbiũ fundamentis fixæ sunt eligendæ, quæ beneficorũ planetarũ Iouis ac Veneris naturam sequantur, uidendumq; uti malefici planetæ, quantũ disciplina ipsa fert, sic collocentur, ut ab illis fauor potius expectandus, quàm incõmoda timenda sint. In domo autem ædificanda planetas magis sequendos iubet, quòd minimè tanta diuturnitas quæratur: neq; enim in plura secula ab eo, qui domum ædificat, prospici solet.

PTOLEMAEVS. XXXVII.

Qui Virginẽ aut Pisces horoscopũ habent, ij pote statis suæ causa erũt: quorũ autẽ ascendens erit Aries aut Libra, ij mortis suæ causa erũt. Eodẽ modo in cæteris signis ratiocinaberis.

PONTANVS.

Cœli constitutio genituræ tempore nati uitã & artes, & facultates, & dignitates, quæq; alia cuẽtura sunt, indicat pro domorũ qualitatibus, planetarũ configurationibus, fixarũ situ, signorũq; naturis, habita etiã parentũ, regionis & patriæ ratione. nanq;, ut sæpius dictum est, omnẽ secum explicationis seriẽ motus ille natalis trahit, corporaq; inferiora quum cœlestiũ corporũ agitationes sequãtur, etiã quæ corporibus accidũt, ut candor, proceritas, breuitas, celeritas, tarditas, grauitas, leuitas cœlesti à cõstitutione deducũtur, habita, ut dixi, parentũ ac patriæ ratione. Quũq; tales sint hominis cogitationes atq; affectus, quales à sensibus imaginariaq; excitãtur, instinctus quoq; naturales, et aptitudines, ppensionesq; ad has atq; illas res eadẽ è causa proficiscẽtur. Appetitiones itẽ et cupiditates, & studia, quando ab humoribus pro cuiusq; natura, proq; ipsorũ mixtura tẽperationeq; cõmouentur, cœli quoq; humores ipsos afficiẽtes naturã affectionesq; imitabuntur. Quũ aũt tam uariæ multiplicesq; sint humanarũ actionũ diuersitates et artiũ ac studiorũ genera tam multa, aliusq; huic q̃ illi rei magis minúsue aptus sit, alius assidua industria operaq; adhibita, parum in ea quam exer

cet arte proficiat: alius leui, & penè nullo labore studioq; ad magnos peruenìat profectus: hoc ipsum nõ modò uoluntati rationiq;, sed cœlo, stellisq; natalibus magis attribuendum uidetur. Quumq; alius, quamuis parcè uiuendo, atq; in aëre salubri, & è sanis parentibus natus, assiduis morbis uexetur: alius liberaliùs uentri indulgendo, quamuis in aëre grauiore, ex infirmis ortus parentibus, perpetuam sanitatem retineat, quod humoris natura ualidáq; corporis concretio præstat: hoc nisi à cœli constitutione naliumq; stellarum cõtingere beneficio nequit. Quid autem hunc hilarem è tristibus ortum parentibus, aut illum tristem ex hilaribus natum, nisi corporis fabrica, quam cœlum informauit, efficit? Quid quòd hic parentibus sit suis superstes, ille in incunabulis diem obeat? ille quãuis probus, quamuis claro loco natus, & honorum studiosus, nullos assequatur magistratus, hic degener & obscurus prouincijs præsit? ille licet strenuus ac fortis, nunquam Tribunus, nunquã dux euadat, at hic ignauus & fugax cohorti præficiatur, atq; exercitum ducat? Cœli inquam constitutio, & stellarum uis, hæc cuncta efficit: & ne singula persequar, quæ, ut dixi, homini eueniunt, ea ab ipso genituræ exordio, natalisq; cœli constitutione indicantur, quæ tamen, ut antè dictum est, partim adiuuari atq; ampliari consilio & diligentia possunt, partim minui atque impediri. Diuturna autem obseruatio docuit, quid à prima genituræ domo, quid à secunda, quid à tertia, ac deinceps portendatur: quid etiam à domorum ipsarum dominis, atq; ab aliorum planetarum aspectibus, coniunctionibus, collocationibusq; significetur. Quoties enim genituræ tempore stella ascendentis domina cum stella dominatrice medij cœli bene collocata fuerit, nato felicitatẽ magisterij sui & dignitatem, & honorem affert: contrà uerò quum utraque malè fuerit collocata. Vtq; ad rem ueniamus, cui nascenti Virgo ascenderit, is habebit in culmine Geminos: utriusq; autem domicilij idem dominus est Mercurius, cuius potestas quum utrique signo præsit, duplicatur. Quare si bene tunc fuerit collocatus, nato illi & honores, & dignitates, & magistratus confert, & felices actiones promittit. Simili etiam modo cui genituræ tempore Pisces ascenderint, is in culmine Sagittarium habebit: qua è re uires Iouis auctæ, quòd domui utrique præest, nato quoque bonum ex proprio magisterio, atque actionibus proprijs honores autoritatemq; præbebunt, si tamen Iupiter feliciter collocabitur: eius autem boni causa sibi ipse natus erit, quando eadẽ stella est ascendentis domina, à quo motus orditur, & medij cœli, à quo dignitates, magisteria & actiones significantur: quæres eius ingenij, industriæ, consilijq; fore natũ indicat, uti proprijs uirtutibus suaq; opera ad honores dignitatesq; prouehatur. Cui ascenderit Capricornus, is quum in secundo loco habeat Aquarium, quæ domus est rei

familiaris

familiaris & census, futurus est ipse sui peculij causa, quando Saturnus utri que signo dominatur, cũ labore tamen et difficultate propter stellæ ipsius qualitatem. Sin Aquarius ascenderit, quum duodecimam Capricornus do mum teneat, quæ est domus inimicitiarum, solicitudinis atque curarum, na tus cuius hæc genitura fuerit, ipse sibi causa erit prouocandarum inimici- tiarum, solicitudinis & mœrorum. Cuius horoscopus fuerit Scorpius, is suæ sibi ægritudinis causa futurus est, quum Aries sextam domum teneat, quæ domus est morborum & ægritudinis, Marsq; domui utrique domi- netur. Qui natus est horoscopante Libra, quia Taurus octauum locum, qui mortis est, occupat, quòd utriq; etiam signo Venus dominatur, hic suæ morti causam afferet. Eodem etiam ille modo cui nascenti Aries exoritur, quoniã in domo quæ octaua est Scorpius reperitur, præcstq; utrique Mars signo: hoc autem euenire poterit aut propter morbos, quòd insania captus ex alto se præcipitet: aut propter desperationem, quòd se gladio traijciat: aut propter temeritatem, quum facere quippiam prohibitus, legi ipsi pa- rum obtemperans in pœnam capitalem quasi uolens incidat: aut quũ præ torem, aut dominum peruicaciter agendo in se prouocat: aut quum moni tus ut hostem fugiat, facere id recusat: aut quum euitare periculum potest, quod tamen securus negligit. Sunt enim innumerabiles uiæ rationésque, quibus homines & mortis, & malorũ aliorum sibi causa esse possunt. Cu ius horoscopus natalis fuerit Sagittarius, is comparando patrimonio sibi autor erit, propter Iouem dominum signi ascendentis & signi in imo po- siti, quæ domus est patrimonij: & item ille, cuius ascendens fuerit Gemini, propter Mercurium dominum signi ascendentis & quarti, hoc est Virgi- nis. Sed bona malaq; ex his constitutionibus significata & minuuntur, & amplificantur pro collocatione dominantiũ planetarum, proq; benuola- rum aut maleuolarum stellarum aspectu: quanquam alia quoq; multa ui- dentur inspicienda.

PTOLEMAEVS. XXXVIII.

Quum Mercurius in altera domorũ Saturni con stitutus ac potens fuerit, coniecturatiuum nato dat intellectum, ac rerum scrutationem: in Martis uerò domo, ac præsertim in Ariete, facundiam.

PONTANVS.

Rationalis animæ uis ad Mercuriũ refertur, sicuti appetiscendi ad Ve- nerem, ad Martem irascendi, quemadmodum antè docuimus. At rationalis neq; in atra bili, id est terreo humore, collocabitur, quandoquidem obtu- sus est, ac nullius motus: neq; in aëreo, id est humido calidoq;, cuius uis tan

ti motus, acuminis q̃; non est, ut meritò collocari in eo rationalis uis debeat, quando ad inquirendum cõtemplandumq̃;, maxima ingenij celeritate, summoq̃; acumine opus est. Ad hæc humori terreo Saturnus præest, Iupiter aërio, id est sanguini: Mercurius uerò quũ ex quatuor humoribus, quibus concretũ est corpus, nulli præsit, uisq̃; ad eũ rationalis referatur, nullo in humore collocare rationalem uim possumus. An fortasse ut intellectus in nulla corporis parte collocatus est, sic uis rationalis in nullo certo humore sedem habuit? Quæ tamen quũ in uno quàm in alio homine magis uigeat, quod è corporis textura proficisci par est, huius rei causam cœlum ac stellas esse necesse est, quod subtilius inquirendum uidetur. Solem generationis principem esse non est qui neget, à quo (quũ sit ipse fons luminis, atq; caloris) corpora animantur, uitalesq̃; illis spiritus infunduntur, animatũ aũt corpus ac sentientibus spiritibus præditũ, quod animal uocamus, necesse est irasci, dolere, lætari, appetere, abhorrere, alijsq̃; atq; alijs affectibus cõmoueri. Quando autem homo nõ solùm est animal, sed rationale etiam animal, cuius propriũ est cogitare, quærere, distinguere, iudicare, causas nosse, scire, necesse est hominem ipsum ad quærendum, contemplandumq̃; moueri, celerius tamen aut tardius pro spirituum qualitate, ac spiritus item ipsos tum acui, tum obtundi. Quoniam ucrò nihil est in cœlo superuacuũ, uidentur & alij planetæ Solis munus adiuuare, & quidam tanquam ministri generationis ipsius principi obsequi et obtemperare. Quũ autem Mars, Venus ac Mercurius Soli propinquiores sint, ad uires animæ suscitandas propius auxiliũ afferunt. Itaq; Mars irascibilem, utpote superiore in loco positus, cõcitauit: etenim rubra bilis quũ sit ignea, sursum fertur, Venus concupiscibilem in loco inferiore posita, quando uis ipsa cupiditatum suscitatrix deorsum magis contendit. At Mercurius rationali præfuit, quãdo Soli comitatus nunquã ab ipso generationis, uitæq̃; autore longius abest. Ex quo efficitur, ut ratio primaria sit animæ nostræ uis, sitq̃; hominis propriũ ratione uti. Et Venus quidem ac Mars Soli seruiunt ad animal informandum, ut qui sensus excitẽt: Mercurius uerò, ut qui intellectum moueat, ac propter motus sui celeritatẽ minimè quiescere patiatur: sensus enim offerunt, quæ pòst intellectus perscrutatur. Etenim scire primum appetimus, deinde ad sciendum excitamur, post hanc autem cõmotionem intellectus, et ea quæ mens dicitur, inquirit ac contẽplatur. Ergo quũ Sol naturæ nostræ autor & parens sit, iure Mercurio, qui Soli quamproximus est, ratio attribuitur, nec est in humore aliquo aut ulla parte corporis collocata. Famulari autem Soli Mercuriũ in rationali parte hoc ipsum docet, quòd quum Soli cor cerebrumq̃; sit attributum, ubi ueteres philosophi primariam animæ sedem statuere, Mercurio orationẽ, deliberationẽ, memoriam,

memoriam, linguam quoq; atque fil rerum cœli ſcriptores attribuunt. Et ratio quidem animæ cogitationũ interpres eſt, memoria theſaurus, ut inquiunt, & tanquam penu eorũ, quæ mente & cogitatione, ſenſibus deniq; comprehenſa ſunt. Deliberatio eſt de utili aut inutili, recto aut prauo, bono malo'ue, turpi item aut honeſto: de his enim deliberare homines ſolent, quod eſt rationis officium, hoc eſt ſequantur, nec ne, & quomodo etiam ſequantur. Lingua inſtrumentum eſt ad ea efferenda, quæ animus cogitando & ratiocinando concepit. Fellis natura eſt acris, penetrabilis q̃: atq; hic quidem humor quantas ad intelligendum contemplandumq; uires habeat, docet Ariſtoteles. Quoniam autem naturales operationes mixtæ ſunt, ac ſibi inuicem nunc opitulantur, nunc aduerſantur, neceſſe eſt uti planetæ operationum ipſarum ſuſcitatores ſibi quoque inuicem miſceantur. Quocirca quum tardi motus aridæq; naturæ Saturnus ſit, fixas ſtabilesq; cogitationes Mercurio immixtus dabit: ad contemplandũ autẽ nihil tam confert, quàm aſſiduitas cogitandi. Ad hæc quũ frigida & arida uis animum cohibeat, cunctatio inde oritur, & in agendis rebus cautio, quæ prudentiam exuſcitãt, è qua diligentia emanat. Timentem enim & cautè adminiſtrantem, neceſſe eſt multa ſimul circumſpicere: rerum autem circumſpicientia & contrariorum cautio prudentia eſt, quam Mercurius propter rationis inquiſitionem, ueriq; perſcrutationẽ, Saturnus, hoc eſt ſignum in quo ipſe dominatur, propter cautiones & cogitandi aſſiduitatẽ, nato pollicentur. Adhæc quum rationis, cui Mercurius præeſt, propriũ ſit, quaq; in re quid uerum ſit cernere, addita à Saturno cogitationũ aſſiduitate, neceſſe eſt natũ contemplantẽ eſſe, atq; in rerum inquiſitione uerſari, multa ſimul & conijcientem propter ſigna, quorum eſt obſeruator: & diſpicientem, propter naturale acumen. Sed hæc tum coniecturatio contemplatióque, tum etiam prudentia maior minor'ue futura eſt, pro collocatione utriuſq; planetæ Saturni ac Mercurij, & aliorum planetarum aſpectu. In primis autem uidendum eſt, ut Mercurius ipſe potens ſit: ſi enim aut repedabit, aut comburetur, aut in deiecto loco erit, quia tunc imbecillus eſt, implere hoc non poterit. Quoniam autem eorũ quæ mente concipimus, quæq; animo ſentimus, oratio (ut dictum eſt) interpres eſt, idem Mercurius in Martis domicilijs inuentus natum facundum & eloquentem reddet. propter uim enim choleræ quod ſentit efferre audebit: quumq; humor hic motus cõcitatiores habeat, uehementi quodam ſpiritu natus ipſe pronũciabit. Quamobrem adiutus à Marte Mercurius, hoſpitioq; acceptus, ſubminiſtrabit ad eloquendum & animi audaciam, & linguæ celeritatem, et in dicendo uehementiam. ideo autem in Ariete magis quàm in Scorpio acceptus Mercurius hoc præſtabit, quòd id ſignũ capiti præſit, in quo lingua, et os, & pleraq; ora-

tionis instrumenta sita sunt. quin etiam igneum quũ sit signum, linguæ uo lubilitatem maiorem propter siccitatem, & orationis uim acriorem propter calorem dabit: nam Scorpius quum humectæ naturæ sit, ad uolubilitatem largiendam nec tam idoneus est, nec ipse capiti præest.

PTOLEMAEVS. XXXIX.

Afflictio undecimi loci in creatione regis, detrimentum significat & domesticorum eius & pecuniarum. Secundi autem loci afflictio, pecuniarum o= uilis eius detrimentum significat.

PONTANVS.

Sparsim iam, & ut ita dixerim, seminatim præcepta traduntur, & ad sciendum & ad iudicandum. Quumq; de regis morte, deq; eius successione dixisset, docet hîc quæ sint in regis creatione obseruanda, duobus præsertim locis, undecimo & secundo: quæ ut manifestiora fiant, locorum ipsorũ qualitates acuires aperiendæ sunt. Decima domus in creando rege regi ipsi attribuitur, propter loci celsitudinem ac maiestatem. Etenim locus is in tota figura domorumq; cõstitutione præminet, ab eoq; potentissimi stellarum radij iaciuntur in terras. Locus huic succedens, hoc est undecĩma domus, attribuitur cõsiliarijs & domesticis, qui regi tum consilio, tum etiam opera ministrant & parati astant. Hic igitur locus in rege creando, reuoluendisque creationis annis, si à maleficis stellis insessus, aut inimicis earum radijs percussus fuerit, damnum iacturamq; portendit in domesticis & ministris regis: quin etiam rerum eius familiarium, domesticiq; census detrimenta decernit. Si enim decimum creationis locum in ascendente cõstituas, locus qui erat undecimus, in secundam concedet domum, quæ pecuniarum & rei familiaris est. Quocirca malus eius loci habitus, malaq; affectio tum regiorum ministrorum, tum regiæ substantiæ iacturam significat. Malum habitum atq; afflictionem, & infelicem statum undecimi loci, quæ κάκωσις Græcè dicitur, intelligi uolumus non uno modo: non solùm enim is locus malè se habebit, miserèque affligetur, si à malefico planeta quadrãgularibus, aut aduersis radijs atrociter ferietur, uerùm etiam si dominus signi ipsius in depressione sua, atq; in deiecta cœli parte, mœrens & tanquam contemptus inuenietur, atq; à nocentibus stellis hostiliter lacessitus. Hæc quæ de rege dicta sunt, etiam de proceribus ac principibus alijs, & item pontificibus dicta sint. Infelix etiam status secundæ domus in rege designando & perniciosa ad eum locum irradiatio, subiecti populi, populariumq; diuitiarum detrimenta significat. Primus enim locus, id est ascendens regiæ designationis, subiecto populo attribuitur. Locus illi succe

dens

dens populi pecuniam & censum indicat. Subiectus autem populus regis ipsius census & patrimoniũ est: si enim decimum creationis locum in ascendente statueris, primus qui in creatione ascendebat locus, quartæ domus locum occupabit, quæ patrimonium indicat. Quod autem regis patrimoniũ accipi rectius potest, quàm populi gentesq; subiectæ? Quocirca secunda domus, quæ popularem substantiam & censum demonstrat, à maleuolis stellis occupata, detrimenta popularium diuitiarum significat. Detrimenta uerò ipsa pro signorum ac planetarum qualitatibus iudicanda sunt, quæ maiora futura sunt, si nullum illis beneficæ stellæ præsidium attulerint.

PTOLEMAEVS XL.

Quum ascendens à maleficis oppressum fuerit, qui tunc natus est, sordidis rebus delectatur, ac malè olentes odores probat.

PONTANVS.

Venerem elegantiarum deam ueteres esse uoluerunt: eius enim stella natum ad cultum, ad mundicias, ad pigmenta, aliasq; delicioſas res inuitat. Iupiter dat animi claritatem, nobilitatem, splendorem, magnificentiam. Animus generoſus generoſis ac magnificis rebus delectatur, turpia odit et sordida. Quia uerò beneficentia opponitur maleficẽtiæ, bonitas malitiæ, quũ Veneris & Iouis stellæ beneficæ sint, contrà Martis ac Saturni maleficæ, ipsæ sibi aduersabuntur: & Iupiter quidem ac Venus natum ipsum mundiciarum, splendoris, nitidi ornatus, et rerum honestarũ uoluptate afficient: contrà Saturnus ac Mars ad immunda sordidaq; inuitabunt. Etenim Iouis Veneris q; temperantia sensus quoq; & animi motus temperat: contrà Saturni Martis q; intemperantia sensus intemperatos efficit: ex qua intemperantia rerum quoq; sordidarũ, & malè olentium, & intemperati saporis delectatio nascitur. Corrupti enim sensus amant corrupta: quod in ægrotis facilè cernitur. Quocirca qui in genitura sua horoscopum à maleficis obsessum habuerit, sordidis rebus, & corruptis capietur odoribus, probabitq; ea quæ inconcinni saporis erunt, aspernatus lauta atq; munda: quinimo immunda et fœtida cũ uoluptate sequetur. Quum autẽ ascendens concretionẽ corporis & qualitates indicet, ascendentis ipsius dominus eas & minuet, & amplificabit, & immutabit pro collocatione sua, & aliorũ etiã planetarum communicatione. Si enim Saturnus ascendentis dominus nulli immixtus fuerit, natus ipse acidis saporibus & fœtidis odoribus capietur. Si Mars, acutis, amaris, & salsis saporibus, odore acri. Saturnus ad uetularum & sordentium mulierum coitus inuitabit. Mars ad incestus, adulteria, et parum legitimã Venerẽ. Sed hæc, ut dixi, temperabuntur, perinde

ut ſtellarum aliarum mixturæ temperationesq; acceſſerint, ac nihilominus pars uoluptatis quo in ſigno locoq; conſtituatur, diligenter inſpicienda eſt. Igitur in cuius genitura horoſcopus à maleficis obſeſſus fuerit, is probabit fœtida atq; immunda, abhorrebit à nitidis & ſuaueolentibus, propter planetæ intemperantiã, ſignum id inficientis: et Saturnus quidem quum ſit terrenus, ad ſapores atque odores, qui è rebus melancholicæ qualitatis ſunt, natum inuitabit: Mars uerò quum ſit igneus, ad ſapores atq; odores, qui cholericæ naturæ eſſe dicũtur. Quumq; cholera uiolenta ſit, ad uiolentos, hoc eſt, illegitimos coitus Mars impellet: melancholia uerò quum ſit ſqualida, Saturnus ad ſordidam Venerem ſequendam impellet. Sed aſcendentis oppreßio, ſiue obſeßio, duobus intelligi modis poteſt: uno, ſi malefica ſtella ſignum aſcendens occupauerit, aut ibidem collocata, aut potentibus radijs illud percutiens, de qua oppreßione hoc in loco ſentire Ptolemæum iudico: altero, ſi aſcendens ab utraq; malefica intercipiatur, quæ interceptio, quam obſeßionem quidam uocauere, hac ratione fit, ut ſi in alicuius natiuitate aſcenderit libra, Marte in Piſcibus, Saturno in Tauro conſtituto: quorum alter quum ex oppoſito loco in Virginẽ, alter in Scorpium radios ſuos iaculentur, Libram hoſtiliter circumſident. Sed nec deſunt qui obſeſſionem alia etiam ratione fieri dicant, ut ſi Virgo ſit aſcendens, & Mars in Ariete collocetur, quum Mars è trigono in Leonem ab oppoſito in Librã radios ſuos mittat, Virgo quæ inter Leonem Libramq; conſtituta eſt, Martis radijs circũſeſſa uideatur. Ego de priore obſeßione magis ſentio, quòd præſentis planetæ corpus quum potentius inficiat, tunc potißimum hanc ſenſuum ſiue corruptionem, ſiue intemperantiam faciat. Nam interceptiones, de quibus dictum eſt, magis naturalem ſigni uim impedire, quàm inficere uidentur. Et aliud eſt impedire, aliud inficere. nam qui impedimentum affert, alterius uires atque conatus hebetiores reddit, eosq; imbecillos aut irritos facit. At quæ infecta ſunt, ea ut corrupta, & tanquam naturali ui amiſſa, in qualitatẽ naturamq; aliam transferuntur: & impedimentũ quidẽ obſeßionis magis id efficiet, ne natus ſuaueis odores ſentiat, ne lauta & opipera ſequatur, quàm ut fœtidis capiatur, ac grauiter olentibus delectetur.

PTOLEMAEVS. XLI.

Loci octaui, dominíque eius afflictionem tempore diſceſſus caueto: at ſecundi, atque eius domini, tempore reditus.

PONTANVS.

In itinere ſuſcipiendo ſeptima domus inſpicienda eſt, cui locus quẽ uiator petit,

tor petit, attribuitur: octaua, quæ huic succedit, index est eorum quæ uiatori, postquã destinatum ad locũ peruenerit, euentura sint. Quocirca locus hic diligenter obseruandus est: si enim utraque domus, si uterque dominus bene se habuerint, felixq; utriusque status fuerit, & iter feliciter susceptum perficietur, & res quarum causa uiator profectus est, è sententia conficientur: contrà si loca & locorum domini malè se habuerint, eorumq; status infelix fuerit, & iter & res, quarum gratia profectio susceptа est, infeliciter & contra sententiam cedent. Verùm ne fallamur, perficiendi negocij qualitas probè consideranda est. Neque enim beneficæ stellæ ubiq; sunt eligendæ, ut superius ostensum est: in quo mathematici prudentia sanè multa requiritur. Atque hæc quidem ad electiones. Cæterùm mathematicus ubi quempiam iter ingredi uiderit, octaua & septima inspectis, atque illarum dominis, & item finibus, in quibus domini domorũ fuerint, ac finium dominis consideratis, de itinere, deq; negocio id iudicium feret, quod domorum & finium, & dominorũ status, bonaq; illorum affectio indicauerint. Quoniam autem reditus motus quidam est, sese in locum à quo cœpit reflectens, in reditu faciendo prima domus obseruanda est, & secunda huic succedens. Nanque ut in abeundo septima domus locum indicat, ad quem uiator proficiscitur, sic in redeundo prima domus est, ad quam uiator redit. Sunt enim contrariorũ contraria. Et quia secunda domus succedit primæ, hæc ipsa domus significationem eorum faciet, quæ post reditum euentura sunt: quæ si malè affectæ fuerint, mala & aduersa ex hac mala affectione portenduntur. Malus uerò habitus & afflictio ipsa locorum ac dominorum, quæ Græcè κάκωσις à Ptolemæo dicitur, est ubi loca fuerint à maleficis aut præsentia corporis occupata, aut hostilibus radijs petita, ut suprà est dictum, ubi etiam domini eorum cadentes fuerint, aut retrogradi, quos ueteres repedantes dixere, aut à maleficis percussi, aut cum ijs iuncti, aut in signis depressionum suarum collocati, aut in locis, unde domos eas tueri nequeant. Sed, ut dixi, negociorum qualitates inspiciendæ sunt, & afflictio malúsque habitus, qualis quantúsque sit, exactè pensitandus. Quòd uerò infelicem statum octaui loci cauendum potius, quàm bonum sequendum monet, non caret prudentia, cuius prima laus est cauere: quod & milites in congressionibus seruant, & medici in curandis morbis, & patresfamiliâs in tutanda re familiari sequuntur. Sed quum è contrarijs contraria proficiscantur, lectoris reliquit arbitrio iudicandam contrarij consequutionem.

PTOLEMAEVS. XLII.

Morbus qui cœpit, quum Luna fuerit in eo signo, quod malefica aliqua tenuit in genitura, siue in quadrangulo, aut diametro eius, grauissimus futurus est. Si autem malefica respicit, periculosus. Sin in loco, ubi genituræ tempore benefica fuerit, sine periculo erit.

PONTANVS.

Lunæ cursum in ægritudinibus corporũ maximè obseruari debere, dies qui critici uocantur docent: siquidem corporibus dominatur, cietq; humores: & quum sit omniũ stellarum citima, acceptas ab illis impressiones corporibus familiariter infundit. Natalium quoq; stellarum loca, siue ea felicia siue infelicia sint, per omne uitæ spatium ex genituræ decreto uires suas & ad iuuandum, & ad nocendum retinent. Tunc enim felicia genituræ loca, bona genituræ tempore promissa largiuntur, quũ in annis uertentibus aut beneficos in se planetas, aut è beneuolis locis felices illorum radios acceperint: contrà infelicia genituræ loca, decreta mala tunc adducẽt, quum à maleficis occupata, aut earum radijs infeliciter percussa fuerint. Quæ mala ut notiora fiãt, uidendum est, quid quisq; planeta in anno reuoluendo, quũ in natalem alterius planetæ locum impegerit, portendat: quid etiam quũ in anni reuolutione locum eundem beneuolo maleuolóue aspectu intuetur. Aegrotatio igitur, quæ cœpit Luna signum permeante, quod malefica stella genituræ tempore aut occupabat, aut è loco quadrangulari uel oppositò feriebat, difficilis admodum & grauis erit. Quòd si pernicioſus noxiæ stellæ aspectus accesserit, futura est non modò difficilis, uerumetiam periculosa: quando natale ad malum adiungitur etiam temporale. At facilis & tuta ualetudo erit, si qua hora cœpit, tunc Luna eo in loco inuenta fuerit, in quo benefica stella genituræ tempore præsidebat. & hoc adde, tutissimam fore, si benefica tunc stella Lunam salutari conspicetur aspectu. Sed nec facilis omnino erit, si benefica illa, quæ locũ hunc genituræ hora tenebat, malè atque infeliciter ægritudinis hora collocata fuerit, quando præsidiũ eius serum atque imbecillum est. Ac nihilominus alia quoque multa consideranda sunt. nam & Iupiter aliquando interimit. Videre etiam oportet quos morbos quis planeta afferat. siquidem eum qui ex humecto frigidoq; manat humore Venus adauget, Mars imminuit: quando, ut medici tradunt, capitis distillationi, quem Græco nomine κάταῤῥουν uocant, febricula nonnunquam utilis est, quòd suo illum feruore desiccet.

PTOLE-

PTOLEMAEVS. XLIII.

Maleficas gentis figuras contrariæ temporum figurationes intendunt.

PONTANVS.

Quæ à Ptolemæo dicuntur σχήματα, nos hac in parte & figuras, & aſpectus, et conſtitutiones appellare poſſumus. Hæc ſentẽtia ut clarior fiat, longiore oratione tractanda eſt. Maleuola & infelix cœli figuratio, & hoſtilis ſtellarũ aſpectus in condendis urbibus fit infelicior, maliq; magnum incrementum accipit, quoties in anni reuolutione atq; progredienti tempore pernicioſa ſtellarum configuratio acceſſerit: natale nanq; malum magis magis q; augetur, ubi noua fit acceſsio. uerbi gratia: Qua hora urbis cuiuſpiam fundamẽta iaci cœpere, ex primarijs celi locis unus aliquis infeſtabatur, ac ſigni eius dominus in deiectiore cœli parte languebat, qua ẽre malum urbi & genti, cuius urbs ea caput eſt, portendebatur: ubi mali eius decretum tempus aduenit, ſi quadrangularis oppoſitus'ue pernicioſæ ſtellæ radius ſignum illud malè fortunatum, aut ſigni eius dominum percuſſerit, aut ſignum ipſum malefica ſtella inſederit, aut alia nocens uis alicunde eruperit, fit ei malo ex noua hac hoſtilitate maior acceſsio. Quòd ſi à contrarijs argumentari licet, malum ipſum ualde imminuetur, ſi felicium ſtellarum felix irradiatio ſignum illud tuebitur: præſertim ſi dominus eius bene fuerit collocatus. Atque hoc quidem præceptum ad nõ pauca hominum negocia, reſq; gerendas accommodari rectè poteſt. Sed nec prætereundum quid alij quoque ſentiant. adulteria, inquiunt, & furta, & ſacrilegia, & puerorum infames coitus à natalibus ſtellis ſignificati dum patrantur, ſi maleuolus nocentium ſtellarum aſpectus acceſſerit, ſi maleficæ ſtellæ potentes fuerint, magnum adiumentum accipiunt. Si quis enim furtum adulterium'ue, aut crimen aliud, quod honeſtati legibusq; aduerſum eſt, animo conceperit, quam ad turpitudinẽ natalibus à ſtellis impellatur, petere atq; expectare maleficis à ſtellis auxilium debet, quòd beneuolarum felix irradiatio, crimina illa ne fiant prohibitura eſt. Beneficæ nanque ſtellæ pudorem, honeſtatem, ac leges tuentur: contrà maleficæ ad impudentiam, turpitudinem, & legum contemptum inuitant. Quod uerò ad Græca uerba attinet, quod nos temporum figurationes dicimus, Græcè eſt κατὰ πάροδον, idq; temporale dici commodiſsimè poteſt: hi enim aſpectus temporales ſunt. At qui in ipſis hominum aut urbium genituris, rerumq; inchoationibus contingũt aſpectus, eos natales libenter uocamus, qui Græcè ſunt κατὰ γένεσιν. Infelicem igitur urbis populiq; alicuius figurationem ædificationis hora, id eſt natalem infelicitatem adaugent tem

porales figurationes, ubi contrariæ atq; aduersæ fuerint. Quæ sententia non ad urbes ac populos solùm accommodari potest.

PTOLEMAEVS XLIIII.

Noxium est, quum ægri ascendens geniturę ipsius figuris refragatur, neq; ad beneficum aliquem tempus peruenerit.

PONTANVS.

Sunt qui putent sextum, octauum, & duodecimum locum intelligi debere, quòd ea loca nulla horoscopo ratione iungantur, quum pigra et abiecta sint, & in deterrimam totius figuræ partē recesserint. Siquidem duodecimus locus carcerem ac tristitiam, sextus morbos, mortem octauus minitetur. Alij oppositum & quadrangularem natalis horoscopi locum significari arbitrantur, quòd hæc duo loca horoscopum hostilem in modum feriant: quum enim ascendens nati uitam & corporis fabricam significet, quoties loca natali horoscopo aduersantia oriuntur, qua hora languere æger incipit, uitæ nati & malum, & periculum obnuntiant. Sed consideranti uerba Ptolemæi non iniuria uideri poterit, de alijs quoque, quàm de quibus dictum est, locis intelligendum esse: siquidem apud eum σχῆμα, id est figura, totam cœli constitutionem & planetarum aspectus significat, ut malè se etiam habeat ægrotus, quoties hora qua languere cœpit, non modò aliquis locorum de quibus dictum est, ascenderit, uerùm si ex ijs locis unus aliquis oriatur, quæ genituræ tempore aut felicibus stellis, aut domino horoscopi seu medij cœli, aut etiā fortunæ parti aduersa erāt. Quāobrem quum generaliter doceret, non dixit perniciosum tunc esse, aut magno in periculo ægrotum uersari, sed malè se habere, & contrarium id ac noxium esse. In generali præcepto, generale uerbum posuit ἐναντίον, quod sonat contrariū & noxiū, et (ut latinius fortasse loquamur) malè est, seu malè habet. Leuabitur autē magna ex parte morbus, si tēpus ad beneficam stellā peruenerit. Græcè positū uerbū est χρόνος, pro quo sunt qui annum intelligi uelint, ut magno præsidio sit, si in anni reuolutione beneficus planeta fuerit ascendentis dominus, is q; bene fuerit collocatus, aut si signum proficiscens fuerit ascendens, in quo genituræ tempore beneficus planeta ferebatur: quod præsidiū eo maius ac præsentius erit, si tum quoque benefica stella aut ibidem fuerit, aut in primarijs cœli locis inuenietur. Sed nos non modò de reuolutione anni ægri ipsius intelligendum ducimus, uerùm etiam quum anni tempora, hoc est menses & dies, ad benefi cum planetam peruenerint. Etenim unusquisque planeta uitæ nati decennium sibi uendicat et menses nouem, de quo toto tempore cæteris planetis

cuiq;

eniq; certum tempus permittit. Etenim Saturnus ex decennio suo & mensibus nouem, primos triginta menses sibi ipsi uendicat, è reliquis mensibus Ioui duodecim, Marti quindecim, Soli decem & nouem, Veneri octo, Mercurio uiginti, Lunæ quinq; & uiginti attribuit. Quæ quidem distributio fit secundum seriem planetarum tempore genituræ. Principium autem distribuendorum annorum fit à Sole in genitura diurna, à Luna in nocturna. Sol igitur, Luna'ue ubi suos sibi menses assumpsit, si statim Mercurius subsequatur, uiginti Mercurio menses attribuit: si post Mercurium Iupiter, Ioui menses octo permittit, & sic deinceps. Quæ quidem res in omnibus uitæ nati actionibus, euentisq; diligentissimè consideranda est.

PTOLEMAEVS. XLV.

Quisquis genituræ suæ dominatores aut ascendens in signis humanis non habet, ab humanitate alienus etiam sibi ipsi erit.

PONTANVS.

Naturalis hominum propensio ad mansuetudinem & lenitatẽ, aut ad passiones his contrarias natalibus à stellis tribuitur, pro signorum qualitate, in quibus ij qui genituræ dominantur, inuenientur, proq; ascendentis signi natura. Et signa quidem humanitatem, sociabilitatem, mansuetudinẽ, hospitalitatem, ciuilemq; consuetudinem conferentia sunt illa, quæ hac eadem causa de hominum nominibus uocata sunt, Gemini, Virgo, Aquarius & Sagittarius à parte anteriore, quæ signa dicuntur à nostris humana, propter affectus quos in hominum animis ingenerant. Contrà quæ nomina ferarum habent, inhospitalitatem, immanitatem, insolentiam, rapacitatemq; adducunt, qualis est Leo. At Aries quum domesticum sit ac mansuetum animal, signum eius nominis nato mansuetudinem affert cum quadam humilitate & abiectione. Quocirca signum ascendens, ac dominus genituræ, & item ascendentis dominus, seu qui plures in eo prærogatiuas assequutus est, quique in omni figura reliquis est potentior, nati animum ad facilitatem, mansuetudinem, sociabilitatémque, aut ad acerbitatem, immansuetudinem, inhospitalitatemq; propensiorem faciet, pro natura signi in quo repertus fuerit. qui si Leonem peragrabit, atrocem nati animum & uiolentum, & ad tyrannidem impotentiámque prolabentem indicat, omnia sibi iure iniuriáq; uendicantem. Erit enim natus is suapte natura rapax, impotens, & ad iniurias promptus. qui tamen affectus minores erunt, magisq; domabiles, si dominatorum unus alterq; in signo humano cõstitutus fuerit. Sed nec patris ingenium, nec nationis ac familiæ natura prætereunda est. hæc nanque omnia simul miscenda sunt. In primis

autem uidendum, cuius naturæ signa sunt per quæ luminaria ferantur. Am bo enim in signis feris inuenta, quũ spiritui corporiq; dominentur, nati animum ad asperitatem, uiolentiamq; propellent, ut nullum familiaritati, nullum amicitiæ ius relinquat: præsertim ubi signum ferox horoscopum tenet. Idq; in planetis usu uenit quod in stirpibus ac seminibus, quæ soli naturam sequuntur, quando occultum terræ saporem referunt. Nam quum rerũ semina in zodiaco maximè dispersa sint, uis inde proueniens planetas sic ad se conuertit, ut quas à signis affectiones accepere, ingignendis atque animandis corporibus eas reddant.

PTOLEMAEVS. XLVI.

Magnæ in genituris felicitates cõferuntur tum â stellis fixis, tum ab interluniorũ cardinibus, tum â locis partis fortunæ regni, quũ horoscopus in eis repertus fuerit.

PONTANVS.

De felicitatibus quas stellæ fixæ conferre soleant, satis abundè diximus: hoc in loco Ptolemæus etiam alia in hominum genituris obseruanda præcipit. ait enim ad felicitatem nati plurimum conferri, quoties ortus eius tempore gradus ille ascenderit, qui aliquem cœli cardinẽ, præsertim orientis & medij cœli tenebat, quo tempore Luna Soli fuit coniuncta, antequã matris utero prodiret infans. Gradus enim illi cardinales si ascenderint in genitura, mirum in modum nato conferunt ad diuitias, ad honores, ad magistratus consequendos. Sed hoc nõ adeò simpliciter intelligendum est, ut nec planetarum status figurationesq;, nec alia cœli loca, nec matutini uesperiniq; exortus, Lunæq; defluxiones, & alia item multa metienda ac miscenda uideantur. Cur autẽ ab angulis coniunctionum interlunarium boni tantum emanet, ratio quærenda est. In omni themate & cœli cõstitutione cardines quatuor primas ac potißimas uires habent. Cardines uoco ortum, occasum, culmen, & imum: Ptolemæus centra uocat: sed etiam anguli, & cuspides à recẽtioribus dicũtur. hi cardines quando primas cœli partes obtinent, iure primas sibi uires atq; autoritates uendicant, quando cœlum omne quadrare & figuram ipsam constituere uidentur. Quum autem cœli motus orbicularis sit, atq; ex eo series rerũ constet, & quod cœpit perficiatur, perueniatq; ad exitum, in motu hoc quatuor exiguntur, unde incipiat, & quò progrediatur, quæ quidem sese habent ut principium & finis, item media duo summum & imum. Videtur enim summum, quod alio nomine culmen dicimus, medium utriusq; loci, & à quo progreßio incipit, & ad quem progreßio suscepta est. rursus imum medium esse reflectentis

se pro-

ſe progreßionis ad locũ unde initio cœperat, ut rerum peruenientium ſeries ſibi conſtet, nulloq; unquam æuo deſinat. Ad hæc Sol & Luna eorum quæ in mundo hoc fiunt, potißimæ ac manifeſtißimæ cauſæ quum ſint, quando altera humoribus præeſt, materiamq; ſuggerit, alter animat atq; informat, iure Solis Lunæq; coniunctio, quæ nati genituram anteceßit, à mathematico diligenter obſeruanda eſt, uidendumq; an cœli conſtitutio, quæ in coniunctione luminarium natiuitatem proximè prægreſſa eſt, cum figura cœli natiuitatis hora conueniat, iudicandumq;, bene ac feliciter cum nato illo actum iri, ubi cardo antegreſſæ coniunctionis hora ortus aſcendit. In hac uero obſeruatione tametſi Ptolemæus aliàs conſueuerit culmen ortui anteferre, ego tamen ortum iudico culmini præponendum, quòd tempore coniunctionis pars fortunæ in ortu, atq; in ipſo etiam minuto ſurgentis cœli ſtatueretur, unde meritò præferendus uidetur, propter ipſam fortunæ partem, quæ tantas ad felicitatem nati uires habeat: niſi fortè cardo alius felicioribus radijs aut tum in coniunctione conſpectus fuiſſet, aut nunc genituræ hora conſpiceretur. Et quoniam ex contrarijs contraria emanant, illud quoq; ſubijciendum uidetur, ut nati uita multis ſit ærumnis & grauibus malis expoſita, ſi ex locis pigris abiectisq; prægreſſæ coniunctionis unus aliquis horoſcopetur, ſitq; aſcendens cardo natiuitatis hora. Quæ omnia exactißimè dimetienda ſunt, ac moderatißimè commiſcenda. Beneficarum enim ſtellarũ beneficus fauor promiſſa à cardine bona uehementius auget: contrà maleficarum malefica impugnatio minuit. Quòd autẽ Ptolemæus nullam de oppoſitione mentionem fecerit, admiratione non caret: quanquã et ab ipſa coniunctione uidetur oppoſitio deriuari, ac totius mentis ſeries deduci. Tamen ſi quid argumentando licet afferre, illud idem de oppoſitionis cardinibus affirmare quis poterit? niſi occidentis cœli cardinem, in quo tunc pars fortunæ collocabatur, uelit reliquis cardinibus anteponere in genitura, propter ipſius partis fortunæ autoritatem. Sed hoc, ut dixi, etiam atq; etiã conſiderandum uidetur, & Ptolemæi dicta ſolam coniunctionẽ innuere uidentur. Atq; ut ad partis fortunæ locum tranſeamus, hic locus mirificæ poteſtatis eſt: ab eo enim uitæ qualitas cenſuſq; oſtenditur, ab eo felicitatis atq; infelicitatis, paupertatis & opulentiæ ſeries indicatur: hinc amores, uoluptates, atq;, ut Maternus inquit, nati educatio, patriaq; deprehenditur. Quocirca quum in regia creatione locus hic tam auguſtæ maieſtatis ſit, ut regis magnitudinẽ, proſperitatem, honores, regniq; firmitatem, & futurorum bonorum euentum indicare habeat, iure natus is fortunatus erit cenſendus, in cuius genitura cardinaliter partis fortunæ regni locus aſcenderit, quando cum regia felicitate hanc communicationẽ habet, ut qui præſtantißimus regiæ creationis ac regni locus erat, is in ge

nitura nati primum figuræ cardinē teneat. Atq; ea quidem felicitatis communicatio eo maior erit, quo plures ad illam fauores acceſſerint, ſi Luna loci fortunæ domina bene fuerit collocata, ſi amicis radijs illuſtrata, ſi locum ipſum beneuolæ ſtellæ grato intueantur aſpectu, ſi dominus ſigni eius, ſi dominus finium tam loci quàm Lunæ bene ſe habuerint. Perinde nanq; ut plura pauciora q; ex his ad eam ſeſe felicitatem adiunxerint, bonorum cumulus maior minor ue futurus eſt.

PTOLEMAEVS. XLVII.

In genitura quum malefica in locum beneficæ in alterius genitura inciderit, is qui beneficā habet, ab eo qui habet maleficam, detrimento afficietur.

PONTANVS.

De concordia diſcordiaq;, item amore atq; odio ſuperius explicauit, & qua ratione de alterutris iudicari poſſet, docuit. Nunc rationem oſtendit per quam inſpecta duorum genitura iudicari poſsit, futuri ne illi ſibi inuicem ſint commodi an incommodi, & damnum ne an utilitatem alter ab altero ſit expectaturus. Si, inquit, Lucius quum naſceretur, Iouem in Piſcibus atq; in ſecunda domo habuit, Marcus Saturnum, quando hæ ſtellæ ſibi inuicem aduerſantur, contrariasq; qualitates habent, Marcus Lucio nocumentum inferet. Genus autem inferendi damni à loci proprietate iudicandum eſt. Itaque quum ſecundæ domui domeſtica ſubſtantia attribuatur, damnum id in pecunia futurū obnunciatur: & quidem per dolos, calumnias, fraudes, accuſationes, & occulta ſimulataq; conſilia, quorum Saturnus eſt ſignificator. Quòd ſi Mars ibi fuerit inuentus, erunt damna per uim, iram, direptiones, latrocinia, gladium, incendia, & alia mala quæ à Marte ſignificantur. Idem dices & in cæteris domibus, pro cuiuſque proprietate. Rurſus ſi Lucius & Marcus, aut uterque, Iouem in ſecunda domo habuerint, aut alter Iouem, alter Venerē, ipſi ſibi magno inuicem uſui futuri ſunt, atque ad familiarem comparandam rem alter alteri plurimùm collaturus uidetur. Contrà ſi alter Saturnum, Martem alter habuerit, aut eundem ipſum maleficum ſiue Martem, ſiue Saturnum, inuicem alter alterius pecuniæ incommodus erit.

PTOLEMAEVS. XLVIII.

Quando culmen domini, hoc eſt principis, fuerit horoſcopus ſubiecti, aut dominatores beneuola configurabuntur figura, diu inſeparabiles permanebunt.

nebunt. Idem etiam quũ sextus locus serui inuentus fuerit horoscopus principis.

PONTANVS.

Inspecta heri atque assectæ genitura, an diutius simul, concordibusq; animis uicturi sint, hac ratione iudicandum docet, ut primò uideamus, an meridialis cardo genituræ herilis sit oriens cardo genituræ clientis: deinde ut inspiciamus, an planetæ dominatores in figura gratis sese aspectibus inuicem intueantur: quæ ubi omni è parte conuenerint, minister ille non solùm diu, uerumetiam summa cum fide obseruantiáq; domino suo ministrabit. Etenim summus cardo domini ascendentem famuli cardinem subiens, quodammodo unus factus è duobus, mirificam uim ad diuturnam & constantem utriusq; familiaritatem pollicetur, adeò ut heri uoluntas in ministri influere animum, rursus famuli fides atque obsequium deuincire heri animum uideatur: quod uinculum magis ac magis obstringetur, si ad hanc quam dixi, cardinum unitatem beneuolus dominatorum aspectus figuratioq; accesserit, hoc est, si alter alteri coniunctus sit, aut è sexangulari seu triangulari signo se inuicem aspexerint, benignusq; beneficarũ stellarum radius illos complexus fuerit, aut si idem erit utriusque dominator. Sed nihilominus si uerba Ptolemæi rectè intelligantur, etiamsi culmen domini non sit ascendens ministri, diutius in familiaritate permanebitur: quum utriusque genituræ dominatores bene amicéque simul conuenerint. Neque enim Ptolemæus copulauit, sed disiunxit alternationem cardinum, & configurationem dominatorum. Quòd si & medium, & dominatores, ut dictum est, conuenerint, non est quòd ad fidelem & constantem familiaritatem optari amplius debeat. Quum autem cœli culmen domino tribuatur, sextus uerò locus seruo ac ministro, conuertamus quod suprà dictum est, dicamúsque diuturnum ac fidele futurum erga herum famuli ministerium, heri item in famulum constantem gratiam, quoties sextus locus serui ascendens locus fuerit in natiuitate domini. Ea enim loca, quòd in unum concesserint, animorum ac uoluntatum conuenientiam & stabilitatem inter dominum ministrumq; conciliabunt. Illud quoque addendum uidetur, futuram etiam stabilem domini in seruum gratiam: rursus serui gratam, & fidelem in dominum operam, si utrique dominatores concorditer collocati, ac sibi inuicẽ conuenientes inuenti fuerint. Medium autem cœli domino propterea conceditur, quòd eius sit dominari: quippe qui superior est, atq; eminentiore in loco constitutus: seruire, inferioris atq; humili in loco siti. humilis nanq; et abiectus figuræ locus est, qui ab ordine sextus dicitur. Et quia inter herũ seruũq; aliqua cõuenientia ex natali genitura esse debet,

cœli medium, qui locus decimus est, sextum locum triangularibus atq; eminentibus radijs illustrans tuetur. Illud quoque non sine ratione addendum uidetur, bene cum illo populo, ac populi domino agi, quum ascendens urbis angulus ille fuerit, qui in domini creatione aut genitura, cœli medium obtinebat: præsertim si beneuola dominatorũ configuratio accesserit. quibus è rebus subiectorum fidelitas, & obsequendi studium, dominiq; ipsius erga subiectos beneuolentia singulari cum firmitate conciliatur. Nec uerò me fallit esse, qui ea quæ de sexta traduntur domo, ad quintam atq; ad septimam domum transferant, necnon & ad tertiam, ut inter uirum & uxorem fidelis & tranquilla coniunctio futura sit, ubi septimus locus, qui uxoris est, fuerit ascendens uiri, et inter patrem filiumq; syncerus & constans amor, idem etiam inter duos fratres, ubi quintus locus filij fuerit ascendens patris: & tertius fratris locus, alterius fuerit fratris ascendens: ea enim loca tanquam in unum coëuntia eadem uoluntates affectionesq; excusitant. Sed has quidem ad res, atq; ad cœli significationes humanæ leges, ciuiliaq; institutæ, & quæ cognationis iura dicuntur, plurimũ adiumenti afferunt.

PTOLEMAEVS XLIX.

Quum ascendens subiecti fuerit culmen in genitura domini, tantã subiecto illi fidem dominus adhibebit, ut ei ab illo imperetur.

PONTANVS.

Cœli medium, ut antè dictum est, dominis ac regibus attribuitur: ab eo nanq; rectissimi ualentissimiq; iaciuntur in terras radij, ac uis inde diffusa uehementissimè influit, ut ab eminentissimo loco, cœliq; totius dominatum tenente. Locus ab eo quartus, qui est orientis cœli cardo, dominorum patrimonium indicat. Regum autem dominorumq; patrimonium sunt gentes populiq; subiecti. Efficitur itaq; magna quædam amoris studijq; reciprocatio domini in subiectum, ac rursus in dominum subiecti, quoties cardo ascendens in genitura subiecti inuenietur esse cardo meridialis in genitura domini. Quæ res efficit, ut herus ille ad clientis & ministri sui præscriptũ uicturus sit, in cuius natiuitate angulus meridialis cardinis inuentus fuerit in ministri genitura cardinis ascendentis angulus. uerbi gratia: Statius siue subiectus, siue minister, in genituræ suæ horoscopo primas Arietis partes habuit: Marcellus, Statij herus, qua hora natus est, eosdem illos Arietis gradus habuit in culmine. Ex hac cardinum commutatione tanta uis existit, uti Marcellus Statij uoluntatem atque sententiam suæ præferat, illius consilijs mirum in modum credat: eius deniq; arbitrio suas res agat, quod

quod propter fidelitatis atq; amoris studium euenire necesse est. Quandoquidem idem ipse planeta dominus est signi ascendentis in assectæ genitura, & signi quod in horæ natiuitate cœli uerticem tenet. Qua è re fit, ut nonnunquam homines infimo loco nati suis à dominis ad honores summos euehantur, ac non modò rei domesticæ cura, uerùm etiam reipublicæ, ac potentatus moderatio illis credatur. Sed in huiusmodi genituris domini, subiectiq; planetarũ quoq; aliorum status & configurationes inspicien dæ sunt, ne quid in iudicando prætermissum uideatur. Ipse etiã Ptolemæus ex ijs quæ uerbo superiori pronunciauit, nobis innuit, magnam quoq; ministri autoritatem apud dominum fore, quoties sextus ministri locus natale domini culmen fuerit. In quibus omnibus uidendum est, ut ijdem illi gradus, aut illis maximè proximi, sint in ipsis angulis constituti.

PTOLEMAEVS. L.

Ne prætermittas centũ & decem nouem coniunctiones. In his enim posita est cognitio eorum quæ fiunt in mundo & generationis, & corruptionis.

PONTANVS.

Rerum inferiorum ortus atq; interitus prima uis, causaq; esse signifero in orbe, ut sæpius dictum est, perhibetur. Quum autem planetæ generationis atq; corruptionis ministri sint, ac sub ipso signifero diuersis ferantur spatijs, iure illorum coniunctiones obseruare iubemur: tunc enim coniunctis ac multiplicatis uiribus, ad res quas excitant consumandas utuntur. Nec uerò nisi ex antecedentibus illorũ cõiunctionibus imperia, nouas religiones aut bella portendentiũ, aut regna, aut religiones, aut bella incipiunt, nec antè desinunt aut mutãtur subuertuntur ue, quàm tẽpus ab illis decretum peruenerit. Dicere autẽ quid quæq; cõiunctio, & in quo signo, aut in qua cœli parte significet, loci huius non est. Quàm autẽ hæc naturæ cõueniant uideamus. Satis profectò constat, complures ac diuersas uires probè in unum coactas longè potentiores esse. Constat etiã, corpora inferiora è pluribus ac diuersis, quin etiã contrarijs è rebus componi. Nec est qui neget planetas ipsos diuersarũ uirium esse, & alios atq; alios ex se effectus párere. Illud etiã satis manifestũ est, ea ex quibus res constãt, licet sint contraria, media quadam temperatione simul necti, atq; in unũ coire. Erraticæ igitur stellæ, utpote ministræ, tum eorũ quæ in elementis fiunt, tum etiam quæ in uita mortaliũ in alterutram partem siue ortus, siue interitus eueniunt, quum simul iunguntur, quum unà effectus suos miscent, tunc maximè fiunt peragendas ad res potentes: ac licet uiribus & potestate differant, quadam tamen æquabili mixtura copulatæ, sibiq; in utranq; partem

consentiẽtes, nunc rerũ exordia, nunc excidia moliuntur. Quumq; omniâ è contrarijs ac medijs constent, planetæ quoq; ipsi partim sibi inuicem contrarij sunt, partim mediam quandam potestatẽ habent, cuiusmodi etiã naturæ signa ipsa sunt. Quocirca ad ea quæ à coniunctionibus parantur, plurimùm etiam signa conferunt. Quum igitur hæc sic se habeãt, iure coniunctiones obseruandæ sunt à mathematico, quũ ex illis manet cognitio eorũ quæ in mundo fiunt, siue ad ortum, siue ad interitum pertineant: quando potißimæ ac primariæ causæ illorum sunt. Quòd si aspectuum ipsorũ tanta uis est in utranq; partem, quanto maior uehementiorq; uis coniunctionis habenda est? quum non per obliquam aduersamq; ac remotam radiorum commixtionem uires sibi suas partim communicant, atq; inuicem augent, partim impediunt turbantq;, sed radios suos tanquam in unam massam coactos in terras simul proijciunt, & commixtis uiribus, communicatisq;, ut ita dixerim, consilijs agendas ad res feruntur. Quocirca non iniuria accusandi uidentur, qui de rebus toto anno futuris libellos emittunt, planetarum statum solummodo considerantes, quo tempore Sol Arietis primam partem ingreditur. Quum enim coniunctionum ipsarum significationibus tempus constitutum sit: nam nec agunt nisi in tempore, & ita quidem agunt, ut nõ semper aut statim, aut paucis pòst mensibus annisue ipsarum significationes appareant, sed aliâs longiori, aliâs breuiori tempore: uidendum est, an quo anno de rerum euentis sententiam ferimus, bona malá ue ab præcedente aliqua cõiunctione promissa tunc demum euentura sint. Ipsarum autem coniunctionum numerus sic colligitur. Duorum tantum planetarum coniunctiones, Solis Lunæq; coniunctione excepta, sunt uiginti. Nam Sol Lunáque luminaria quum sint, ac singulis mensibus coëant, ab planetis seiungere eorum coniunctiones uoluit: quarum quidem obseruatio generalißima est, quippe quum ab illis omnium iudiciorum principia sumantur. Græci nanque codices non centum uiginti, sed centum, ac decem & nouem coniunctiones habent. Qui autem ante me transtulit, aut qui pòst secuti sunt, parum animaduerterunt excludi à Ptolemæo hoc loco luminarium coniunctionem, quam addentes centum ac uiginti dici putauerunt. Quæ quidem coniunctiones sunt Saturni & Iouis. Saturni & Martis. Saturni & Solis. Saturni & Veneris. Saturni & Mercurij. Saturni & Lunæ. Iouis item ac Martis. Iouis & Solis. Iouis & Veneris. Iouis & Mercurij. Iouis & Lunæ. Martis quoque ac Solis. Martis & Veneris. Martis & Mercurij. Martis & Lunæ. Solis etiam ac Veneris. Solis & Mercurij. Nec non Veneris & Mercurij, & Veneris, ac Lunæ, ac etiam Mercurij & Lunæ. Trium simul planetarum coniunctiones sunt numero trigintaquinque, Saturni, Iouis & Martis. Saturni,

turni, Iouis & Solis. Saturni, Iouis & Veneris. Saturni, Iouis & Mercurij. Saturni, Iouis & Lunæ. Item Saturni, Martis & Solis. Saturni Martis & Veneris. Saturni, Martis & Mercurij. Saturni, Martis & Lunæ. Saturni quoque, Solis & Veneris. Saturni, Solis & Mercurij. Saturni, Solis & Lunæ. Adhæc Saturni, Veneris & Mercurij. Saturni, Veneris & Lunæ: ac Saturni, Mercurij & Lunæ. Dehinc coniunctiones Iouis, Martis & Solis. Iouis, Martis & Veneris. Iouis, Martis & Mercurij. Iouis, Martis & Lunæ: ac Iouis, Solis & Veneris. Iouis, Solis & Mercurij. Iouis, Solis & Lunæ. Iouis, Veneris & Mercurij. Iouis, Veneris & Lunæ: ac Iouis, Mercurij & Lunæ. Deinde coniunctiones Martis, Solis & Veneris. Martis, Solis & Mercurij. Martis, Solis & Lunæ. Itẽ Martis, Veneris & Mercurij. Martis, Veneris & Lunæ: ac Martis, Mercurij & Lunæ. Deinceps coniunctiones Solis, Veneris & Mercurij. Solis, Veneris & Lunæ: ac Solis, Mercurij & Lunæ. Vltimo loco cõiunctio Veneris, Mercurij & Lunæ. Quatuor simul planetarũ cõiunctiones sunt etiam numero quinq; et triginta. Saturni, Iouis, Martis & Solis. Saturni, Iouis, Martis et Veneris. Saturni, Iouis, Martis & Mercurij. Saturni, Iouis, Martis et Lunæ. Itẽ Saturni, Iouis, Solis et Veneris. Saturni, Iouis, Solis & Mercurij. Saturni, Iouis, Solis & Lunæ: ac Saturni, Iouis, Veneris & Mercurij. Saturni, Iouis, Veneris & Lunæ. Nec nõ Saturni, Iouis, Mercurij & Lunæ. Præterea Saturni, Martis, Solis & Veneris. Saturni, Martis, Solis et Mercurij. Saturni, Martis, Solis et Lunæ. Nec nõ Saturni, Martis, Veneris et Mercurij. Saturni, Martis, Veneris & Lunæ: ac Saturni, Martis, Mercurij et Lunæ. Adhæc Saturni, Solis, Veneris et Mercurij. Saturni, Solis, Veneris et Lunæ: ac Saturni, Solis, Mercurij & Lunæ. Itẽ Saturni, Veneris, Mercurij et Lunæ. Cõiunctiões quoq; Iouis, Martis, Solis & Veneris. Iouis, Martis, Solis et Mercurij. Iouis, Martis, Solis et Lunæ. Itẽ Iouis, Martis, Veneris & Mercurij. Iouis, Martis, Veneris & Lunæ: ac Iouis, Martis, Mercurij et Lunæ. Nec nõ Iouis, Solis, Veneris et Mercurij. Iouis, Solis, Veneris et Lunæ: ac Iouis, Solis, Mercurij et Lunæ, & Iouis, Veneris, Mercurij et Lunæ. Præterea Martis, Solis, Veneris & Mercurij. Martis, Solis, Veneris & Lunæ. Martis, Solis, Mercurij et Lunæ: ac Martis, Veneris, Mercurij & Lunæ, et Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Quinq; cõiunctiones simul planetarũ sunt una & uiginti hæ, uideli cet Saturni, Iouis, Martis, Solis & Veneris. Saturni, Iouis, Martis, Solis et Mercurij. Saturni, Iouis, Martis, Solis et Lunæ. Saturni, Iouis, Martis, Veneris & Mercurij. Saturni, Iouis, Martis, Veneris & Lunæ. Saturni, Iouis, Martis, Mercurij et Lunæ. Saturni, Iouis, Solis, Veneris et Mercurij. Saturni, Iouis, Solis, Veneris et Lunæ. Saturni, Iouis, Solis, Mercurij

& Lunæ. Saturni, Iouis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Saturni, Martis, Solis, Veneris & Mercurij. Saturni, Martis, Solis, Veneris & Lunæ. Saturni, Martis, Solis, Mercurij & Lunæ. Saturni, Martis, Veneris, Mercurij et Lunæ. Saturni, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Item Iouis, Martis, Solis, Veneris & Mercurij. Iouis, Martis, Solis, Veneris & Mercurij. Iouis, Martis, Solis, Veneris & Lunæ. Iouis, Martis, Veneris, Mercurij et Lunæ, ac Martis, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Sex simul planetarũ coniunctiones sunt hæ numero septem, uidelicet Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris & Mercurij. Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris & Lunæ. Saturni, Iouis, Martis, Solis, Mercurij & Lunæ. Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Saturni, Iouis, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Saturni, Martis, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Itẽ Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ. Quæ omnes præter Solis & Lunæ coniunctionem sunt centum decem & nouem. Septem simul planetarum coniunctione adiuncta.

LIBRI PRIMI FINIS.

IOAN. IOVIANI PONTANI COMMENTATIONVM IN centum sententias Ptolemæi, ad Petrum Compatrem Neapolitanum, liber II.

QVERVNTVR de natura, Petre Compater, & quidem nõ pauci, quòd ea prorsus iniusta, atq; omnino imprudens sit, in distribuendis tum suis, tum etiam fortunæ bonis. Atque utinam sola conquestione cõtenti, ac non in cœlum modò, uerùm in ipsos etiam deos inuecti, maledictis illos atque opprobrijs incesserẽt. Quisi reputarent corporis è quo ipsi constant compagem, & ciuitatis in qua uiuunt cœtum, desinerent profectò tam latranter obtrectare naturæ, abstinerentq; à conuicijs tam nefarijs. Quin sorte sua contenti, beatiores fortasse, nullo tamen modo non quietiores uiuerent. Nanque ut de humoribus, & tanquam fermentatione corporis omnino taceam, artus ipsi & ossa, neruique, uenæ item & quæ dicuntur arteriæ, hæc ipsa inter se in uniuersum atque inter partes, non solùm diuersa sunt, contrarijsq; qualitatibus prædita, uerùm alia quidem aliorum ministerijs atque officijs sic uidentur attributa & subdita, ut ex ijs partes quædam dominari, contrà seruire aliæ uideantur: situsq; ipse, ac membrorum inter se collocatio & sedes alijs dignior, alijs abiectior ac penè seruilis sit

lis sit constituta. Itaq; & uenter, & aluus, & partes ipsæ obscœnæ queri possunt de situ, de textu, de ministerio quoq; suo, pectoriq; et humeris inuidere, pedes capiti atq; oculis: quum ipsi totum sufferant corpus, sintq; pene in assidua exercitatione & motu: etiam inter ambulandum spinis scrupulisq;, ac minutissimarũ rerum offensiunculis obnoxij: caput autem sublime, ac tanquam in curru spectandum ab ipsis deuehatur: oculi uerò singula conspicentur, & quasi uias animis aperiant ad intelligendum atq; decernendum, quo è ministerio, & penè officina prodeant cæ artes discipli næq;, quibus homines cæteris animantibus, & ipsi quidem inter se alius alij præstent atque excelleant. Ac deinceps membra singula de seruitio, de positura, de onere ac munere queri possent, aliaq; aduersus alia aut ob ministerij nobilitatem, aut propter collocationis excellentiam liuore affici et odio. An non caput sola atq; arenti cute tegitur, quum coxæ lacertiq; carne etiam plurima succoq;, perinde ac uallo quodam muniantur? Manus totæ articulatæ sunt. At collum penè uniuersum neruis constitum. Excipit nasus cuncta capitis excrementa, uentris anus atq; intestinorum. Pedum quidem articuli ad incessum atq; ad statum accommodati, manuum ad agendum. Deniq; quum unaquæq; corporis ferè pars famuletur, secum indignè iniusteq; actum succensere hac eadem ratione posset, idq; in animato quoq; corpore, uiuenti cuiq; succensendum atq; indignandum contingeret, quo in corpore positus ipse texturaq;, et uniuersa cõcretio, unde uita existit, è contrarijs prouenit, rectè tamen accommodateq; dispositis, quod etiam in musica quammanifestissimè cernitur, in qua uoces ipsæ chordæq; singulæ quidem quum inter se dissideant, simul tamen omnes consentiunt, & concentũ illum reddunt tantopere suauem uirtute artificis ac temperatione. Nulla enim existeret musica, si uoces omnes neruiq; uniuersi, soni item singuli essent sibi perquam similes, atq;, ut ita dixerim, conuocales, perinde ut nullum existeret corporis officiũ, ne motus quidem de loco ullus, si totum è carne constaret, aut è solis ossibus, siue neruis. Age in oratione ipsa, quæ solius est hominis, per quam etiam à cæteris animalibus differimus, quid tam cõtrarium, quàm è quibus ea constat, uocales scilicet ac mutæ literæ? quæ tamen sparsim diffusæ, affabre factæq; inter se collocatæ, auribus ipsis illabuntur tam significanter ac sonorè. Cũ primis uerò ciuitates ipsæ cœtusq; hominũ qua ratione conseruari possent, nedum augescere, si ciues ipsi unà omnes aut lanificio telæq;, aut si malueris medicinæ agró ue colendo, aut nauigationi, militiæ deniq;, aut cuiuis uni quamuis etiam necessario artificio, à natura essent ingenioq; suo dediti? pessimè profectò, nedum inutiliter cum hominũ genere esset actum. Quemadmodum igitur corpus ipsum nostrum in uarios artus, diuersa item membra ac membrorum officia dispo

ſitum ac diſtributum eſt, quo ſibi ad ea ad quæ homo natus eſt, omni è parte conſentiat, eadem ratione & uia totum ut ſibi ciuitatis corpus exactè conueniat atq; examuſsim quadret, natura ipſa diuerſa hominum ſtudia, diuerſas q; animorum applicationes, ad arteis etiam diuerſas principiò eſſe uoluit, ne quid quod ad uitam uitæq; cõmoda, humanæ ſocietatis q; conſeruationem generis q; propagationem conferret, neglexiſſe, aut parum omnino curaſſe uideretur. Etenim ut in ipſo noſtro corpore partes quædã ſunt ſordidis etiam miniſterijs appoſitæ, illis q; ſolis accommodatæ, ſine quibus corpus ipſum mancum eſſet atq; imperfectum: ſic in ipſis quoq; ciuitatibus à natura nequaquam inerter proſpectum eſt, uti etiam culinæ quidam pati nariæq;, quinetiam cloacis nonnulli expurgandis ſint ab eadem natura tanquam præparati. Ad quam tantam miniſterij ſorditiem artis q;, ut ita dixerim, nidorem, qui electione atq; conſilio ſeſe applicaret, nemo profectò eſſet, nemo: niſi hæc ipſa natura ciuitatũ conſummationi, humaniq; cœtus conſeruationi prudentiſsimè conſulens, tales eos ſtatueret, taliq; ingenio præditos uellet, quòd cœli quidem ſtellarum q;, quarum tam diuerſæ actiones, uariæq; adeò informationes ſunt, aſſequitur beneficio & munere. Cur non de alpiũ queratur iugis, de q; illo tam uerticoſo cacumine Rhetia? de tot tantis q; paludibus ac ſyluis Germania? de importuno illo ſyrtiũ tractu tantaq; uaſtitate Africa? de illa cœli ſoliq; ſiccitate Aegyptus? de aſſiduis ac feruentiſsimis æſtibus Aethiopia, de q; gelu Sarmatia? Atqui tantum terrarum ſpatium neq; ſe habere aliter pro rerũ natura poterat, neq; terrenæ molis tam ſpatioſa uaſtitas alia ratione conſiſtere, aut generationi rerum tam diuerſarum probè perfecteq; conſultum eſſe. Quaſi nõ & Sol & Luna queri de deliquio, & minutiſsimi illi ignes de luminis exiguitate, erraticæ autem ſtellæ de motus progreſsionis q; ſuæ uarietate atq; inconſtantia, elemẽta deniq; ſingula de loco & qualitate ſua poſſent. Paulus ille Chriſtianæ religionis antea impugnator, poſt aſſertor etiam quamacerrimus, monet unumquenq;, & tanquam hortabundus imperat, ſorte ſua contentum eſſe debere, in eaq; uti ſe exerceat, ſequaturq; officinam, ad cuius opificium ac munus ab autore ac magiſtro deo uocatus uideatur. Et Horatius humanæ uitæ nõ imprudens inſtitutor, docet ſapientis uiri officio eum fungi, qui ſorte ſua cõtentus ac lætus uixerit. Permittamus igitur naturã exercere magiſterium ſuum, quod ignobilibus quoq; artificibus etiam cum laude eſt permiſſum. An non utitur imperator pro arbitrio ſuo militibus, uniuerſoq; exercitu, rex populis ac nationibus? Atqui imperat agris arator, uitibus uinitor, paſtor etiam pecudibus ſuis pabulationem ac lanificiũ præſcribit. Nolimus ergo naturæ, cœlo & ſtellis, quin etiam deo ipſi tam impudenter, ne impiè dicam, præſcribere, aut quod ſuum eſt illis officium eripere. At

re. At ego, Petre Compater, quũ ſim mortalis, immortalem me natũ percuperem, fruſtra tamen. Hæc & eiuſmodi cupiuntur. Cur non ſplendeſcere etiam noctu ut ſtellæ, ut Sol die radios effundere ipſi cupimus? An quia non eſt hæc hominum, id eſt noſtra conditio? Componamus igitur queſtus tam illicitos atque importunos, maledictiſq; temperemus, uel potius nos inſtituamus ad ea quæ noſtra ſunt, quæq; à natura nobis uel ſunt inſita, uel ab eadem ipſa præſcripto quaſi quodã tradita. Quumq; intelligamus mortales nos eſſe, qua ère & mala noſtra, & querelæ omnes ortum ducant, quid opus eſt tam indignanter atque improbè de illis queri, in quibus nihil omnino tu te tibi querendo proficias? præterquam ſi teipſum uelis è miſero miſeriorem reddere, & cœlo ſtellisq;, hoc eſt diuini conſtitutioni, inſolenter fruſtráque præſcribere.

PTOLEMAEVS LI.

In quo ſigno Luna eſt genituræ tempore, illud in conceptu fac aſcendens. Et in quo ſigno inuenta fuit in conceptu, illud, aut eius oppoſitũ fac aſcendens in partu.

PONTANVS.

Plinij Secundi ex ſeptimo naturalis hiſtoriæ libro de partu hominis uerba ſunt. Cæteris animantibus & pariendi et partus egerendi tẽpus ſtatutũ eſt, homo toto anno et incerto gignitur ſpatio, alius ſeptimo menſe, alius octauo, & uſq; ad initia decimi. Ante ſeptimũ menſem haud unquã uitalis eſt. Septimo uerò pridie poſterò ue plenilunij die, aut interlunio concepti naſcuntur. Idem paulò pòſt tradit, Cæſoniam Caij principis uxorem octauo menſe genitam. Rufum etiam, ciuem Romanum, undecimo: Lucium Papyrium ſextodecimo. Ipſe à grauiſſimis uiris accepi, Nicolaum Piciminum, clariſſimum ducem, duodecimo menſe æditum. Hæc nos præfatos eſſe haudquaquam ab re fuerit. Hermen rerum cœleſtium antiquiſſimum ſcriptorem tradunt affirmaſſe, illum ipſum cœli gradum horoſcopare tempore genituræ, quem conceptus tempore Luna tenuiſſet: rurſumq; gradum illum tempore conceptus horoſcopaſſe, in quo gradu genituræ tempore Luna fuiſſet inuenta. Ptolemæus uerò, qui multis etiam ſeculis poſt Hermen ſcripſit, quòd obſeruatio tot annorum aliter docuiſſet, primò non gradum eundem, ſed ſignum: deinde non idem ſemper ſignum, ſed nonnunquam ſignum oppoſitum aſcendere apertiſſimè dicit. quamuis quod de oppoſito ſigno traditur, non à Ptolemæo ſcriptum, ſed à poſterioribus additum, ſint qui exiſtiment. Eiuſdem de ſigno aduerſo opinionis fuiſſe uideo Habrahamum, rerum cœleſtium ſcriptorem: non

illum quidem antiquißimum, cuius etiam Iulius Maternus non ſemel memi nit, ſed alium quendam, qui nõ multis ante nos ætatibus ſcripſit. Cuius uer
» ba ſunt. Aſcendens gradus concepti utero feminis, non erit omnino Lunæ
» locus genituræ tẽpore, ſed aut ipſe, aut oppoſitus: neq; genituræ aſcendens
» erit omnino Lunæ locus tempore concepti ſeminis, ſed aut ipſe, aut oppoſi
» tus: id quod ſæpius à nobis obſeruatum eſt. Tunc autem euenire uolunt, ut oppoſitus in genitura locus aſcendat, quum Luna tempore cõcubitus in occiduo cardine inuenta eſt. Sed antequam ad hæc ipſa ueniam, ratio redden da eſt, cur Ptolemæus de procreatione ac genitura ſimũl mentionem fecerit. Hominis ipſius & unum & plura ſunt principia: nanq; & ubi ſemen utero genitali conceptum eſt, et ubi membrorũ diſpoſitio fieri cœpit, etiam quum animatur fœtus ipſe, & quum tandem in lucem uenit, principia planè ſunt. Nihilominus hominis principia duo potißimũ conſideranda ſunt: alterum, quum ſemen genitali loco admiſſum eſt, quod ex hoc ipſo principio alia proficiſcuntur: alterum, quum fœtus in lucem uenit. Donec enim æditur, fœtus eſt: quum primùm utero egreſſus eſt, & aërem hunc hauſit externum, homo uocari incipit, ſiue mas ſit, ſiue fœmina. tunc enim uiribus ſuis uti, et ſuapte quodãmodo ſponte agere primùm aggreditur. Quũ igitur duo hæc potißima ſint hominis principia, hoc eſt procreatio & genitura, iure ſunt à mathematicis obſeruanda. De uita enim, deq; nati euentis iudicaturi, ab hoc principio, per quod in lucẽ atq; ad actiones uenit, neceſſe eſt uitæ totius, & eorũ quæ contingunt ſeriem iudiciorum deducant. Idem ſi de illis, quæ ante partum conſiderantur, iudicare uoluerint, non alio à principio, quàm à tempore coitus, quum ſemen uterum impleuit, deducere iudicium poſſunt. Quæ quidem principia quàm ſit inuenire difficile, idem autor in libris apoteleſmatum oſtendit. quibus niſi compertis iudicari de fœtus, deq; nati euentis nequeat. Atque ut de principio ſeminali hac in parte taceamus, quis niſi capto à genitura principio, quum in lucem partus æditur, de ijs quæ nato euentura ſunt, dum luce fruetur, pronunciare generaliter poterit aut audebit? Quia uerò duo hæc principia, conceptus ac genitura, ut ſibi conueniant neceſſe eſt, quum Luna corporũ domina ſit, ex loco Lunæ conuenientiã hanc omnino et cerni, et quæri debere Ptolemæus docet, dicens ſignum illud, in quo Luna tempore conceptus fuerat genituræ tempore, in aſcendente ſtatuendum eſſe: & in quo ſigno Luna inuenta eſt æditi partus tempore, illud tempore conceptus in aſcendente collocandum. Quid his dici conuenientius poteſt? qua de re multi quid ſentiant, referemus. Geſtandi utero fœtus triplex tempus conſtituunt, minus, mediũ, maius. alij enim breuiori, alij productiori, nonnulli medio quodam inter hæc tempore naſcuntur. Vnde minorem, maiorẽ ac mediam fœtuum manſionem,

mansionem, quæ ab ipsis mora dicitur, in utero esse dicunt. Nobis non placet moram dicere, quoniam fœtus in utero manet, non moratur: nisi dicamus fœtum morari partum, quod est in alia significatione. Mediam mansionem è ducentis septuagintatribus diebus constare uolunt, quum Luna conceptus tempore ascendit in ortu, quippe quòd orbes suos genituræ tempore perfecto cursu iam peregerit. Minorem è diebus ducentis quinquagintaocto, quum Luna concubitus tempore in occiduo cardine inuenta orbes nõ perfecerit, dum partus æditur. Maiorẽ è diebus ducentis octoginta octo, quibus etiã hæc addunt, Lunã tempore æditi partus aspiciendã esse: atq; ubi inuenta fuerit ab occasu in ortum superiori hemisperio ferri, ibi capiendos esse gradus inter occasum Lunamq; interiectos, eosq; bis ducentos, ac bis ductos, in partes uigintiquatuor, quot horarũ dies est, diuidendos, quotq; gradus inde deducti fuerint, totidem dies esse: quæ uerò partes reliquæ fuerint, quæ diuisionẽ non patiantur, horas esse: hos dies, item horas mansioni, quæ minor dicitur, adijciendos: quibus adiectis, tum denique omni simul numero capto mansionis tempus cõstitui. Tandem mansionem hanc subducendam esse à tempore genituræ, animaduertendumq; annum intercalarẽ, qui bissextilis nunc dicitur, Lunamq; ipsam cum eo quod reliquum est æquandam, & quo in loco tunc inuenta fuerit, eum locum horoscopum genituræ esse. Quòd si Luna ab occasu ortũ uersus per inferioris hemisperij loca pergit, capiendum esse spatium quod inter horoscopũ & Lunæ locũ interest, eademq; ratione multiplicandum, deinde diuidendum, addendumq; mediæ mansioni, pòst etiam subducendum, demũ etiam adæquandum. Atq; his in hunc modum confectis, quo in gradu Luna inuenta fuerit, eum gradum genituræ tempore horoscopare. Nos quod de gradu dicunt, affirmare non audebimus, quum Ptolemæus signum dicat, non gradum. Sed nec illud affirmauerimus, quum Lunam in occiduo cardine reperiri contigerit, signum oppositum horoscopare: quamuis Ptolemæus, & qui post eum secuti sunt, dicant etiã signum oppositũ solere horoscopare. Quæ tametsi uerisimilia sunt, & à nobis ualde probantur, ut à peritissimis uiris tradita, tamen si Solis etiã uia quæratur, à mathematici circumspectione alienum non est. Quam uiam secutum non diffitebimur Georgium Trapezuntium, rerum cœlestium studiosissimum hominem. In hominis corpore procreando finis alicuius rationem à natura haberi affirmare quis dubitet? neque enim temere tantum opus aggreditur. Procreationis autẽ conceptusq; quis aut certior, aut magis proprius finis esse quàm ipsa genitura potest? Quũ enim fœtus ipse manibus, pedibus, membrisq; alijs præditus sit, finisq; instrumentorũ non alius esse cernatur quàm ipsorum usus atq; officia, iure finis concepti fœtus genitura uidebitur, per quã ad

usus officiáq; tum membrorum, hoc est instrumentorum, tum sensuũ ipsorum, postquam æditus est fœtus, peruenit: quum pedum, oculorum, auriũ, manuũ officium in utero fœtui nullum sit, quorũ tamen post partum usus officiáq; paulatim incipiunt. Adhæc in inspiciendis genituris actiones à loco cœli decimo quæruntur: quocirca si locus decimus nati actiones indicat, si finis procreationis est genitura, si deniq; genitura ipsa uiam & principium ad agendum aperit, rectè natura ipsa hominem in lucẽ æditura non aliud cõmodius expectare tempus debet, quàm quũ generationis pater Sol in decimum peruenerit locum, decimum inquam locum progrediendo à loco illo, quem Sol ipse tempore conceptus peragrat, quem ad locum nisi nouẽ post menses non peruenit: quo tempore fœtus, quem ad agendum natura procreauit, nascitur, Sole generationis parente locum nacto, qui agendas ad res maximè idoneus est. Quia uerò nunc aliquanto serius, nunc paulò citius fœtus ex utero prodeat, hinc fortasse triplex mansionis genus commenti sunt, illi scilicet, qui Lunæ loco in genitura comperto, mansionis tempus inde aucupati sunt. Hi enim post illius reuolutionem, quòd Lunam horoscopare inuenirent, tunc semen genitali utero conceptum arbitrati sunt: parum, ut mihi uidetur, considerantes, eiusmodi Lunæ motum esse, ut in quouis cœli loco eam cõstitueris, ac mansionis, quam ipsi dicunt, conuersionem feceris, tandem reuoluto illo tempore ascendere inuenias. Quæ quidem ratio lunaris potius motus esse uidetur, quàm ut à genituræ tempore necessariò sit ducenda. Dicet hîc aliquis, neminem obrationem hanc, quæ decimo de loco dicta est, ocyus serius'ue nasci, quòd Sol statis semper temporibus decimum ad locum propter motus sui constantiam perueniat. Neque autem Sol, neque Luna ipsa sic dominantur corporibus, ut non cæteri quoq; planetæ iura in ijs sibi sua uendicent. Moratur sæpenumero partum Saturnus, quòd stella eius tarda sit atque difficilis, cuius nequaquam benigna uis & in ipso procreationis initio, & in membris corporis disponendis, & in ædendo partu incommodo esse potest. Contrà Mars quòd præcipitantior est, propter calorem citius præstat omnia. Iupiter Venusq; propter insitam moderationem cuncta moderatè. Mercurius suapte natura festinus et agilis, facilè tamen in aliorũ sese naturã uertit. An non uidemus mares partũ maturare, fœmellas producere? alias mulieres nimio plus in enitendo laborare, alias uix partũ sentire? quæ cur accidant, non Luna solùm causa esse potest, uerùm aliæ quoq;, & quidem diuersæ tum cœlestes, tum etiã naturales causæ. Adhæc neq; fœtũ æditum tunc dicimus, quũ ad primũ decimi loci gradum Sol peruenerit, sicuti nec Ptolemæus gradum ipsum dicit, sed signum, sed tunc ædi fœtũ existimamus, quũ ad signum illud Sol peruenerit, ubi locus decimus constitutus est.

hic enim

hic enim locus, ut cætera cœli loca, quæ numero duodecim sunt, pluribus è gradibus constat. Quin etiam licet uerum sit, quòd Sole constituto in imo cœli cardine, atq; in primo Arietis gradu, medius cœli cardo in primo Libræ gradu statuatur, tamen si Sol in alijs figuræ locis, quæ loca figuræ cardines nõ occupent, collocatus est, gradus ille in quo Sol collocatur, non semper indicat illum ipsum decimi ab eo signi gradum, decimi etiam loci principium esse, quod propter locorum inæqualitatem, & signorum rectitudinem obliquitatemq; contingit. uerbi gratia: In Publij procreatione fuit Sol in uigesimotertio Tauri gradu, qui gradus medij tunc cœli culmen tenebat: occasus autem fuit in uigesimonono gradu Aquarij, qui est decimus à Tauro locus. quorum duorum locorum principia inter se graduum aliquot numero dissentiunt: siquidem angulus ille in quo Sol collocatur, uigesimum tertium Tauri gradum occupat. angulus uerò loci ab illo decimi, uigesimum nonum Aquarij gradum obtinet, nonnunquam etiam eorum locorum principia pluribus gradibus differunt. Sed iam ad Ptolemæum redeamus, cuius uerba manifestißimè declarant, signum illud in conceptu ascendisse, quo signo Luna partus tempore ferebatur. Rursum signum illud in quo Luna erat in conceptu, etiam ascendere in genitura, non tamen semper, quum compertum sit, nonnunquam oppositum signum horoscopare. quibus dictis ostendit Hermæ regulam sibi omnino constare, quum Luna est in ascendente posita: ubi uerò in ascendente non est, ita quidem sibi dissentire, ut aliquando aduersum signum horoscopet, idq; cõtingere quũ Luna est in occasu. Quod uerò ad gradum ipsum attinet, non ita quidem sentit Ptolemæus, ut gradum illum nunquam putet horoscopare, sed illud potius sentit, non illum semper, sed alium atque alium signi eius gradum ascendere, atque ea ratione fieri, ut signum illud semper horoscopet. Oritur autem ex ijs, quæ de occasu diximus, quæstio sanè difficilis, idem'ne, an oppositum signum ascendat, quum in locis inter ortum atque occasum constitutis Luna inuenta est. Sed ea quæ de Sole diximus, persuadere nobis possunt, signum illud ascendere, quod pro motu lunari concitatiore aut sedatiore ad nouem illos menses solareis, de quibus diximus, propius accedet. Sed ad Hermen redeamus. Si eius regula tam certa fuisset quàm ipse putabat, nunquam Ptolemæus de inueniendo horoscopo tantopere solicitus fuisset. siquidem stante Hermæ regula, horoscopi ratio certa esset, quam alijs quibusdam uijs inuestigari oportere censet.

PTOLEMAEVS. LII.

Domini geniturę hominum proceræ staturæ in sublimitatibus sunt, & ipsorum horoscopi in signo-

rum principijs. Eorum uerò qui sunt breuis staturæ, in humilitatibus inueniũtur. Ad hæc inquirito, signa ne recta, an obliqua sint?

PONTANVS.

Accidit corporibus nostris non qualitas modò, quæ substantiæ comes est, uerùm etiam quantitas: quæ tres simul iunctæ, & animal & animalis corporaturam constituunt. Qualitatis quantitatis q; corporeæ cognitio, quòd hæc ipsa corpora cœlestium corporum sequuntur agitatus, etiam ad mathematicum spectat: utranq; horoscopus ostendit, et ipse utriusq; significator & index est. Sed qualitatis cognitio à signo, quod tempore genituræ ascendit, magis quæritur: quantitas uerò, licet eius inspectio etiam ad horoscopum referatur, alio tamen est modo cognoscenda: cuius cognitionis triplex obseruatio traditur: prima docet situm genituræ domini uidendum, secunda numerum graduum ascendentium in horoscopo, tertia signi horoscopantis ascensiones: quòd signa ipsa alia sunt recta, quæ dum ascendunt pluſculum temporis occupant: alia obliqua, quæ breuiori tempore sursum feruntur. Signi cuiusq; partes primæ, quòd ab ipsis ut à principio productio incipit, atq; ideo maiorum sunt uirium, proceritatis causa sunt, extremæ breuitatis, quoniam quæ desinunt, impetus ac uires remissiores habent. Ex quibus conijcere licet, medias partes, quòd mediæ potestatis sint, staturæ mediocritatem indicare. Signum etiam rectum, quod tempus ascensionis suæ producit, nati quoq; corpus producere ac longiusculum facere uidetur: at obliquũ, quod tempus ascẽdendi corripit, nati quoq; corpus corripere ac breuiusculum præstare par est. Ad hæc dominus genituræ quum in parte superiore orbis sui fertur, quia longiori uagatur spatio, longiorem staturam: quũ in inferiori, quòd breuiori spatio incedit, breuiorem corporis statũ efficit. Itaq; tria hæc ubi simul conuenerint, ut signũ rectum, ut primæ signi partes ascendant, ut dominus genituræ superiorẽ ac remotiorem orbis partem teneat, proculdubio natus ille longioris staturæ futurus est. uerbi gratia: Nascente Marco ascendit Libra, quæ pluſculum temporis rectè nascendo occupat, ascendit primus, secundus ue gradus eius, aut tertius, aut etiam quartus quintus ue: inuenitur etiam Venus genituræ domina, quæ tunc orbis sui culmen spatioſius uagando peragrat, profectò Marcus procero corpore futurus est: atq; eo magis, si à parentibus bonæ staturæ, atq; in regione ubi homines productiores sunt, nascitur. Quum igitur tria hæc simul conuenerint, facilè efficiẽt ut ex breuibus etiam parentibus proceri liberi nascantur. Contrà ubi postremæ signi partes, & obliqui quidem signi, quod breuiori spatio ascendit, horoscopant, necesse

neceſſe eſt, ut qui tunc in lucem æditur, breui corporis ſtatura futurus ſit: præſertim ſi genituræ dominus parte orbis contractiore feretur. uerbi gratia: Caius quum naſceretur aſcendebat Aries, aſcendebant poſtremæ Arietis partes, inuentus eſt genituræ dominus Mars, is q; inferiorem & cõtractiorem orbis ſui partem tunc tenebat, quis dubitet breui corpore Caium futurum? atque eo magis, ſi parentes quoq; & ipſi parui, ac regionis eius parui pleriq; homines ſunt. Sed ad genituræ dominũ redeamus: hunc multùm addere ad proceritatem uolunt, ſi matutinus eſt, quòd uires eius longè tunc maiores ſint: quod licet ipſe minimè negem, à Ptolemæo tamen id ne innuitur quidẽ hac in parte. Græcè eſt, ſi genituræ domini in ἀπωγείοις, aut ὑπογείοις ſunt. ὑπόγειον uerbum è uerbo expreſſum eſt ſubterraneum, cuius oppoſitum eſt ἀπόγειον: unde Græci imum cardinem ὑπόγειον dicunt, quòd ſit cœli cardo ſubterraneus, id eſt imus: cuius oppoſitũ dicunt μεσουράνια, id eſt cœli medium. hoc tamen loco ἀπόγειον & ὑπόγειον uidentur ſignificare orbiũ, quibus planetæ feruntur, ſupremas atq; infimas partes, quarum ſumma pars à nobis maximè recedit: contrà ima terris his maximè propinqua eſt. Quum autem orbes hi duo eſſe dicantur, eccentricus, & qui breuis cognominatur, utriuſq; conſideratio nõ parum etiam conferet. Ad faciendam igitur humani corporis proceritatẽ breuitatem'ue, hæc ſimul omnia conueniant neceſſe eſt: quæ ubi non ex omni ſimul parte conuenerint, res ad mediocritatem quandam declinabit, perinde ut plura pauciorá ue conuenerint. Sed nec hoſpitator, id eſt dominus ſigni, in quo ſigno genituræ dominus reperitur, omittendus uidetur, qui ubi in orbis ſublimitate aut humilitate inuentus fuerit, non parum etiã in utranq; partem conferet. Dominus genituræ qui ſit, & quibus rationibus capiendus, uideo inter autores parũ conſtare. Alij nanq; genituræ dominum planetam eum capiunt, qui pluribus prærogatiuis ornatus eſt, ac plus uirium in horoſcopo habet: alij cum, qui in quo ſigno poſitus eſt, in eo maiore cum poteſtate autoritateq;, quàm cæteri in locis, in quibus conſtituti ſunt, reſideat: alij planetam, qui latitudinis Lunæ dominus compertus fuerit. Sunt qui dicant eum genituræ dominum, in cuius finibus Sol interdiu, noctu Luna inuenietur. Quin etiam nonnulli exiſtimant genituræ dominum illum eſſe, ad cuius ſignum Luna primùm tranſierit, poſt id ſignum quod peragrat in genitura, præterquam ſi ad Leonem aut Cancrum tranſeat, & planetam illum ſigni dominum, ſi diurna genitura fuerit cum Sole ſimul: ſin nocturna eſt genitura, cum Luna genituræ ipſius dominatũ ſuſcipere ac gerere. Nos hanc rem, quòd maioris diſputationis eſt, in medio nunc relinquimus.

PTOLEMAEVS LIII.

Domini geniturae macilentorũ hominũ, latitudinem non habent, pinguiũ autẽ habent. Quòd si latitudo australis est, agiles erũt: sin borealis, inagiles.

PONTANVS.

Humani corporis mixtura qualis futura sit, & quem in humorem magis inclinatura, non solùm quæritur à mathematico, uerumetiã natus ne ipse crassior, an macilentior sit futurus: quanquam qui obesi sunt corpore à calido magis recessisse uidentur: contrà macilenti calore plurimum abundare, qui sic alimenta & cibos decoquant, ut nullo modo patiantur quicquam minus coctum relinqui, quod in crassum & pinguem humorẽ transeat. Quocirca quum sit ostensum, corporum proceritatem breuitatemq; à situ domini geniturae quærendam esse, uidendumq; in summo, an imo circuli sui feratur: ad hæc quum longitudo lineam sequatur, cuius propria est protensio, rectè sequitur de quærenda latitudine, hoc est, crassitudine regula. Nanque ut naturale corpus dare non est absq; linea, id est productione, quæ & longior, & breuior esse solet, sic quod latitudine careat, naturale corpus dare non est. Item quemadmodum sublimitas humilitasq; orbis planetæ, longitudinem corporis, quam sursum protendendo metimur, ostendit: sic latitudo planetæ in dextrum aut sinistrum æquinoctialis lineæ latus digressi, amplitudinẽ corporis, quam quidem in sinistram aut dextrã partem progrediendo metimur. Ac de longitudine quidem, ut primo loco præciperet, ratio docuit, quòd mathematicus lineam ante latũ & profundum cõtemplatur. De latitudine quoq; ut secundo loco præciperet, eadem ratio fecit, quum secunda mathematici consideratio sit, de latitudine, quam superficiẽ uocat, quæ constat longi ac lati dimensione, quæ duo profundum antecedũt. Maior igitur corporis nostri amplitudo, quæ corpus ipsum crassum atq; obesum reddit, à domino geniturae arguitur, quoties is ab æquinoctiali linea digressus, in dextrum aut sinistrum latus declinando in meridiẽ aut septentrionem uersus ascendendo excurrit. Contrà macies, quæ est latitudo contractior, arguitur, quoties æquinoctiali lineæ inhærens genituræ dominus neutram in partem uergit. Sed ipsa siue macies, siue crassitudo, maior minor ue à propinquitate ac digressione geniturae ipsius domini iudicabitur. Consueuit autem crassitudo ipsa, & obesi corporis grauis habitus, segnitiem quandam suapte natura ingenerare, unde crassum ingenium dici solet: nihilominus uidemus quosdam in magna etiã corpulentia agilitatem, & ad res gerendas commotionẽ etiam uehementem retinere. Cuius rei ratio etiam à cœli regione proficiscitur: nam pars cœli meridialis, quæq;

lis, quæq; in austrum uergit, quum sit ob Solis præsentiam abundè calida: cõtrà borealis, q, in septentrionẽ ab æquinoctio uergit, maximè frigida, frigusq; motũ impediat, quem calor exagitat, quum etiã illud partes concretiores faciat, et catenis quasi quibusdam liget, hic relaxet & soluat, procul dubio corpulentia illa, quã genituræ dominus in septentrionali regione positus adducit, erit minus ac minus agilis: siquidem frigidioribus è partibus cõstat, quàm quæ à domino genituræ per latitudinẽ australem uadente decernitur, q, partes calidiores habeat. Qua è ratione uidetur illud posse conijci, ut magis etiã corpulentus futurus sit is, qui genituræ dominũ in latitudine septentrionali gradibus duobus ab æquinoctiali digredientem habuerit, q̃ qui pari spatio in latitudine australi, q, ille frigidiore mixtura compactus sit: qua è re futurũ est, ut cibos minus concoquat: qui ubi malè concocti sunt, in alimentum membrorum non satis uertuntur, neq; facilè penetrant, itaq; residunt: quodq; humidi et mucosi, ut ita dixerim, sunt, simul hærent, & in crassum humorẽ abeunt. Parentum quoq; corporatura, cœliq; ac terræ situs in utranq; partem non parum conferent.

PTOLEMAEVS. LIIII.

Dominatores in ædificationibus ubi copulantur stellæ subterraneæ, ædificij erectionem impediunt.

PONTANVS.

Hæc obseruatio ad ædificationem pertinet, in qua sicuti cæteris in rebus quæ ab hominibus fiunt, multa in utranque partem euenire possunt. Quũ igitur quis prima iacit domus, templi, ædificij publici uel priuati fundamenta, si stellam dominantem stellæ subterraneæ copulari uideris, copulatione ex ipsa conijcito, impeditum iri ædificium illud, quò minus citò consummetur: siquidẽ ex copulatione stellæ in hemisperio inferiori constitutæ uidentur mirum in modum hebetari atq; infringi uires stellæ, quæ fabricæ præest, quæq; hora iaciendorum fundamentorum horoscopo imperat, ex qua hebetatione id ædificium ad fastigium, id est, operis consummationem non facilè perducatur. Euenietq; dominatori huic quod homini quamuis actioso euenire solet, ut industria eius & in agendo celeritas ualde imminuatur, multumq; agilitati eius detrahatur, si quem socium collegam'ue hebeti ingenio & obtorpenti animo nactus fuerit. Quum enim humilia sublimibus opponãtur, planeta in infima cœli parte constitutus fastigijs & culminibus aduersabitur, in quibus ædificia ipsa desinunt. Quamobrem in iaciendis fundamentis ad ea quæ superius dicta sunt de domibus ædificandis hoc etiã addendum est, ut eum dominatorẽ eligamus, qui sit nõ modò superiori in hemisperio positus, copulatusq; stellis quæ idẽ hemisperiũ teneant,

ſed qui nullam omnino cum ſtellis, quæ inferius hemiſperium peragrant, copulationem habeat, ut neq; ab illis aſpiciatur, neq; in alicuius earum domicilio collocetur, quod etiam copulationis genus eſt. Dicet aliquis, nónne beneuolus aſpectus dominatrici ſtellæ præſidio ſuo multùm conferet? Alia rerum aliarum ratio eſt. Planeta in imo poſitus non poteſt adiuuare faſtigium, quod ſurſum tollitur, nec qui eſt ſub terra id quod in aërem erigitur: quanquam autem uideri poteſt ad fundamenta ſubſtruenda, & quæ in terræ propinquo fiunt, operam ſuam ex bono aſpectu conferre, nihilominus ob loci naturã erectioni obeſt & culmini. Poteſt etiam natura ſtellæ ipſius ipſaq; copulatio eiuſmodi eſſe, ut non ſolùm impedimentum inferat, ne ædificium celerius erigatur conſumeturq;, ſed ut prorſus obſtet prohibeatq; ne unquam ad finem perducatur. Mihi quidem, quod omittere in animo non eſt, uidetur Ptolemæus, ut Syro etiã fratri affirmat, hæc quæ tradit uſu ipſo comprobata tradere, eamq; ob rem ſingula eius uerba quamdiligentiſſimè obſeruanda eſſe: quoniam pluribus in locis multa ab interpretibus addita comperio, quæ an uſu comprobata ſint ignoro: quã meam opinionẽ anteq; ulterius progredior, decreui teſtatã lectori relinquere, atq; eo magis quòd in enunciatis quæ ſequuntur, non ſolùm multa perperã translata ſunt, ſed plura etia adiecta, quæ Græci codices non habent. Quod autem ad translationem ipſam attinet, dominatorem hoc in loco conuerti, quem duobus antecedentibus enunciatis genituræ dominũ uocaui, hac de cauſa quòd in enunciato quidem, quod eſt de proceritate cognoſcenda, ſcriptum Græcè ſic eſt, οἰκοδεσπότας γενέσεως, id eſt genituræ domini. In altero, quod eſt de macilentia, οἰκοδεσπότας tantum: pro quo etiam, domini genituræ: quoniam ſi à domino genituræ quæritur proceritas, per id quod ſummum eſt, quòd quæ in proceritatem creſcunt, in æditũ creſcunt: & corpulentia à genituræ domino quæretur, per latitudinẽ, quum in dextrum ſiniſtrum'ue amplitudo promineat. In hoc tertio Græcè legitur etiam οἰκοδεσπότας tantũ, pro quo nos dicimus dominatores: quoniã ineptius nobis uiſum eſt, dominos genituræ in rebus ædificationis dicere, quum in rebus genituræ humanæ dici potius debeant: quanquam licentia quadam & domorum & urbiũ genituræ dicuntur: homines enim gignuntur & pariuntur, ædificia uerò non. Quinetiam licet tam uitæ hominũ quàm ædificiorum et urbium principium dicatur, homo tamen proprio uerbo gigni, illa uerò non gigni dicuntur, ſed inchoari. Quòd ſi id quod nomen ipſum præ ſe fert, domus dominum, qui quidem in re familiari paterfamiliâs à noſtris dicitur, interpretari uoluerimus, non qui maiorem in aſcendente iuriſditionem habet, intelligendus erit, ſed ille ipſe planeta, qui aſcendentis ſigni dominus inuenitur: nam οἰκοδεσπότης à domus dominatu dictus eſt.

PTOLE-

PTOLEMAEVS. LV.

Martis aduersus naues noxia uis imminuit, quũ neq; in cœli medio, neque in undecimo est loco: in his enim locis nauem corrumpit, prædonibus per uim occupantibus. Incendetur autẽ nauis, si ascendens ab aliqua stella fixa, quæ ex Martis mixtura sit, afflígetur.

PONTANVS.

Obseruatio hæc accommodandá ne sit tempori quo ædificari nauis incipit, an quum primùm in mare deducitur, an quum è portu soluit, parum liquet. Verùm quum earum rerũ iudicium, quæ in uita hominis postquam in lucem uenit accidunt, à tempore ipso quo æditus est quæratur, tũc enim homo dicitur, qui ante fœtus erat, uidetur obseruatio hæc ad nauis ipsius deductionẽ potius accommodari debere: siquidem quum in mare primùm deducitur, tunc ad nauigandi officium, quod eius est proprium, institui nauigium incipit: quemadmodum homo matris utero eductus tunc primùm ad ea quæ hominis sunt iter ingreditur, quũ ante partum nullius esset humanæ actionis particeps. Verùm quum planetæ huius malitiam cauendam Ptolemæus doceat, quid obfuerit, si ubique noxiam hanc Martis constitutionem uitauerimus & in ædificanda naui, & in soluendo è portu? quando prudentis officium est cauere. Quocirca & quum nauim deducimus, & quum è portu soluimus, & quum illius carinam, hoc est fundamentum iacimus, cauere summo studio debemus, ut neutrum locorum horum Mars insideat, quibus è locis prædonum uim minetur. Cur autẽ prædones à Marte significari dicantur, & ij qui uocantur piratæ, non est abre nouisse. Nihil est igne rapacius: ignis quam similima est rubra bilis, quæ cholera dicitur: huic humori Mars præest. est igitur eius hominis, in quo cholera efferuescit, medium mensuramq; abijcere, quam qui abijcit, ad exuperantia excessumq; rapiatur necesse est. Rapit excessus ad iniuriam atque iniustitiam: qui iniurij atq; iniusti sunt, ij sibi per uim rapinasq; quæ cupiunt, comparare student. Quocirca in quorum natiuitatibus Mars potens inuentus est, ac genituræ dominus, si nullo stellæ alius moderamento temperatur, eam choleram in hominum illorum pectoribus excitabit, ut appetitiones eorum iniustissimæ sint, tumultus quærant, bellis gaudeant, cupito quacunque ratione potiri studeant: quales sunt latrones ac piratæ. Mars igitur in decimo aut undecimo loco inuentus, naui, rebúsque quæ in naui comportantur, detrimento erit: quod ab ijs quidem qui Martiæ naturæ ac significationis sunt inferetur. Superest, ut cur hæc potissimũ loca

obſint nauigijs oſtendamus. Decimus locus, id eſt cœli mediũ, magiſteria, negocia, operationes atq; actiones, ut toties dictum eſt, indicat. Quocirca locus hic quũ nauis aut in mare deducitur, aut ſoluit è portu, negociorum nauis eius indicium facit: quem ſi Mars inſederit, quum maleficus abundè ſit, nauis negocijs officijsq; pernicioſiſſimè oberit, uim afferens per arma, latrocinia, ac prædonum rapinas, quæ Martis ipſius ſunt propria. Prædones enim ſunt qui arma in mari exercent, atq; è rapinis uictitãt, quamuis nonnunquã etiam hoſtes ſignificentur, qui belli ſequuntur iura. Quòd ſi naui nauisq; negocijs decimus attribuitur, conſentaneũ eſt, uti rebus quæ ipſa naui deuehuntur, undecimus dedicetur, ſitq; ſignificator peculij, cenſusq; naualis, aliorumq; etiã quæ negocijs ipſis adiuncta & cognata ſunt, ad quæ peragenda & nauigatio ipſa ſuſcepta eſt, & nauis in mare deducta. Peculium autem & cenſus nauigij, & illa quæ tum nauis, tum ſuſceptæ nauigationis negocijs adiuncta ſunt, merces ac bona, quibus nauis onerata eſt, eſſe uidentur. Quocirca tum decimus, tum undecimus locus à Marte occupatus, & nauigijs, & rebus quæ nauigijs comportantur, detrimentum allatum iri, aut à piratis, aut legitimis ab hoſtibus obnunciat. Quòd ſi Marte decimum undecimum'ue locum inſidente, dum nauis aut deducitur, aut è portu ſoluit, Martiæ naturæ ſtella horoſcopum inſederit, nauem ignibus abſumendam portendit. Quum enim duo primaria cœli loca maleficis à ſtellis occupata fuerint, ac duæ igneæ ſtellæ ſimul ad malefaciendum conuenerint, ita quidem efferueſcent, ut etiam per ignes incendiaq; corrumpenda nauis decernatur. Eadem fortaſſe maleficentia Mars utetur in loco undecimo poſitus, ſi ſuæ quoque efficaciæ ſtellam fixam in orienti cardine ſociam nactus fuerit. Videntur tamen ſigna diligenter conſideranda, in quibus Mars erit poſitus, & domini ſignorũ qua ſint ratione collocati. Illi autem plerunque piratæ futuri ſunt, in quorum genituris Luna diurno tempore in horoſcopo partiliter cõſtituta, Martem ac Saturnum uiderit alium genituræ cardinem occupare, aut ſecum aſcendentes habuerit. Luna enim quum in mari potiſſimum dominetur, ubi in aſcendente poſita eſt, & genitura eſt diurna, decernit eum qui tunc natus eſt, nauticam exercitaturum, & quidem rapinarum ac prædæ gratia, ſi perniciosa Martis irradiatio coniunctió ue acceſſerit. Quòd ſi Saturni quoque malignitas acceſſerit, ad Martis maleficentiam ſumma fict acceßio: qua è re futurus eſt natus ille peruerſiſſimus, & generi hominum maximè incommodans, cuiuſmodi piratæ ſunt, qui humani generis hoſtes ſunt. Reliquum eſt, ut ſciamus Martem in alijs cœli locis poſitum, non adeò pernicioſum fore nauem in mare deducẽti, aut è portu ſoluẽti, quandoquidem uires eius in terra quàm in mari pollentiores ſunt. Hoc enunciatum ſatis me angit,

quòd

quòd uideo Græcos quosdam codices non undecimi loci, sed duodecimi mentionem facere.

PTOLEMAEVS. LVI.

Quum Luna est in primo quadrangulo, hoc est ex quo à Solis coniunctione recessit, corporum humiditates ad secundum usque effluunt, in reliquis autem decrescunt.

PONTANVS.

Ptolemæus ipse in primo apotelesmatũ libro ait Lunã ab exortu ipso, quũ increscere incipit, quousq; semiplena sit, humiditatis amplius effectricem esse: inde ad plenitudinẽ usq;, caloris: post plenitudinem autem donec iterũ semiplena fiat, siccitatis: atq; inde ad coitũ usq;, frigiditatis. Quocirca Luna ipsa in primo orbis sui quadrãte naturã aëris, in secundo ignis, in tertio terræ, in quarto naturam aquæ magis sequitur, hoc est ueris, æstatis, autumni atq; hyemis qualitates magis excitat, ac nihilominus humida semper est, quum sit eius qualitatis domina. Ipsa autẽ humiditas quoniã à calore, id est Sole excitatur, à quo Luna lumen suscipit, tã diu in Luna increscit, quàm diu Solis in eã crescit irradiatio. Ipsius uerò irradiationis incrementũ per primã & secundam orbis quadraturã pedetentim procedit, donec peracta secunda quadra, confectoq; semicirculo, plena facta est. Deinceps quòd decrescere in eius corpore Solis irradiatio incipit, decrescit etiã paulatim humiditas, quæ ab irradiatione calefacta excitabatur, donec Soli coiungitur. Interea Luna ipsa Solem bis quadrãgulariter aspicit: ac primùm quidem quadrangulum formari incipit, quũ à Sole digrediẽs septimo pòst die semiplena cernitur, abestq; ab illo gradus nonaginta. Hoc igitur est quod ait, quum est in primo quadrangulo, ex quo à Solis coniunctione recessit. Secundum uerò quadrangulũ post plenitudinẽ incipit, quo tempore semicirculo confecto, ad Solem regrediens rursus illi propinquat, nonaginta tantũ gradibus interiectis. Non peruenit igitur ad secundum quadrangulum, nisi post plenitudinem. cousq; autem corporum humiditates effluunt. Siquidem Lunæ humiditatem sequuntur inferiora corpora, quum Luna ipsa sequatur excrescentem Solis irradiationem. qua decrescente, quòd Lunæ quoque decrescat humiditas, corporum simul humiditates decrescunt. Quæ res in cædenda materia, in cãcris fluuialibus, in cerebro, in uenis manifestissimè cernitur. Crescente enim Luna, humidum in ijs effluit, decrescẽte decrescit. Idq; nos carminibus testati sumus, quũ de ijs loqueremur.

Aemula crescenti reparant à lumine uires,
Et multo in primis implentur corpora succo,

PTOLEMAEVS. LVII.

Quum septimum locum atq; eius dominum in ægritudine afflictum uideris, medicum mutato.

PONTANVS.

Diximus superius septimum locum in quæstione mathematicis attribuendum esse, & cur ita sentiremus causas attulimus. Idem locus in constituenda ægroti figura medico attribuitur, ut quemadmodum in consulendo mathematico ascendens attribuitur consultori, septimus locus consulto, sic in inspiciẽdo cœlo quo tempore quis ægrotare cœpit, prima domus ægroto ipsi, septima medico attribuitur. Perinde enim ad ægrotum medicus, ut ad consultorem consultus ex Ptolemæi sententia sese habet. Inquit igitur, qui mathesim profitetur de ægroto cõsultus, aut de illius morbo sponte sua iudicium ferre uolens, quo tempore laborare æger cœpit inspecto, si septimam figuræ domum infeliciter affligi compererit, ut aut à malefico planeta insessa sit, aut quadrangularibus aduersis ue radijs ab illo impugnetur. Ad hæc si dominum quoq; domus eius malè se habere compertum habuerit, suadebit ægroto uti dimisso primo medico, alium adhibeat. siquidem infelix loci huius atq; eius domini status curationem medici eius malè cessuram, atq; offuturam languenti significat. Quale nanq; præsidium esse potest eius uel hominis uel artificis, qui nobis laborantibus & ipse quoq; laboret? miserabiliterq; affectus langueat? nam septimus locus quum sit medici, dominusq; loci ipsius quũ sit medici significator, si malè se habuerint, hostilibusq; radijs feriantur, medici qui antè adhibitus est ingenium atque operã sic turbari atq; præpediri significant, uti de illius opera nihil omnino sperandum sit, summouendumq; omnino esse, ne curatio eius in ægrotum malè atq; infeliciter uertat. Loco enim malè se habente, quæ loco illi attribuuntur, ut malè se habeant necesse est. quumq; loci dominus, id est medici significator affligitur, medici quoque opera, qui tunc ægroto curando aßistit, malè cessura uidetur. quocirca primo medico summoto, alium adhibendum iudicabit.

PTOLEMAEVS. LVIII.

Coniunctionis locum, quo in loco ab anni ascendente est, inspice: siquidem quum profectio illuc peruenerit, tunc euentus erit.

PONTANVS.

Quam ipsi nunc coniunctionem dicimus, Græcè est σύνοδος, quæ à Ptolemæo ubique pro Solis Lunæq; copulatione accipitur, nisi cuius alius planetæ fuerit addatur. Quo magis quosdam demiror, qui de Iouis Saturniq; con

niq; coniunctione tradi hoc omnino uelint. Sed ad rem ueniamus. Si Lunæ Solisq; potestas tam efficax in nobis nõ esset, nequaquam in genituris contemplandis principe loco quæreretur, plenilunium ne an nouiluniũ quam contemplamur genituram præcesserit. Etenim quum Sol Lunaq; spiritus atq; corporis, id est animati corporis, autores ac domini sint, iure illorum coniunctio primùm quæritur, eaq; diligenti studio ac summa opera examinanda præcipitur, idq; non solùm in genituris exquirendis, sed in annorũ quoque conuersionibus pensitandis (ut loco hoc monemur) studiosius faciendum est. Etenim (ut suprà est dictum) si ex coniunctionibus planetarum emanat cognitio generationis & corruptionis rerum, quæ hoc in mundo fiunt, quo studio, qua etiam diligentia coniunctio luminarium, quæ antè quàm utero quis prodijt facta est, consideranda uidetur? Quandoquidem Sol princeps est ac moderator planetarum ipsorum, Luna uerò continuis discursibus quinq; stellarum erraticarũ radios ab alio ad alium transferens, in corpora inferiora infundit, & (ut ita dixerim) transmittit. Quocirca tum in genituris contemplandis, tum in annorum conuersionibus recensendis, Solis Lunæq; antegressa coniunctio diligentissimè uidenda est, primumq; quo in signo, & quo in cœli loco contigit cõsiderandum: deinde à nocẽtibus ne an salutaribus à stellis, an partim à salutaribus, partim à noxijs irradiata fuerit: deinceps dominus signi & item finiũ qui sit, & in quo cœli loco collocetur, atq; à quibus aspiciatur. Item rectó ne cursu feratur, an retrocedat, aut cõsistat: oriatur ne ante Solem, an Solem ipsum subsequatur. Quibus atque etiam alijs inspectis, exacteq; pensitatis, facilè erit decernere, quid aut boni coniunctio illa promittat, aut minetur mali: quo cognito uidere etiam restat, quo anno bonũ malum ue ipsum euenturum sit, si genituram inspicias: sin anni conuersionem, quo mense. Ac ne à Ptolemæi ipsius uerbis discedamus, quum præceptum hoc eius ad anni conuersionem pertineat, si in cõuertendis genitura rum annis obuenturi mali aut boni, quo illud euenturum portenditur, certum mensem colligere uolumus, signorum profectio inspicienda est. Singulis enim annis signa singula iuxta signorum successionem in genitura horoscopi autoritatem accipiunt. Nam cui ortus sui tempore Cancer ascendit, quia Leo Cancrum statim sequitur, secundo anno nati eius principatum Leo suscipit, anno tertio Virgo, & sic deinceps, ac si per manus alterum alteri signum iuxta seriem constitutionis dominandi potestatem tradat. Atque hæc quidem signorum series, mutuaq; successio, à nostris profectio dicitur, Græcè περὶ πάτος est. Eadem in conuertendis annis mensium ratio est: si enim anni profectio ad Arietem peruenerit, primus mensis Arieti, secundus Tauro, tertius Geminis attribuitur, et sic deinceps. Signo igitur locoq; inspecto, ubi in anni

reuolutione Solis Lunæq; coniunctio facta est, ac loco ipso cum genituræ figura pensitato, quid & quo mense portendatur intelligi poterit. Quam ad rem plurimùm cõferet annorum ipsorum, ac locorũ climatericorũ consideratio. Locus quoque partis fortunæ natalitiæ inspiciendus est, uidendumq; ad quem planetam temporum dominatus perueniat, & quid aut tunc in genitura, aut nunc in reuolutione uel prosperum, uel aduersum planetarum status, cœliq; cõfiguratio promittat, quæ miscendo ac temperando, qualia euentura sint, & quo etiã anno ac mense, iudicabimus. Hoc Ptolemæi præceptum tempestate nostra non modò non seruatur ut parum intellectũ, uerùm malè conuersum ad Iouis Saturniq; coniunctionẽ refertur: quod ne somniari quidem Græcè ex uerbis Ptolemæi ipsius potest. Quod autem ad translationem ipsam attinet, quũ Græcè dicatur σύμπτωμα, quod tum calamitas, tum ruina Latinè dici potest, maluimus euentũ, quòd id uerbum communius ac generalius est, traducere.

PTOLEMAEVS. LIX.

De absente quòd occiderit ne pronunciato, antequam uideris, an temulentus factus sit: neq; quòd uulnus acceperit, antequã exquisieris, an sanguis ei missus fuerit: neq; quod thesauros inuenerit, priusquam scrutatus fueris, ne fortè depositũ acceperit, quum omnium figuræ similes sint.

PONTANVS.

Sunt quædam rerum cognationes, quod natura ipsa comparatũ est, ut difficile sit eas secernere. Nam & morbi quidam ita cognati uidentur, ut signa eadem sint: & uirtutes quædam morales adeò sibi cõiunctæ, ut penè eædem uideantur, nec nisi multa subtiliq; cogitatione secerni queant. Quæ res tum medicorum, tum philosophorũ ingenia non parũ exercet. Quare mirum uideri non debet, si astrologos quoq; similis difficultas malè habet, quibus eo maior uenia danda est, quòd cognationes rerum quæ astrologis offeruntur, longè plures, aut certè non pauciores quàm morborum ac uirtutũ sunt. Monemur igitur, si quando de peregre profecto atq; absente cõsulti fuerimus, ne pronũciemus, illum diem obijsse, ex cœli configuratione, primo id aspectu portendente, nisi diligẽtius exactiusq; perspectũ sit, an is de quo cõsulti sumus, tunc temporis quo cõsulebamur, ebrius fortasse esset, & uino, ut poëtæ inquiũt, sepultus: quoniã temulenti figura mortui figuræ persimilis est. Temulenti nanq; propter uinũ, quo sensus obtorpuere, in somnos abeunt, quorũ somnus & profundior est, & propter grauissimũ sen-

suum

ſuum torporẽ morti ſimilior: unde à poëtis morti ſomnus cõparatur, ut:

» *Dulcis & alta quies, placidæq; ſimillima morti. &:*

» *Perpetuus ſopor urget. &: Ferreus urget ſomnus. &:*

» *In æternam clauduntur lumina noctem.*

Vidimus ipſi gregariũ militem uino uictum, triduũ ſub diuo iacuiſſe abſq; ullo rerum humanarum ſenſu. Qua uerò ratione diſcernere poſſimus, mortuus'ne ſit, an uino obſtupefactus edormiſcat, Ptolemæus non docet, contentus hoc in loco monitos tantum feciſſe: quod nos difficilius arbitramur ex figura interrogationis diſcerni poſſe, non ſolùm propter mortis ac temulentiæ ſomniq; cognationem, ſed quòd fieri etiam poſſet, ut morbo comitiali eſſet interceptus. Monemur etiam, ne ſi in cõſulendo cœleſtis conſtitutio portendere uideatur illũ, de quo cõſulimur, uulnus accepiſſe, pronunciemus hoſtile ei uulnus inflictum, antè quàm probè perſpectum habeamus, num uenã eius medicus ualetudinis gratia percuti iuſſerit: quid enim cognatius? quum utrunque ferro fiat, atq; ex utroq; ſanguis effluat? Tertio etiam loco docemur, ne antè de inuento theſauro pronunciemus, quàm perſpexerimus, an apud illum de quo quæritur, depoſita pecunia fuerit: quum depoſitum atque theſaurus ex pecunia conſtet, & depoſitum theſaurusq; ſimili modo repente obijciatur. Verùm, ut dixi, alterum ab altero diſtinguere maioris difficultatis, atq; operæ grauioris eſt, quũ multa ſuapte natura lateant, neq; ad tam diſtinctam rerum cognitionem, ut in principio dictum eſt, perueniri ſcientia poſſit: tametſi Ptolemæus conſequi hoc ipſum poſſe nos nequaquam diffidit, quum uetet de abſentis morte non antè pronunciari, quàm compertum ſit, an is uino ſopitus dormiat, ac ſi diligenti ſolertiq; inueſtigatione aſſequi mathematicus illud poſſit. Memoriæ proditum eſt, Valentem mathematicum prædixiſſe, puerum qui Conſtantino Auguſto natus eſſet, in ſinu auiæ diem obiturum: quæ mortua quum eſſet, prædictio eius ab omnibus irridebatur. cõtigit autem uti puer is in oppido moreretur, quod ex Helenæ auiæ ſuæ nomine dicebatur. quæ res omniũ animos, quibus prædictio illa nota erat, in admirationem conuertit.

PTOLEMAEVS LX.

Super ægrotis criticos dies inſpice, ac Lunę peragrationem in angulis figurę ſexdecim laterum: ubi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti: contrà malè, ſi afflictos inueneris.

PONTANVS.

Qui ſint critici dies non medicis ſolùm, uerùm etiã cuiuis aliquo ingenio prædito ſatis cognitum eſt. dicti autem critici, quòd morborũ ipſorum

perinde ac iudices sint: siquidem ipsis illis diebus morbi ne an ægroti futura victoria sit, potissimum iudicari potest, unde Græcè κριτικοὶ, id est iudicatiui, aut si malueris, discretiui, quòd discernẽdi uim habeãt, dicti sunt: quos esse septimum, quartumdecimum, ac uigesimumprimũ diem, ex quo ægritudo ipsa cœpit, generaliter quidem medici consentiunt: quippe quos maximè obseruant, quum eorum maximum esse iudicium sentiant. Cur autem eos tantopere obseruent, ratio hæc est. Luna quum nostris corporibus dominetur, ob insitam sibi uim ac potestatem, ipsos corporum humores excitat, ac pro arbitrio moderatur. Quocirca locus eius ubi ægrotare quis cœpit, diligenter inspiciendus est: ac locus item huic aduersus, & utriusq; medius à dextra ac sinistra. Quũ enim tria hæc loca, quem locum ægritudinis hora Luna tenebat, aduersis, & ut Græci dicunt, diametris, ac quadrangulis radijs hostiliter feriant, ubi ad unumquenq; locorum eorum Luna transierit, necesse est uti morbus ille maiorem quàm in alijs diebus cõmotionẽm faciat, propter aduersantium locorum naturam, ad quæ Luna peruenerit: peruenit autẽ ad locũ oppositũ quartodecimo seu quinto decimo die: ad loca uerò quadrangula, hoc est ad primũ quidem quadrangulũ, qui locus medius est loci lunaris atq; aduersi, die septimo octauó ue: ad secundum uerò uigesimoprimo secundó ue die: quorum dierum quòd iudicia manifestiora sunt, eam ob rem hi à medicis potius obseruãtur. Sed mathematico de morbis, deq; ijs quæ morbis accidunt, prædicere uolenti, alij quoq; dies obseruandi magna etiam diligentia sunt. Fieri enim potest tum propter coniunctiones fixarum stellarum, quæ noxiæ qualitatis sunt, tum etiã propter nocentes planetarũ aspectus, uti Luna in alijs etiã diebus maiores atq; concitatiores cõmotiones humorũ excitet: contrà ut diebus, quos antè diximus, propter cõiunctiones aspectúsue adiuuantiũ stellarum, motus minores atque sedatiores fiant: quod ipse nõ semel obseruaui, ea prædicere ausus, quæ res ipsa comprobauit. Vt autem prædicere mathematicus hæc possit, figuram cœli tempore ægritudinis incipientis ita constituet, ut è singulis uiginti duobus gradibus particulisq; minutis triginta unum latus efficiat, qui numerus quater ductus quartam cœli partem implet. Quæ ratio docet, gradus duos, ac uiginti cum dimidiato gradu, sexdecies multiplicatos, trecentos ac sexaginta gradus complecti, quot graduum totus cœli ambitus est. Hæc sexdecim latera è singulis duobus ac uiginti gradibus partibusq; minutis triginta constituta, figuram sexdecim laterum faciunt: qua figura constituta, & laterum angulis probè consideratis, non modò qui critici uocantur, uerùm etiam cæteros omnes dies inspicies, iudicabis q; pro statu Lunæ atq; angulorum ipsorum uel felici, uel aduerso, commotiones ipsas aut sedatiores, aut grauiores futuras. Quæ

res si à me-

res si à medicis obseruaretur, & cum ipsis cautius, & cum ægrotis multò melius ageretur, neq; tam fallerentur quàm falluntur, ubi quo minimè suspicantur die grauiores commotiones accidunt. Ne autem fallare, morbi qualitas cum stellarum qualitate, quæ Lunæ angulisque configurabuntur, comparanda est.

PTOLEMAEVS. LXI.

Luna significat ea quæ corporis sunt, ut quæ ei pro motu similia sunt.

PONTANVS.

Non solùm aptè, uerùm etiam necessariò enunciatum hoc à Ptolemæo subijcitur, quo docemur, rationabile esse, uti Lunæ motus à medicis obseruetur, quẽ corpora ipsa sequantur. Luna, inquit, significationẽ atque imperium habet eorum quæ corporis sunt. Dixit autẽ corporis, quòd ea quæ spiritus sunt, Soli magis attribuũtur. Quòd autem Luna corporibus imperet, incrementa ac detrimenta ipsius planè docent: siquidem excrescente Luna corpora implentur atq; humoribus exuperant, decrescẽte magis ac magis euacuantur atq; arescunt: id quod in omni syluestri materia cædenda etiam à rusticis obseruatur. Nanq; materia cæsa quũ Luna lumine aucta est, quòd humidi fiat acceßio marcet, ac breui etiam tempore carie conficitur: siquidem humidum ipsum suapte natura & facilius, & citius corrumpitur. Contrà materia cæsa, quum decrescens Luna perquam exiguo est lumine, diutius perennat: nam quòd tunc siccior atq; attenuatior est, nõ tam facilè corrumpitur. Hoc ipsum etiam in conchylijs, cancris q;, atq; in uulneribus capitis manifestißimè cernitur, estq; res clarior quàm ut probatione multa indigeat. Non mirũ igitur, si corpus febribus affectũ pro motu ac statu Lunæ aliâs maiores, aliâs minores commotiones sentit: quando etiam ubi sanum ac firmum est, ad illius motum nunc abundè se implendo, nunc tenuiter extenuando naturaliter moueatur.

PTOLEMAEVS. LXII.

Quum minutum coniunctionis principium facies, potes de mutatione aëris in mense illo iudicare: erit enim iudicium iuxta dominatorem anguli figuræ cuiusq; : uincit enim hic aëris naturã, assumẽs in his etiam præsentis temporis qualitatem.

PONTANVS.

Quò maiorem atq; euidentiorem probationem afferat eorum, quæ de Lunæ obseruatione dixit in ualetudine corporũ procuranda, subdit etiam

etiã aëris ipsius commotiones Lunæ qualitatem ac temperationẽ sequi, nẽ tantopere quis miraretur, si quæ corporis sunt, Lunæ imperijs pareant: quando aër ipse, in quo uiuimus, quem spiramus, Lunæ quoque qualitates suis in affectionibus referat: quod ni sic esset, nunquam Ptolemæus concederet astrologo, de totius mensis qualitate iudicandum. Nam quum Luna mensis domina sit, aërq; pro Lunæ affectione cõmoueatur, et aliã atq; aliam temperationẽ suscipiat, docet totius mensis qualitatẽ posse ab astrologo prædici, si Lunæ motũ cœliq; constitutionẽ, quo tempore cum Sole coit, probè solerterq; inspexerit. Ratio autem modusq; prædicendi hic est. Inspice minutam cœli partem, in qua Sol cum Luna coit: minutam partem dico, quod λεπτὸν Græci dicunt: nostri minutum hodie uocant. Vult autem non modò gradum, uerùm etiam minutum lunaris cum Sole coniunctionis inspici: tantam in mathematico exigit diligentiam. Inspecta igitur minuta particula, quærenda est cœli pars ascendens puncto illo temporis, quo cum Sole Luna congreditur: qua parte inuenta perquirendus est dominator, id est planeta plures ac potiores prærogatiuas habens. De domi natore autẽ atq; hospitatore suprà trigesimoquarto enunciato satis multa diximus. Considerandaq; tum ipsius, tum signi ascendentis, & signi in quo reperitur, qualitas, graduſq; ipsius natura. Videndæ etiam Lunæ con figurationes cum stellis tam fixis quàm etiam erraticis: quousq; Luna ipsa quartam cœli partem ab hora coniunctionis dimensa fuerit, id est, dum Solem quadrato è loco quadrangulariter aspiciat. Tunc minuta etiam particula uidenda est quadrãgularis ad Solem aspectus: quærendus item gradus ascendens ac dominator, & alia omnia quæ paulò antè dixi, diligenter examinanda: deinceps quærenda est minuta particula, & ut hodie dicunt, minutum plenilunij, formandaq; cœli constitutio, ut dictum est. Hoc item faciendum, quum Luna ad minutã particulam alterius quadrangularis aspectus peruenerit, ut Lunæ cursu in quadrantes quatuor, quas tum circuli quartas, tum quadraturas hodie dicimus, diuiso, de singulis circuli lunaris quadraturis suum ferri iudicium distinctius queat. Quibus omnibus probè inspectis, diligenterq; pensitatis, considerata etiam anni parte, & regionis natura, in qua mathematicus futuri mensis statum prædicturus est, poterit de toto mense, deq; singulis quadraturis certa pronunciare. Sed in singulis quadraturis illud in primis obseruabit, idem ne an alius dominator sit: et si idem fuerit, in qua sit quadratura potẽtior: sin alius, utrius maiores sint prærogatiuæ. comparandusq; totius mensis dominator cum particulari quadraturæ dominatore: configurationes quoq; ipsorum uidendæ, & an procedant, an regrediantur: in austrum decliment, an in aquilonem consurgãt. Sed nec prætermittendi sunt cometæ si qui præcessere:

esse: multò minus planetarum coniunctiones negligendæ. Turpe nanque est, præsentibus ac futuris ita intentum esse, ut præteritorũ obliuiscare. Hæc ideo monemus, ne quis quũ Ptolemæi præcepta faciliora uideantur, incautior ad prædicendũ fiat. Nunc uerba ipsa Ptolemæi planius aperiamus. Poteris, inquit, si minutum, in quo Luna cum Sole coit, obseruaueris, ab coq; seriem menstrui cursus cœperis, prædicere quæ aëris commotiones uniuerso mense futuræ sint. Prædicendi uerò modus erit, ut probè inspicias dominatorem anguli, hoc est cardinis figuræ cuiusq;. quibus uerbis admonemur, quatuor figuras singularum quadraturarũ lunaris cursus faciendas esse: considerandumq; dominatorem anguli cuiusq; quadraturæ, id est planetam potentiorem, quo tempore Luna minutam partem quartæ ipsius ingreditur: siquidem dominator is naturam aëris uincit, hoc est, in aliam qualitatem pro natura sua mutat, aut etiam auget. Si enim dominator anguli primæ quadraturæ pluuias commouerit, & qui sequitur dominator aut idem ipse, aut similis conditionis fuerit, aëris humidauis augebitur: contrà arescet, si anguli secundæ quadraturæ dominator contrariæ naturæ atque cõditionis fuerit. Idem in reliquis duabus circuli quadraturis obseruandum, ut dominatores ipsi diligenter inspiciantur, qui quidem aëris naturam uincunt ac moderantur quartarum ipsarũ temporibus, accipientes etiam præsentis temporis qualitatem. Præsentis autem temporis qualitatem intelligit, aut quòd dominator superata natura quadraturæ quæ statim præcesserit, nouam sumat qualitatem: aut quòd considerare etiam oporteat qualitatem anni temporis. Verbi gratia. Si æstas fuerit, licet dominator pluuias excitaturus appareat, accipit tamen de natura temporis aliquid, hoc est demit ab humido particulam, ac temporis præsentis particulam suscipit. Sin dominator ipse calidæ naturæ, ac tempus æstiuũ fuerit, mutuabitur ab æstate uires ad calefaciendum longè potentiores. Illud etiã addendum est, ut regionis ratio habeatur, quũ Italiæ cœlum pluuium sit, Aegypti uerò siccum. Meminisse hac etiam in parte debemus superioris enunciati, in quo de loci lunaris coitus dominatore tractat. Ait enim dominatorẽ hospitatorem'ue nouilunij in cardine repertũ, iudicem esse omniũ quæ mense illo futura sint. Quocirca inspiciendis quadraturarum figuris primum studium esse debet, ut à dominatore hospitatoré ue, si is cardini præfuerit, generale mensis iudicium capiamus. Cæterùm sententia illa locum habet, iudicio meo, solùm quum figuræ cardinem dominator seu hospitator nouilunij tenuerit, quum hæc generalis sit, atque ubique sequenda.

Quũ Saturnus Iupiterq; coniunguntur, uter eorum sublimior sit uide, ac iuxta illius naturam pronunciato. Idem etiam in cæteris stellis facito.

PONTANVS.

Enunciato superiori docuit, quoties futuri qualitas mensis quæritur, lunarium quadraturarum angulos, ipsorumq; angulorum dominatores inspiciendos esse, atq; ab ipsa lunaris cum Sole congressionis minuta particula inchoandum. Quoniam autem cæteri planetæ omnes inuicem coniunguntur, atque ut dictum est, ex illorum coniunctionibus originẽ & causam ducunt quæcunq; in mundo hoc fiunt, consequenter docemur quid in planetarũ congressionibus quærere debeamus, ut cuius eorum maioritas atq; autoritas sit, planè intelligamus. Si, inquit, Iupiter Saturnusq; coniungantur, eius scias autoritatem maiorem, ac uires ad agendum pollentiores esse, qui superiore atque eminentiore breuioris circuli sui parte feretur. Græci dicunt καθυπερτερῆν, hoc est superare, seu malueris, superiorẽ esse atq; extolli: hodie dicunt qui è nostris recentiores, id est linguæ Latinæ imperitiores sunt, eleuare: quod uerbum apud maiores nostros significabat deprimere atq; deijcere: cuius contrariũ est extollere: eleuare enim res aduersarij, est eas uerbis imminuendo deprimendoq; cõtemptiores reddere. Qua uerò ratione in cõiunctionibus ipsis alterum planetam altero superiorem atque eminentiorem cognoscamus, tabulæ ipsæ motusq; per numeros planè digestus ostendit. Quo cõperto quũ is qui superior fertur sit potior, atq; ut ita dicam, principalior in coniunctione, ab eo significationum ratio lexq; capiẽda uidetur. Eminẽtia quidem ac superlatio sublimitasq; planetæ in coniunctione est, quũ in summo circuli breuioris, qui Græco nomine ἐπίκυκλος uocatur, planeta ipse fertur, altero planeta partes demissiores tenente: eum locum quanquam usitato, peregrino tamen nomine augem nunc uocant: à nobis tum apex, tum circuli culmen, summumq; cõmodissimè dici potest. Planeta igitur qui fuerit in apice, hoc est in sublimiore sui epicycli parte, aut ci parti propinquior, præferendus est in coniunctione planetæ, qui ab epicycli apice remotior est, magisq; à rotæ summo declinat: nam quũ in apice, hoc est in epicycli culmine collocatus est, uidetur illic quodammodo regnare, sedensq; in solio ius dicere: alter uerò ad illius pedes sedere, & perinde ac superiorẽ uenerari. Quocirca iure primæ illi partes in significatione traduntur. Quum autẽ fieri posit ut pari sublimitate aut declinatione ferantur, quid tunc seruandum esset, non expressit, relinquens nobis considerandæ permulta, quibus examinari uires utriusq;, atq; inuicem pensitari debeant.

PTOLE-

PTOLEMAEVS. LXIIII.

Vbi ſciſcitationis dominatorem inſpexeris, quã hic in anni cõuerſione, ſeu in aſcendente nouilunij poteſtatẽ habet inſpice, ac ſecundũ hæc pronũcia.

PONTANVS.

Dixit de ægrotis, de qualitatibus anni, de coniunctionibus planetarũ, id eſt, quæ ſeruanda atque inſpicienda eſſent in prædicendis ijs quæ à cœli conſtitutione portenderentur in ægritudinibus, in aëre, in euentis, quæ à coniunctionibus planetarum denunciarentur: hoc in loco quid ſeruare debeat mathematicus, ubi de negocio aliquo ſuſcipiendo, aut re perſcrutanda conſultus fuerit, docet. Si quis, inquit, aut te conſulet de re quam facere in animum induxit, aut ſcire ex te quærat, num res illa conductura ſibi ſit, aut fortaſſe de bello ſuſcipiendo, deq; humanis alijs tũ negocijs, tum rebus ſciſcitabitur, primùm quæſtionis, id eſt interrogationis ipſius dominatorem perquires: deinde illo inuento conſiderabis, ſi quam poteſtatem habeat in conuerſione anni, eius ipſius qui te conſulit. Quæ res admonet uti primùm conuerſionem anni hominis illius uideas, eaq; inſpecta etiam perſcrutere qualis, quantaq; dominatoris illius uis ac poteſtas ſit in conſtitutione figuræ, annuæ illius cõuerſionis. Quòd ſi genitura conſultoris, id eſt interrogantis ignorabitur, qua ignorata conuerſionis annuæ ratio haberi non poßit, ſtatum cœleſtis cõſtitutionis tempore lunaris cum Sole coitus, quæ interrogationem ipſam prægreſſa eſt, perquires, uidebisq; ſi quam ſciſcitationis dominator in aſcendente lunaris coitus prærogatiuam habuit, & iuxta regulam hanc pronunciabis. Quæri hoc in loco poteſt, cognita genitura, dimenſaq; anni natalitij reuolutione, ſit'ne cœli quoq; ſtatus tẽpore lunaris ſynodi, quæ ſciſcitationem ipſam anteceßit, inquirendus. Mihi quidem nullo pacto perperam ſuaſiſſe uidebitur, quiſquis utrunq; ſeruandum ſuaſerit. Nam ſi Ptolemæus ignorata ſciſcitantis hominis genitura, ad ſtatum lunaris coitus confugiendum cenſet, atq; ideo cenſet, quòd in ipſa lunaris coitus cõfiguratione magna quædã certitudo poſita eſt, incaſſum'ne ad annuæ conuerſionis prognoſticationem lunaris etiam coitus prognoſticatio addenda uidebitur? ex qua prognoſticorum ſeries euidentior fiat. Quocirca ut reſpondere mathematicus conſultius poßit, uires, poſiturã, qualitatem, cõditionem, prærogatiuas, naturasq; dominatorum ipſorum, ſiue plures, ſiue unus idemq; ſit: conueniant'ne inuicem, an aduerſentur: mœreant, an exultent: quo etiã aſpectu, & planetis à quibus aſpiciantur, quomodo etiam ferantur in cœlo, ſint'ne cardinales an ſuccendentes, declinantes'ue, aut pigris ac deiectis in locis poſiti: quibus etiam hoſpitatori-

bus utantur, quæq; alia inſpicienda ſunt diligentiſſimè conſiderabit. His q̃; ſimul mixtis ac temperatis, non temere ad ferendam ſententiam accedet. Vbi enim natalitiæ conuerſionis, lunaris q̃; cõiunctionis dominatores inui cem diſſenſerint, ac rei quæſitæ dominatoribus aut palàm aduerſabuntur, aut nullo amicitiæ iure ſociabuntur, nil cauſæ eſſe uideo cur ipſe debeat iuxta interrogationis ſignificatorem ſententiam ferre: quum hæc ex illis ue luti principijs atq; anteceßionibus deducantur. Quid enim affirmare, aut certi tradere poterit, ubi quæſtionis dominator neq; cum ipſo dominatore lunaris conſtitutionis, neq; cum annuæ conuerſionis dominatore commune aut conſentiens quicquam habuerit? neq; poteſtatem aliquam in conuerſione anni, aut in aſcendente lunaris coitus?

PTOLEMAEVS. LXV.

In minima cõiunctione, differẽtia mediæ cõiunctionis, & in media maximæ coniunctionis differentia.

PONTANVS.

Pleriq; hoc enunciatum referri uolunt ad Saturni & Iouis coniunctiones, de quibus tamen Ptolemæus ipſe nihil antè locutus eſt. Me uerò angit, quòd in Græcis codicibus uideo Solis ac Lunæ coniunctiones innui. ſiquidẽ coniunctio apud Ptolemæum ubique luminarium intelligitur, niſi additum ſit, quorum ea coniunctio fuerit, utputa Martis ac Mercurij, Iouis & Saturni, aut aliorum planetarum. Præterea quam Solis & Lunæ coniunctionem uocet maximam, quam mediam, quam item minimam, mihi non facile eſt intelligere. Quocirca tum ſenſus, tum uerba ipſa magnopere me addubitare faciunt propter obſcuritatem. Decreui igitur rem ipſam in medio, imò in incerto relinquere: quum ſit de ea etiã atq; etiam cogitandum. Ac nihilominus quid alij ſentiant, atq; in primis hoſpes ac familiaris meus Paulus Praßicius, ſacerdos Auerſanus, diſciplinæ huius, omniumq; bonarum artiũ maximè ſtudioſus, relinquere inexpreſſum nolui, idq; eſt huiuſmodi. Quòd triplex quum ſit Saturni Iouisq; cõiunctio, remotiſſima illa, quæ ſingulis noningenis annis contingit, maxima dicatur: quæ autẽ poſt ſingulos uigenos annos, ex quo coniuncti iam fuerint, minima. At quæ poſt ſingulos ferè ducenos ac quadragenos circuitus, quod inter minimã hanc, ac maximam remotiſſimamq; illam contingit, media, triplexq; hoc ipſum coniunctionis genus per gradus quaſi quoſdam, perinde ac per filios nepotesq; ſignificationes profert ſuas: atq; ita ſibi conſtat, ut quarũ rerum maxima coniunctio ſignificatrix fuit, earundem certius ac diſtinctius indicium faciat media: ab illa enim generali, et penè ob remotionẽ confuſa ſignificatione, mediæ cõiunctionis beneficio atq; indicatione (quòd ea quæ propius cernuntur diſtinctiora appareant) ad certiorẽ apertioremq; rerum illarum

illarum cognitionem, quæ à maxima coniunctione innuebãtur, progressio fit. Rursus etiam, quarum rerum significatrix est media coniunctio, earundem quoq; rerum certiorem ac manifestiorem indicationem affert coniunctio minima: siquidem ea quæ quamproxima sunt, singillatim distincteq; cernuntur, & tanquam digitis tractata particulatim numerantur: ut quũ remotissimo è loco uidemus quippiam nos uersum progredi, quod loco moueatur, quodq; incedat, iudicamus animal illud esse. Vbi autẽ proficiscendo propius factum est, equũ esse cognoscimus, aut asinum, aut bouem: pòst uerò ubi quamproximè ad nos accessit, etiam colorem illius, totumq; eius statum cognitum ac certum habemus. Itaq; minima coniunctio res nobis à maxima coniunctione per nebulam quasi quandam præsignatas, atq; à media indicatas, ante oculos ipsos uidetur exponere, expositasq; explicatim distincteq; notare: quod in genituris quoq; usuuenit, ut quæ generali quadam indicatione à natalitia cõfiguratione nati cuiusq; tã portenduntur, ea pòst ab anni conuersione expressius decernantur, quæ pòst etiã singulis mensibus à profectione signi cuiusq; singillatim, atq; (ut ita dixerim) minutatim declarantur. Quocirca si quæ à media indicantur cõiunctione uidebuntur aliqua in parte differre inter se, aut ab illis fortasse quæ à maxima portenduntur coniunctione, inspicienda statim ac diligenter sunt ea, quæ significantur à minima: quoniã quæ particulatim à minima significantur, ambiguitatem tibi omnem generalis illius indicationis eripient. Rursus si confusa ea quæ à maxima portenduntur coniunctione, ambiguũ te parte ex aliqua reddiderint, quòd fortasse uideas significationes illas differre inter se, mediam coniunctionẽ inspice: qua inspecta, nihil tibi ambiguũ relinquetur: uult enim Ptolemæus mathematicũ ea quæ prædicit futura, particulatim sic metiri, ut prima medijs, media ultimis undiq; consentiant.

PTOLEMAEVS. LXVI.

Sola profectione ne utare: sed etiam attributionibus & ademptionibus stellarum.

PONTANVS.

Dicere nunc de datore uitæ, deq; uitæ spatio, nec ad enunciati huius explicationem necessarium est, & res ipsa maioris est operæ, quàm ut hac in parte suscipienda sit. Qua quidẽ de re tametsi Ptolemæus in apotelesmatũ libris multa disseruit, tamen & obscurior illis explicandis fuit, et quædã minutius, ut ita dixerim, atq; enucleatius aperienda erant. Quibus in libris ostenditur, quæ loca sint aspicienda ad uitæ spatiũ percensendum, qui sit uitæ dator, qui etiã ademptor, quomodo etiã quærendæ sunt partes, ad quas ubi uitæ ademptor peruenerit, mortẽ, morti suæ periculũ afferat: quæ

quidem partes letales atque interimentes à nobis rectè dicuntur. Græcè sunt ἀναιρετικαί. Mathematicus igitur de nati uita morteq; prædicturus, uitæ ipsius tum datore, tum interemptore inuento, antequam pronunciet quot annos natus ille uicturus sit, quoniam singuli planetæ annos suos decernũt, exactè uidebit, addatur'ne uitali spatio, an dematur aliquid annis à datore uitæ promissis, ex bono maló ue aspectu, atq; ex collocatione benefici malefici ue planetæ. Quando autẽ obuentura mors sit, iudicabit ex planetæ mortem minitantis profectione ad cœli partem illam, quam letalem interimentemq; appellauimus. Ex numero etiam partium, hoc est graduum, annos computabit, secundum ascensiones signorũ ac tempora, quibus signũ quodq; oritur in climate ubi natus is est, de cuius morte pronunciaturus est. Tot enim futuri sunt anni, ut idem ait, quot fuerint partis cuiusq; horalia tempora: atq; ubi dies fuerit, tempora ipsa diurna erunt: ubi nox, nocturna. Futurusq; annorum ipsorum totus atq; integer numerus est, ubi planetæ in oriente collocati inueniẽtur: de quibus tamen demendum erit, iuxta portionem remotionis eorum, quousq; occidentẽ uersus in nihilum deuenerit: quandoquidem stella in occasu posita neq; addit, neq; demit. Quamobrem uolenti mortẽ alicuius ac mortis tempus prædicere, profectio planetæ letalem ad locũ obseruanda est: ea profectio, ut aliâs dixi, Græcè πρόπατος est: nunc, ut plurima in astrologia, ineptè, imò barbarè, abscisio dicitur, & planeta ille abscisor, & quod, ut dixi, tam ineptè atq; impropriè nunc dicitur, abscindere, Græcè est διέρχεσθαι: nos & proficisci, unde profectio ducta est, & permeare & percensere cõmodissimè dicimus: & πρόπατον ipsam tum profectionẽ permeationemq;, tum etiam recensionem: ipsum etiam planetam permeatorẽ recensoremq; non impropriè uocare possumus: siquidem proficiscendo recenset, id est dinumerat, cœli spatium omne quod interiectum est, dum in partem illa præfinitam perueniat. Iubet igitur Ptolemæus annis illis recensendis nõ modò attendendos esse annos à planeta promissos, atq; ab interiectis gradibus, cœliq; interuallo significatos, uerùm etiam felices infelicesq; beneuolarũ, maleuolarumq; stellarum aspectus. Boni nanq; bonarum stellarũ aspectus etiam addunt, malarũ malæ irradiationes auferũt, multumq; de promisso uitæ tempore subtrahunt. In primis etiam uidendum, detrimentá ne hæc euentura sint ex corporum stellarum ipsarum coniunctione, quæ rectè dici corporalis potest coniunctio, an quòd quadranguli aduersi'ue radij impingantur? quanquam & hexagoni nonnunquã radij obsunt, aliquando etiã trigoni, pro naturis signorũ, quæ multorum aut paucorum temporũ sunt. Quæ autem stellæ annos adijciant, quæ'ue adimant, Ptolemæus docuit, inquiens beneficas addere, maleficas auferre, mediæ naturæ Mercuriũ esse.

Quare

Quare non modò inspiciendum est, post quot annos profectio illa locum partemq; letalem contingat, sed ne medio interim tempore pernicioſa figuratio eueniat, quæ numerũ illum impleri nullo modo patiatur. Rursus felix ne felicium stellarum irradiatio configuratioq; sit annis illis quippiam adiectura. Hoc præceptum ad morborũ, cæterorumq; malorum tempora, quæ à cœlo portenduntur, si quis accõmodet, fortasse improbandus non fuerit. Si enim pernicioſa figuratio acceſſerit, malis illis fiet acceſsio: sin felix beneficaq;, malum id remittetur, eaq; remiſsio pro natura configurationis erit. Hoc igitur est quod ait, non sola profectione utendum, sed quid quisq; planeta uel addat, uel minuat, uidendum esse.

PTOLEMAEVS. LXVII.

Diminuuntur anni ob accipientis imbecillitatem.

PONTANVS.

Quum dixisset sola planetæ profectione letalem ad locũ utendum non esse, sed considerandum, an qui planeta uel addat quid, uel demat, rectè uerbum hoc subijcitur, quo docemur quid à nobis obseruandum sit, ut quando planeta de promiſsis annis adempturus est, intelligamus. Quoties, inquit, imbecillus planeta fuerit, quiq; uitæ dator est, ob imbecillitatem suam proprium implere munus nequibit, siue longius uitæ spatium, siue breuius, seu fortasse mediocre polliceri uideatur, annosq; illos, id est tẽpus promiſsum, non absoluet, sed tum annos, tum menses, diesq; pro qualitate imbecillitatis demet. Ipsa autem imbecillitas manat tum à malo planetæ statu, quum regreditur, aut declinat à cardine, aut deiectus languet, aut domicilio aduersatur suo, aut ab illo decidit, tum ab pernicioſa configuratione. Quocirca in recensendis uitæ annis, quũ uitæ ipsius datorem ob unã aliquam, aut plures ex ijs quas diximus causas, languere atque infeliciter sese habere mathematicus uiderit, ex tempore illo, quod largiri suapte natura posset, auferet annos, menses, diesq;, perinde ut imbecillitas ipsa maior aut minor fuerit. quot autẽ annos singuli planetæ conferant, quot ue pro natura imbecillitatis demant, hoc loco referre necesse non fuit. Siquidem Ptolemæus centum his præceptis magis instituit mathematicum, quomodo rectè prædicat, quàm quid prædicat. De acceſsione uerò annorum nullam fecit mentionem, ut arbitror, quòd eorum quæ contraria sunt ratio similis sit. Implebit enim numerum suum firmitas atq; potentia & felix planetæ status, si infirmitas, infelixq; eius habitus demit: adijcietq; annos, nedum confirmet tempus à uitæ datore promiſsum, felix beneficæ stellæ radiatio: contrà infirmabit imminuetq; hoſtilis infelicis stellæ aſpectus atque coniunctio.

PTOLEMAEVS. LXVIII.

Malefica quum matutina est, casum: uespertina uerò morbum significat.

PONTANVS.

Vitæ non solùm exitus, id est mors, mortisq; dies ac qualitas, à mathematico quæritur, uerùm etiã illa quæruntur quæ accidere corporibus solita sunt, siue ea uitia sunt, hoc est membri alicuius debilitas mutilatiõ ue, siue morbi aduersæq; ualetudines. quæ quidem mala quando ex infelici genituræ constitutione intelligi possunt, quũ nati alicuius uitam inspicimus, uim statumq; maleficarum stellarum, signa item ac loca quibus minantur, & unde etiam minantur, probè considerare debemus, uti & partem illam corporis, cui malum portenditur, & malum ipsum, cuius futuri sit generis, noscere possimus. Videbimus etiã, ab aliquo ne pernicioso aspectu maleficæ uires ad nocendum adiuuentur, sit ne malum propterea euenturũ, quòd malefica stella signum ac locum ipsum corpore insideat, an quòd ho stilibus radijs feriat: quæ singula inspicere nos oportet. Malum autẽ ipsum maius aut minus erit, quò plura paucioraq; ad nocendum coniurauerint: etenim ubi benefica stella opem attulerit, si bene in cœlo collocata fuerit, aut omnino prohibet malum atq; in melius refert, aut magna ex parte lenit. Sed utrum futurum sit damnum rei familiaris, iactura, calamitas, direptiõ ue, an febres, an quod aliud morbi genus, ex maleficæ obseruatione stellæ intelligi posse Ptolemæus docet, inquiens matutinam portendere uitia, pericula, calamitates, rixas: uespertinam morbos, aduersamq; ualetudinem. Vitium uoco perpetuum aliquod corporis malum, ut oculorum orbitatem, ut claudicationem, ut manuum mutilationem, ut alia huiusmodi. Quum dico morbum, intelligi uolo febres, lienteriam, ophthalmiam, iecinoris capitisq; mala, itẽ alia generis eiusdem. Inquit igitur, malefica quæ malum minatur, ubi matutina fuerit, decernit uulnera, impedimenta, contentiones, aut rerum iacturam familiariũ. Vbi uerò uespertina, languorẽ, aduersam ualetudinem. Qualis autem futura sit ualetudo, damnumq; illud ferrò ne an igne, aut ruina infligendum sit: atque ab hominé ne an à quadrupede, seu uenenosis à belluis inferendũ: accipiendumq; in corpore an in bonis externis, an in fratribus, amicis, cognatis, parentibus, maleficæ ipsius qualitas ac signi lociq; natura diligenter cognita indicabit. Cur autem maleficæ stellæ, ubi uespertinæ fuerint, morbum potius quàm uulnera, membrorumq; infelicem habitum decernant, illa uidetur esse causa, quòd uespertinæ non tantum uirium ad nocendum habeant: matutinæ autem, quòd uiribus utantur maioribus, deteriora mala inferunt, maximisq;

ac perpetuis

ac perpetuis incõmodis afficiunt. Matutinas dico ſtellas, quas Græci ἑῳθινὰς ἑῴους: *ueſpertinas, quas* ἑσπερίους *uocant.*

PTOLEMAEVS. LXIX.

Erit in uiſu nati uitium, quum Luna Soli aduerſa eſt, ac nebuloſis ſtellis cõiungitur. Item quũ Luna eſt in occiduo cardine, ambæq; maleficæ ſtellæ in cardine orienti, Sol quoq; cardinalis eſt, natus ipſe oculis capietur.

PONTANVS.

Quod præceßit enunciatum, generalem quandam uitiorum ualetudinumq; nati regulam demonſtrat: quæ ſequuntur enunciata, ſingularia uitia malaq; exponunt: et hoc quidem ad oculos ſolùm pertinet. Itaq; quum luminaria corporis noſtri oculis præſint, atq; ei ſenſui qui uiſus dicitur, in cuius genitura luminaria ipſa, hoc eſt Sol & Luna, ſibi aduerſabũtur, atq;, ut Græco uerbo utar, diametrabuntur, malus oculorum eius habitus indicatur: præſertim ſi hoc quoq; acceſſerit, ut Luna ſtellis fixis, quæ nebuloſæ ſunt, coniungatur: de quibus quidem nebuloſis ſtellis ſuprà ſatis dictũ eſt. Arguuntur enim ex hac nebuloſarum ſtellarum coniunctione, luminariumq; aduerſo aſpectu, oculorũ ualetudines, & uiſus ipſius caligatio, pernicioſiq; humores uiſum ipſum hebetantes: quandoquidem aduerſus luminarium aſpectus, quũ ſit ſuapte natura pernicioſus, oculis ipſis perniciẽ minatur: et fixæ illæ nebuloſæ quũ ſint, caliginẽ oculis tenebrasq; offundunt. Quocirca natus ille lippitudines, ophthalmias, ſuffuſionesq; oculorum patietur, aut alia oculorũ mala pro natura configurationis. Quòd ſi Luna in cardine occidentis cœli, Saturnus Marsq; in cardine cœli orientis inuenientur, Sole etiam in aliquo cardine conſtituto, natus ille oculis capietur. Quum enim luminaria ipſa in hac conſtitutione ſint cardinalia, & ambæ maleficæ cardinales, ac ſibi partim opponãtur, partim quadrangulentur, aut etiam coniungantur, propter maximas ſimul omniũ ad nocendum uires, neceſſe eſt oculorum ſequatur orbitas. Neque enim ſeruari incolumes oculi poterunt, tot ſimul oppugnantibus, id eſt cauſis ipſis, quæ primitiuæ ſunt, tantopere aduerſantibus. Cæcitas aũt ipſa quibus è rebus inferẽda ſit, an ab ignis afflatu, an ex uitioſis capitis humoribus, an ex ferro, planetæ ipſi pro natura tũ ſua, tum etiã ſigni, atq; ut quis potentior erit, indicabũt.

PTOLEMAEVS. LXX.

In furentibus Luna Mercurio nõ copulatur, neq; aſcendenti in dæmoniacis; in hac figura Satur

nus quidem noctu, Mars autẽ interdiu cardinẽ tenebit, maximeq; in Cancro, Virgine, ac Piscibus.

PONTANVS.

Furenteis hac in parte intelligi uolumus, quos in primo enunciato numine afflatos uocauimus: hi sunt qui furore concitati uaticinantur. In genitura, inquit, eius qui numine afflatus est, quem Græci dicũt ἐνθουσιαστικὸν, unde Sibylla Enthea dicta est, inuenies Lunam nulla prorsus cum Mercurio copulatione coniungi, nullo simul cognationis genere colligari. Simili etiam modo in genituris laruatorũ procerritorumq;, quos hodie Græco nomine dæmoniacos dicimus, inuenies Mercurium Lunamq;, nullam cum horoscopo copulationẽ habere, nullo ei uinculo iungi, nulla deniq; ratione horoscopum complecti. Quin etiam in genitura ipsa siue furentis, siue dæmoniaci, si nocturna fuerit, Saturnũ: sin diurna, Martem cardinalem inuenies, eritq; uterq; longè potentior ad furorem lymphationemq; excitandam, si tunc in Cancro, aut Virgine, aut Piscibus collocatus fuerit. Si enim, uti dictum est, rationi Mercurius præest, Luna corpori, quis cõsilio aut rationi esse in eo homine locus potest, in cuius genitura Luna Mercuriusq; nullo simul uinculo colligantur, nec horoscopũ, qui corpoream nati illius fabricam significat, ullo pacto complectuntur? imò quod perniciosius est, Saturnus noctu, quod tẽpus propriè Saturni cõditioni aduersum est, Mars interdiu, cuius stella nocte gaudet, cœli cardinem tenens, in corpore natæ eius pernicioſos & insaniam excitaturos humores ingenerat: quũ uterq; planeta alter atræ bili, alter rubræ præsit: & utraq; bilis, id est cholericus melancholicusq; humor, ubi uehementior fuerit, in insaniam uergat. Cur uerò in Cancro, Virgine, ac Piscibus magis quàm in alijs signis? an quia Mars Saturnusq; peßimè se habent in Cancro? in quo positus Mars altitudini suæ, Saturnus propriæ domui aduersetur: in Virgine, quòd illic constitutus Saturnus cadat ex Libra, in qua exultat: in Piscibus uerò Mars positus ex Ariete, id est ex domicilio suo decidat. An fortasse quòd quũ Luna Mercuriusq; nulla inter se nec cum horoscopo colligatione iungantur, hoc etiam Saturnus noctu, Mars interdiu, quando nocentiores sunt, ad malum utriusque habitum adiungant, ut Cancrum Lunæ, Virginem Mercurij domũ insidens magis ac magis infestet? quumq; in tam perniciosa configuratione necesse sit Iouem Veneremq; malè affici, ad malum etiam Iouis Veneris q; habitum hoc quoq; addant, ut Pisces corpore suo inficiant, Iouis domum, Veneris altitudinem, Cancrum item Iouis? An quòd in Cancro ac Piscibus humores plurimos excitent? quum lymphati maximè humidum cerebrum habeant: indè enim lymphati dicti mihi uidentur: in Virgine uerò

gine uerò bilem illam maximè exustam, cuius alumna uidetur insania. An potius dicendum erit, ab insita naturaliq; quadam potestate hoc fieri? idq; ita se habere obseruatio ipsa docuerit. Qui locus uti fieret aliquanto illustrior ac distinctior, placuit Ptolemæi ipsius uerba ex tertio apotelesmatũ libro afferre, quæ sunt hæc: Epileptici nanq; plerũq; sunt, qui Luna Mercurioq; nec aut inuicem colligatis, aut cum orientali finitore, Saturni quidem stellam interdiu, Martis uerò noctu cardinalem habent, quæ superiore è loco figuram despiciat. Quum uerò contrarium in his accidit, ut Saturnus noctu, Mars interdiu figuræ dominator sit, ac maximè in Cancro, Virgine, aut Piscibus, insani sunt. Vexatos à dæmonibus, qui humido capite sunt, maleficæ faciunt, quum ita se habentes Lunam Soli configuratã obtinebunt, Saturnus quidem in nouilunio, Mars in plenilunio, præsertim in Sagittario ac Piscibus. Solæ itaq; maleficæ stellæ, quo dictũ est modo, figuræ susciptentes dominatũ, & incurabiles & latentes, & quæ ostentui sint quas diximus passiones, et animæ morbos in ea parte quæ intelligit, faciũt. Quibus si beneficarum stellarum Iouis ac Veneris societas accesserit, atq; ipsæ quidem maleficæ occiduum cardinem tenuerint, beneficæ uerò orientalem, quæ ostentui sint, passiones faciunt: curabiles tamen medicorum remedijs, hoc est subductione & potione: & hoc propter Iouem: sortibus uerò ac deorum ope propter Venerem. At quum maleficæ in orientalibus cardinales fuerint, beneficæ in occiduis, morbos faciũt incurabiles pariter ac diuulgatissimos, maximeq; nobilitatos. Morbum autẽ comitialem consequuntur compressiones, clamores, pericula etiam letalia. Insaniam, mentis q; externationem motus incompositi, rerum familiarium dissipationes, corporum denudationes, execrationes, et alia huiusmodi. Lymphationem & humidi exagitationem consequuntur furiæ, numinum afflatus, uerberationes, quæq; huiusmodi ostentui sunt. Priuatim autem & continentiũ locorum figura confert. loca enim Solis ac Martis ad insaniam maximè conferunt, Iouis Mercurijq; ad morbũ comitialem, Veneris ad dæmonũ uexationes, Saturni Lunæq; ad humidi exagitationes ac lymphationes. Videamus quid de his quoq; Iulius Maternus dicat. Saturnus & Mars soli dis in signis positi, si diametra se radiatione respiciãt, aut unus in horoscopo sit, alter in occasu: aut unus in imo, alter in medio, epilepticos faciunt: si uerò in tropicis signis cõstituti hac se radiatione respexerint, caducos efficiunt, & qui nulla possint ratione sanari. Item si Mercurius in Virgine aut in Piscibus constitutus, in horoscopo sit partiliter positus, & eum Saturnus & Mars quadrata radiatione respiciant, insanos efficient. Si Mars & Saturnus ita sint collocati, ut unus ipsorum in medio cœlo sit, alter in imo, ex prauis humoribus uitiosam ægritudinem faciunt: sed si hos Mercurius

» quadrata radiatione respexerit, decorũ illis præsidio sanitas comparatur.
» Si uerò his in locis positi partili sint radiatione coniuncti, ut æquas partes
» possideant, insanos efficiunt, & qui nunquã possint ab his criminibus in-
» saniæ liberari. Si uerò in finibus suis sint positi, aut in Saturni finibus sit
» Mars, & in Martis finibus Saturnus, & sint in quibus diximus locis, in
» initijs insaniæ constituti liberantur, posteaquam Martis quintusdecimus
» annus, aut Saturni trigesimus cõpleti fuerint. Sed & quũ Iupiter, & Mars
» simili se radiatione respexerint, epilepticos faciunt. Si uerò sic, sicut dixi-
» mus positi, in suis partibus fuerint collocati, aut Iupiter in finibus Martis,
» & Mars in finibus Iouis, in initijs eius ualetudinis constituti liberantur.
» sed quando prima stellæ tempora transierint, id est aut Martis quintusde-
» cimus annus, aut Iouis duodecimus: si Iupiter in horoscopo fuerit inuen-
» tus, & Mars in diametro eius collocatus Solem & Lunam qualibat radia
» tione respiciat, aut insanos efficiet, aut lunaticos. Sed & si Luna aut syno-
» dica, aut plena in cardinibus posita Martem quadrata radiatione respexe-
» rit, et Saturnus ei per quadratum aut per diametrũ iungantur, eadem ui-
» tia decernuntur. Si in signo Saturni, uel in signo Martis horoscopus fuerit
» inuentus, aut certè locus fortunæ, Sol uerò in horoscopo sit partiliter con
» stitutus, & cum eo Mercurius æquis partium societatibus iunctus: Satur-
» nus uerò & Mars in septimo sint ab horoscopo positi, epilepticos faciunt,
» sed biothanatos. Si mars aut Saturnus in undecimo ab horoscopo loco fue-
» rit inuentus, aut si unus eorum in ipso sit loco positus, alter uerò cum Luna
» sit collocatus, aut eã quadrata radiatione respiciat, & Saturnus aut Mars
» Mercurio qualibet radiatione iungatur, facit insanos, epilepticos, biotha-
» natos. Sed hoc peius erit, si Mars in undecimo ab horoscopo loco fuerit
» inuentus, & Saturnus in sexto.

PTOLEMAEVS. LXXI.

In marium genituris quum utrunq; luminare in signis fuerit masculinis, actiones eorum secundum naturam erunt. In genituris uerò mulierum, actiones ipsæ intendent. Idem de Marte Venereq;. matutini nanq; masculescunt, uespertini fœminescũt.

PONTANVS.

Luminaria, id est Sol ac Luna, quum alterum corpori præsit, alterũ spiritui, quis dubitet quum in signis masculinis, quo tempore quis in lucẽ uenit, inueniuntur, id præstare atq; efficere, uti actiones eius masculinæ sint, hoc est, quæ marium naturam sequantur? quum & corpus & animam sic afficiant, ut is marem sese intelligens, quæ maris sunt, prestare atq; exer-

cere

cere cõtendat. Quòd si quæ nascitur fœmina fuerit, quũ eius animũ supra muliebrem naturam efferat masculina hæc luminarium uis: nimirum in agendo maribus quàm fœminis similior futura est. Mars item Venusq; matutini in maris fœminæq; genitura inuenti, hoc idem præstant: contrà uespertini & marem, & fœminam molliorem reddunt. Eadem luminaria in signis fœmininis inuenta uiri animũ muliebrem reddunt, qualem scilicet esse mulieris decet. De Marte ac Venere dixit, quòd Mars præsit iræ, Venus cupiditati: sintq; morum datores de luminaribus, quòd Sol uitæ, Luna corpori præsit: utrunq; autem luminare simul animato corpori quod animal constituit. Non ab re erit quid hac de re idem autor in tertio apote
» lesmatũ libro tradat, referre, cuius uerba sunt hæc: Quum sola lumina-
» ria in masculinis fuerint signis, mares secundum naturam, fœminæ contra
» naturam in exercendo masculi animi opere uehementiores erunt. Quum
» autem Martis ac Veneris stella, siue ipsarum altera, siue utraq; masculina
» fuerit, mares ipsi naturalem in Venerem procliuiores futuri sunt, adulteri,
» scortatores, turpis atq; illegitimæ Veneris rebus semper dediti. Mulieres
» præter sexus sui naturam coibunt, eruntq; lasciuæ, procacibus oculis, triba
» des, quæ puellas ad turpẽ coitum solicitent: clàm quidem & in occulto, ubi
» sola Veneris stella: palàm uerò, quũ solus Mars in signo masculino fuerit:
» ut etiam nonnunquam perinde ac legitimis cum uxoribus rem agere sese
» ostendant. Rursus quum luminaria ipsa sola in fœmininis cõstituentur si-
» gnis, fœminæ mollitie ac muliebritate animi, quanquã secundum naturæ le
» ges, mares aduersus naturã ipsam mirũ in modũ excedent. Veneris stella
» quũ fœminina fuerit, mulieres erunt in libidinẽ pronæ, adulteræ, quæq; na
» turaliter subigi gestiant & semper, & à quibuscunq;, ut quæ à nullo, quan
» quã turpi atq; illegitimo coitu abstineant. Mares ipsi molles, naturalemq;
» ad Venerem incensi: passuri etiam quæ fœminarum sunt: clàm tamen &
» cautè. Iidem quum stella Martis fœminina fuerit, utroque libidinis genere
» absq; rubore ullo, fœdè confidenterq; laborabunt, exercentes quæ fornicis
» sunt, ac promiscuæ maximeq; opprobriosæ & infamis Veneris speciem,
» eousque inquinati, ut inde infames habeantur, ac maledictis notentur.
» Quin etiam orientales matutinæque Veneris ac Martis figurationes, ad
» agendum quod marium est uehementius apertiúsque impellunt: occiduæ
» ac uespertinæ, magis magisq; molliunt & ad patiendum inuitant. Simili
» etiam ratione Saturni stella constituta, ut libidinosius, impurius, oppro-
» briosiusq; exerceat, utroque (ut dictum est) modo adiuuat. At Iouis stella
» ut pudentius, modestius atq; cautius agat: Mercurius uerò ut publicè ma-
» gis, atq; cum affectuum horum maiore excitatione atque attentione, pluri
» ribusque etiam modis. Quoniam autem de corporis animíque tum

uitijs, tum morbis aliquot superioribus enunciatis præcepta tradidit, estq; inferius de uiolentis mortibus traditurus, rectè quod sequitur enunciatiũ interposuit, quod quidem ad educationem nati, atq; ad ea quæ ad uitam faciunt cognoscendam pertineret.

PTOLEMAEVS. LXXII.

Quæ sunt educationis, à dominis triangularitatis ascendentis capito: Quæ uitæ, à dominis triangularitatis luminaris conditionarij.

PONTANVS.

In libris apotelesmatum abundè multa dicuntur à Ptolemæo, quæ obseruãda sunt uolenti nati uitia ægritudines q; cognoscere, aliaq; item permulta, quæ inter uiuendum obuenire solent mala. Iisdem etiam libris præcepta continentur, quibus obseruandis cognoscatur, an qui natus est, educationis tempus impleturus sit. Educationem nutritionemq; intelligi uolumus eam, quæ Græcè est ἀναθρεφή. hoc uerò loco tantum instituimur, unde, & planetis à quibus capere significationem debeamus tam eorum quæ ad nutritionem, quàm quæ ad uniuersam uitam à stellis decretã pertinent. Si uis, inquit, probè ac distinctè scire, quæ ad nati educationem pertinent, hoc est, an illi sit à cœlo concessum ut crescat, quæq; si creuerit in illo enutriendo à primulis statim annis euentura sint, inquirendi tibi sunt domini triangularitatis signi quod ascendit in genitura, uidendumq; quomodo sint in cœlo collocati, & quibus à stellis irradiẽtur: bene enim collocati, feliciterq; irradiati, educationẽ, & quidem bonam, pollicentur: secus uerò aut educationem difficilem, aut ante annũ, postq; paucos menses uitæ exitum decernũt. Quam rem collocatio ipsa naturæq; dominorum ipsorum, illosq; aspicientium planetarũ, aut unà coniunctorũ, significabunt. Quum autem domini triangularitatis cuiusque duo sint, accedátque tertius quidam dominatus ipsius particeps, diligenter tum nocturnus, tum diurnus dominus, ac tertius ille particeps inspiciendus est: & ubi diurna genitura fuerit, diurnus: ubi nocturna, nocturnus dominus primo loco considerabitur: quibus consideratis, iuxta ipsorum collocationem configurationemq; pronunciabis. Quòd si nato illi stellæ ipsæ integram salubremq; educationem, primaq; infantiæ tempora promiserint, uti exactè pronunciare possis quæ ad reliquam illius uitam pertinent, dominos triangularitatis luminaris conditionarij diligentissimè uti contempleris oportet. Luminare conditionarium dicimus illud, quod temporis conditionem sequitur: siquidem quum genitura nocturna est, quoniam Luna nocturnũ luminare est, domini triangularitatis signi per quod Luna fertur, aspiciendi sunt: quum diurna,

quòd

quòd Sol diurnum est luminare, domini triangularitatis eius, cuius est signum quod tunc Sol peragrat, uidendi sunt, & iuxta illorum naturas, collocationem, configurationemq; pronunciandum. Quam Græci ἄιρεσιν uocant, nos Iuliũ Maternũ secuti, conditionẽ dicimus: atq; ut illi αἱρετικὸν πλανῆτα ab hæresi, sic nos à conditione conditionarium uocamus, quòd sit eiusdem conditionis seu diurnæ, seu nocturnæ. Quocirca si diurna genitura fuerit, & Sol in Tauro sit inuentus, domini taurinæ triplicitatis inspiciantur, & primo, ut dictum est, loco diurnus propter eandem conditionem. Quam nunc triangularitatem, alibi etiam triangulum dicimus, Græci τρίγωνον dicunt: recentiores quidam è nostris triplicitatem, propter trium signorum connexionem, quem nos dominum triangularitatis, Græci uno uerbo τριγωνικράτωρα dixere: nec nos fortasse inconcinnè triangulatorem diceremus. Iubemur autem quæ sunt educationis à triangulatore ascendentis quærere: quòd quum ascendens principiũ uitæ nostræ sit, iure principium educationis ad triangularitatis eius dominos spectet. Quæ uerò ad totã uitã, si longior conferatur, pertinẽt, à triangulatoribus signorum, per quæ Sol ac Luna feruntur, quærere docemur, quum uterq; planeta uitæ hominũ præcipuè dominetur. Siquidem Solem uitalis potentiæ, Lunam naturalis fontem esse constat.

PTOLEMAEVS. LXXIII.

Sol ubi repertus fuerit cũ capite Gorgonis, si neque aspicitur à benefica stella, neq; benefica octauo loco præest, dominusq; cõditionarij luminaris Marti opponitur, aut eum è quadrangulo percutit, ei qui natus est, caput truncabitur. Quòd si luminare culminabit, corpus eius sauciabitur. Sin copulatio à Geminis, aut à Piscibus fuerit, manus ac pedes eius amputabuntur.

PONTANVS.

Sequuntur de mortibus uiolentis obseruationes quædã, & primo quidem loco de Gorgonis capite. Hoc cœli signum, quod fabulosè caput Gorgonis uocatum est à Græcis, à Babylonijs Algol, infelix & perniciosum est: uideturq; fabula illa qua fertur, Medusæ caput gladio abscisum à Perseo, nõ ab re signo hinc fuisse accõmodata, quòd qui nascens Solem unà cum eo sydere habuerit, securi percutiendus sit, ni beneficæ stellæ obstiterint, quæ aut octauum locum, qui mortis est, corpore suo tueantur, aut malignam Solis ac Gorgonei capitis copulationẽ felici aspectu leniant. Hæc.

tam infelix mors tunc futura decernitur, quũ ad Solis cum capite Gorgoneo copulationem illud etiam accesserit, ut dominus signi, in quo luminare conditionarium inuentum est, Martem hostiliter aspiciat, neutra benefica Solem aspiciente, aut mortis locum tuente. Copulationẽ dicimus eam, quæ Græcè est συναφὴ: recusamus autẽ dicere coniunctionẽ, ne quis solam coniunctionẽ intelligeret, quæ corporalis est: nomine enim copulationis intelligi uolumus aspectus quoscunque. Nec me fallit, codices nonnullos, eosq; præsertim qui è Chaldæorũ lingua traducti sunt, nõ de Sole, sed de Marte dicere, hoc est, ut Mars cum Gorgonis capite reperiatur. Quod cur probem, efficit primùm quòd Mars & Saturnus sunt uiolentarum mortium autores: deinde quòd Ptolemæus ipse in quarto apotelesmatum inquit:

» si stella Mercurij Marti configurabitur, à piratis aut latronibus grassatoribúsue dilacerari facit in signis etiam mutilatorum membrorum atque
» imperfectis, siue iuxta Persei stellas, quæ sunt capitis Gorgonei, aut caput
» eius abscindet, aut membra mutilabit. In hac etiam genitali cõfiguratione
» si luminare culminauerit, id est medij cœli culmen tenuerit, nati eius cor-
» pus sauciabitur, multis q; uulneribus afficietur. Quum luminare tantum dicat, nec Solem aut Lunã exprimat, dubitari potest de utro sentiat, quum ante conditionarium luminare dixerit, utrunq; complectens, & genitura ipsa tum diurna, tum nocturna esse posit. Sol & Luna quum mediũ in natiuitate cœlum posident, iuxta Ptolemæi sententiã efficiuntur Græco nomine, ἀφητάς, Babylonico ileges: nostro, id est Latino nomine, radiorũ emissores, seu iaculatores, aut etiam proiectores. Quocirca quũ medium cœli utrumuis ipsorum luminariũ occupauerit, siue Sol fuerit, siue Luna, efficitur ilegis, hoc est emissor. Quodq; ascendẽs è summo mundi loco quadrangulariter ferit, uidetur nati corpus, cuius fabrica atq; compactio, uita etiam ipsa ab ascendente præcipuè significatur, miserabiliter afficere. Sed esto ut Sol hoc efficiat, an Luna etiam hoc idem præstabit? quũ uideri possit ex uitiosis potius humoribus, aut ex suffocatione mortẽ allatura. mihi quidem uidetur tam de Luna, quàm de Sole intelligi debere: siquidẽ hoc idem Lunam quoq; præstare, in eodem apotelesmatum libro, quum de mortis
» qualitate loqueretur, Ptolemæus docet, cuius uerba sunt hæc. Violentæ
» atque insignes mortes decernuntur, quum ambo malefici planetæ in locis
» letalibus, hoc est interimentibus dominantur, aut coniuncti, aut in qua-
» drangularibus oppositis ue locis collocati, aut quum alter ipsorum, aut
» uterque Solem Lunam'ue, aut utrunque luminare affliget. Et mortis qui-
» dem iniquitas ab utriusque conuentione statuetur, magnitudo autem à lu-
» minarium testificatione: qualitas uerò ab aliorum planetarum aspectu, &
» à signis maleficos in se planetas habentibus. & paulò pòst. Mars autem quum

„ tem quum Soli Lunæue præter conditionem aut è diametro, aut è qua-
„ drangulo aduersabitur, in humanis quidem signis constitutus, in ciuilibus
„ seditionibus, aut in prælijs facit interfici. Vides mortis uiolentiam male-
ficis à stellis afferri, magnitudinem uerò à Solis Lunæq; aspectu. Sextum
quoq; ac septuagesimũ enunciatum, in quo de mortibus Saturninis fit men
tio, quum utrunque luminare complectatur, hoc ipsum confirmare uide-
tur. Quia uerò signa etiam ipsa qualitatem mortis decernant, ut paulò
antè dictum est, rectè subditur, hominis eius pedes manusq; præcidendas,
in cuius genitura ad ea quæ scripta sunt illud accesserit, ut Martis copu-
latio, id est oppositus aut quadrangularis eius aspectus, ad quadrangula-
torem, id est dominum signi conditionarij luminaris à Geminis, aut Pi-
scibus proficiscatur: quum Geminorum signum manibus, Piscium humani
corporis pedibus præsit. Atque ut ad Martem Solemq; cum capite Gor
gonis inuentum redeamus, siue de Sole intelligendum sit, ut Græci codi-
ces, illi quidem quos ipsi uidimus, habent: siue de Marte, quemadmodum
Ptolemæus ipse alibi tradit, & suprà ostendimus, certè sic sentiendum est,
eam mortis uiolentiam, & ut ita dixerim, carnificinã à Marte inferri, nõ
à Sole: quando, ut dictum est, Mars Saturnusq; uiolentarum ac truculen-
tarum mortium autores perhibentur. Quod autem aliàs monuimus, nunc
quoque monemus, omnia diligentissimè pensitanda esse, quum fieri possit
ut benefica aspiciat, ac nihilominus imbecilla sit ac malè collocata: contrà
ut Mars ipse sit in finibus beneficæ stellæ positus, ac benefica ipsa potens
sit, felicitérque constituta: quæ res de Martis iniquitate plurimùm detra-
het: benefica enim integras uires retinens, benefaciendi naturam retinet,
ac sua iura, suosq; fines strenuè tuetur.

PTOLEMAEVS. LXXIIII.

Quicunq; Martem ascendentem habet, omnino cicatricem in facie habebit.

PONTANVS.

Martis stella quũ malefica sit, ac uulnerũ illatrix, ascendens uerò quũ
sit prima natalitiæ figuræ pars, atq; idcirco primã hominis partẽ, id est fa
ciem, significet, eiq; præsit, pro natura sua, proq; ascendentis significatio-
ne, si partiliter in horoscopo inuẽta fuerit, hoc est in primis exoriẽtis signi
partibus, faciẽ hominis eius, cuius ea genitura fuerit, uulnere fœdabit, et ci
catricosam reddet. Nõ me præterit, in Græcis quibusdã codicibus scriptũ
etiam hoc esse, præterquã si Mars signi dominus fuerit: quod siue additum

fuerit, siue ita Ptolemæus scriptum reliquerit, ratione non caret: siquidem Mars domum suam tueri dicitur, quam quum tueatur, nõ fœdabit os eius, in cuius genitura in Ariete horoscopabit. Quod quidem ab ijs quæ in sequenti enunciato dicuntur, planè confirmari uidetur.

PTOLEMAEVS. LXXV.

Quum Sol ascendentis domino coniungitur in Leone, nec Mars aliquam in ascendente prærogatiuã habet, nec benefica in octauo loco est, qui natus est exuretur.

PONTANVS.

Quibusdam in codicibus non Sol, sed Mars legitur: quod magis probo propter præpositas rationes: neq; ratione hoc caret: uidetur enim Martis rabies Leonis feruore magis magisq; accensa nõ ad ferrũ ac uulnera, sed ad ignẽ incendiaq; se conuertere. Quũ Leo maximè igneum signũ sit, ac Mars in eo collocatus mirũ in modum incendatur, atq; ob ardorẽ acerrimè sæuiat. Sed ad Solem redeamus: hic in Leone, in domo sua, atq; in flagrantißimo cœli signo positus, si ascendentis signi dominum secum coniunctum habuerit, eum sic radijs suis comburet, ut nati corpus urendum portendat. Nam quum ascendentis signi dominus uratur, nati quoq; corpus urendum significat, nisi in octauo loco benefica, ut dictum est, fuerit collocata. Mars etiam ipse si dominus ascendentis fuerit, aut in ipso ascendente prærogatiuam habuerit, quum iura rationesq; suas tueatur, ne comburatur prohibebit. Sed utrum casu aliquo, an prætoris sententia natus ille cõburendus sit, aliorũ etiam planetarũ aspectus indicabit. Hæc enim omnia exactißimè considerandа sunt.

PTOLEMAEVS. LXXVI.

Quum Saturnus cœli mediũ tenet, opponiturq; ei conditionarium luminare, ac terrenum signũ est in imo, qui natus est ædificiorum ruina interibit. Quòd si humidum signũ est, aquis suffocabitur. Si uerò humanum, ab hominibus strangulabitur, aut laqueo flagellis ue peribit. Verùm si benefica octauo in loco est, propior his erit, nõ tamen morietur.

PONTANVS.

Hoc siue præceptum, siue obseruatio, ad uiolentam quoq; mortem pertinet, atque ad eos qui βιοθάνατοι, ut Græci dicunt, moriuntur. Vt autẽ mors ex ferro ad Martem refertur, sic mors ex ruinis, naufragijsq; ad Saturnum

turnũ referenda est, pro signi tamen qualitate. Post Martialeis igitur mortes, quum uiolentarum mortium Mars Saturnusq; autores sint, consequenter Saturninæ subijciuntur. Qui, inquit, nascitur Saturno cœli medium tenente, luminari conditionario è diametro illum percutiente, ædificiorum ruinis obrutus interibit. si in imo, id est in cardine cœli subterraneo, signũ aridæ qualitatis, & ut hodie dicunt, terrenum constitutum fuerit. Quòd si aqueum, hoc est humidæ naturæ fuerit, aquis submersus extinguetur. At ubi signum id humanum fuerit, hominum manibus occidetur: aut enim manibus laqueó ue strangulabitur, aut flagris ac uerberibus ad necem cæsus interibit. Quòd si benefica stella in octauo loco bene collocata fuerit, natus hic licet uerberibus cæsus, licet ruinis obrutus, ac fluctibus iactatus, licet collo laqueũ acceperit, non tamen morietur, beneficæ stellæ præsidio tutus, atq; abijs periculis liberatus, quæ stella primò mortis locũ præsentia sua tuetur, deinde imum cœlum triangularibus, medium sexangularibus, hoc est amicis radijs aspicit: quibus è rebus fit, ut si periculũ prohiberi nequit, mors tamen ipsa prohibeatur. Illud prætereundum non est, luminare diurnum, id est Solem, non posse iuxta conditionem suam diurno tempore in diurna genitura opponi, Saturno in cœli medio collocato: nisi cœli medium etiam pro imo cœlo ponatur, ut fit cœli medium tum superius, tum inferius. Qua ratione atq; uia Sol in diurna genitura in superioris cœli medio collocatus ex opposito loco Saturno aduersabitur, in medio inferiori, atque in aduersa cœli parte constituto. aliter enim luminare conditionarium, id est Sol, in diurna genitura, Saturno cœli mediũ tenenti opponi non potest: ac tametsi μεσουράνια plerunq; pro superioris cœli medio Græcè accipitur, tamen etiam pro imo, id est inferioris cœli medio aliquando capitur: μεσουράνια (ut uerbum uerbo reddamus) est cœli medium Latinè, siue cœli culmen. Et Græci quidem à uoce hac uerbum etiam formant μεσουρανεῖ, quod significat, cœli mediũ tenet. Nos uerò, quum structuræ uerborum huiusmodi parũ aptè in lingua cadant Latina, à uoce simplici, hoc est à culmine deduximus culminare, sicuti à fulmine ductum est fulminare, & à nomine nominare: ut sit culminare, culmen tenere, id est in cœli medio constitutum esse. Num autẽ benefica stella prohibere quod dictum est possit, uidendum est etiam atq; etiam: multa enim sunt quæ stellam ipsam imbecillam & minus potentem reddere soleant.

PTOLEMAEVS. LXXVII.

Ascendentis profectionem pro ijs quæ corporis sunt facito, partis fortunæ pro ijs quæ sunt externa, Lunæ pro corporis animæq; connexione, medium

cœli pro actionibus. PONTANVS.

In prædicendis ijs quæ inter uiuendum homini euentura sunt, primùm consideranda est ualetudo, sanitas, & quæ tum mala, tũ bona corpori accidunt: deinde ea quæ ad rem familiarem atq; ad diuitias pertinent, hoc est bona maláque externa, quæ fortunæ dicuntur. post ea quæ ad corpus animamq; simul pertinent, hoc est, quales affectiones habiturus homo sit, quũ contingat nunc dolore, nunc uoluptate, nunc tristitia, nunc gaudio, & aliter atque aliter pro tempore ipsum affici: hos affectus ac passiones Aristoteles non animæ, sed hominis potius, qui ex anima constat & corpore, iure putat esse. cui sententiæ Ptolemæus accedens ait, hæc ad corporis animæq; coniunctionem spectare, id est ad tertium quod ex ea cõiunctione constituitur. Deinceps considerandæ sunt hominis ipsius actiones, et ea quæ exercitaturus atque administraturus est in uita. Quæ omnia ut distinctè atque expressè intelligi possint, hæc à Ptolemæo seruãda traduntur. Ac primùm quidem, ut bona malá ue corpori obuentura facilius cernantur, ascendentis gradus profectionem faciendam iubet, per quam inspecta prius genitura, ad cognitionem eorum quæ corpori accident, & quo etiã tempore accident, peruenietur. Progressio enim gradus eiusdem ad loca perniciosa & aduersa, occursusq; atq; obuiationes maleficorum ac nocentium planetarum indicant morbos, ægritudines, quæq; alia mala corpori accidunt. Nec te illud moueat, quòd planetarum apheticorum, id est ilegialium, proijcientiumq; profectiones, grauissimos morbos, mortem denique obnunciare habeant. Leuiora enim mala, morbiq; remissiores, quæq; aliæ passiones corpori clementius accidunt, etiam ab ascendente significantur. Siquidem minores etiam magistratus ex parte aliqua exercere solent iurisditionem, quam etiã maiores magistratus exercent: licet iudiciorũ ac rerum summa penes maiores magistratus sit, quorum est de uniuersa quoque republica statuere, ac pro arbitrio de rerũ summa decernere. Deinde quid seu prosperi, seu aduersi externis in rebus euenturum sit, quò apertius intelligatur, profectionem gradus partis fortunæ, id est loci in quo genituræ tempore pars fortunæ inuenta est, obseruandam docet. cuius accessus ad loca felicia infeliciá ue, occursus quoque fauentium aut nocentium planetarum, rerum familiarium acceßionem iacturam'ue, externorumq; bonorum felicitatem aut infelicitatem indicabit. Tertio loco profectionem gradus Lunæ, quo genituræ tempore ferebatur, inspiciendam monet: ex cuius progressione, atq; ex maleficorũ beneficorum'ue planetarum occursibus atq; aspectibus indicentur luctus, mœrores, iræ, tristes cogitationes, curæq; grauissimæ: aut uiuendi hilaritas, gaudia, uoluptates, animi tranquillitas, ac securæ mentis cogitationes. Quarto loco, ut de actionibus atq; administrationibus

stratibus certa ferri posset sententia, profectionē gradus culminantis, id est cœli medij, genituræ tempore inspiciendam præcipit, ut ex eius qualitate, ac planetarum naturis quales actiones futuræ sint, coniecturam capere possimus. Huiusmodi enim profectio nobis significabit, an qui magistratus fungendi, dignitatesq; consequendæ hoc uel illo anno sint, an potius repulsa ferenda, deponendusq; magistratus ante gestus, quæq; alia sunt generis eiusdem. Quoniam autē quatuor hæc loca præcipuè in hominum genituris obseruanda sunt, ascendens, cœli medium, pars fortunæ, ac Lunæ locus, idcirco Ptolemæus horū profectiones inspiciendas suadet: siquidem ex ijs profectionibus pronūciari poterit quicquid obuenturū sit in corpore sanitatis uel ægritudinis, in re familiari prosperi uel aduersi, in passionibus iucundi uel acerbi, in administrationibus ac dignitatibus honoris uel inhonorationis atq; infamiæ. Hæc enim maximè sunt in uita cōsideranda: quippe quum in ijs uita hominū præcipuè uersetur. In libris è Babylonico translatis uideo de Solis etiā loco fieri mentionē, quam in Græcis uolumi nibus nullam esse intelligo. Neq; hoc tantū loco, sed cōpluribus etiā locis Babylonij mathematici ad Ptolemæi dicta nō pauca addidere, quod translationes ipsæ, quæ nunc habētur, cum Græco exēplari collatæ docent. Sed, ut dixi, quatuor illa in hominū uita præcipuè considerandā sunt. Ex loco autē Solis indicari uolunt domini uoluntatē erga hominē ipsum, cuius natiuitas inspicitur, hoc est, sit'ne à domino beneficijs, an maleficijs afficiendus. Quòd si ulteriora libet quærere, cur nō etiam facienda erit profectio partis filiorū, partis amicorum atq; inimicorū, partis uoluptatū, & aliarum quæ in uita & genituris hominū considerantur? Sed, ut dixi, quatuor illa ut uitæ principalia inspicienda traduntur à Ptolemæo.

PTOLEMAEVS. LXXVIII.

Exercet sæpe uires stella quo in loco nullas habet uires, lucrum inexpectatum nato afferens.

PONTANVS.

Iulius Maternus, singularis uir disciplinæ, obscuram & maximè utilem uiam & cognoscendis, et pronunciandis cœlestibus decretis aperuit, quū antisciorum, dodecatemoriorumq; scientiam nobis aperuit, quam Ptolemæum arte quadam celasse ipse autor est: de quorū cognitione & usu hæc tradit. Si quæ itaq; stellæ in ordinanda genitura se non uiderint, quærendum est, an sibi per antiscium sociata radiatione iungantur. Quum enim antiscium sic emiserint, ut trigonica per antiscium uel quadrata, uel diametra, uel hexagona radiatione iungantur, sic stellæ ipsæ decernunt, ac si sint simplici ordinatione constitutæ. quod quū inspexeris, omnia quæ in fatis

hominũ quæruntur facilè poteris inuenire. Dodecatemorijs quoq; tantam fidem adhibendam censet, ut Aegyptios dicat ad explicanda stellarũ decreta ijs potißimum usos: quippe qui existimarent ex dodecatemorijs omnem uitæ substantiã inueniri posse: quorũ ratio sic traditur, ut inuento gradu, in quo planeta collocatus est, eum gradum duodecies ducas, summamq; inde constitutam, ab eo signo in quo planeta positus est, incipiens, per sequentia signa distribuas. In quo enim gradu summa ipsa desinet, ille ipse gradus dodecatemorij locus erit. quo loco inuento, è cuius planetæ finibus gradus ille sit, cuius etiam decuria à quibus planetis aspiciatur, & finiũ dominus quomodo sit collocatus uidebis. Etenim si dodecatemorion Lunæ, præsertim crescentis, in finibus Martis inuentum fuerit, malum portendit, quod nocens Martis uis afferat. Huius supputationis non aliud exemplum afferemus, quàm quod ab Materno ipso allatum est. Esto Sol in Arietis parte quinta, et minutis quinq;, ipsæ quinq; partes duodecies multiplicatæ sexaginta partes constituunt. Simili ratione ex quinq; minutis sexaginta cõstituuntur minuta, quæ partem unam, id est gradum unũ implent. uniuersa hæc summa constituit gradum unum & sexaginta, quos sic distribues, ut ab Arietis principio incipiẽs, cui triginta gradus tribues, moxq; per Taurũ progrediens reliquos triginta gradus Tauro annumeres, unus ille reliquus dodecatemorij locum ostendit, isq; Geminorum primus gradus erit: qui gradus quum sit è Mercurij finibus, si à Mercurio ipso hexagona irradiatione aspiciatur, id efficiet, ut uideri possit sexangulari aspectu Sol Mercurio iunctus esse: ex qua copulatione ea significabuntur quæ significari solent, quum planetæ sexangulariter se aspiciunt. Quin etiam ut Mercurius ipse locum eum non aspiciat, tamen ratione finium societas & familiaritas quædam inter eos intercedit. ex quo fit ut si tunc Sol bene collocatus fuerit, & locus ille bene illustratus, ex eo gradu bonum aliquod ob Solem offeratur, insperatum quidem, quando nullo id aspectu portendebatur. Ac licet Aries Geminiq; hexagona radiatione coniuncti sint, tamen etiamsi nulla se radiatione aspicerent, bonum illud dodecatemorij ratione futurum esset. Mars in aduerso genituræ loco positus, etiã ex loco dodecatemorij minitatur. nanq; ut feliciter collocati planetæ bonũ, sic infeliciter cõstituti malum portendunt è dodecatemorij gardu, quod & augetur & minuitur pro qualitate irradiationis. Multùm in utranq; partẽ conferet finium dominus, in quibus dodecatemorium reperitur, quum uel bene, uel malè in figura genituræ constitutus est. Nomen ipsum dodecatemorion ductum est ab eo quod est Græcè δώδεκα, id est duodecim, & μόριον, quòd pars una duodecies supputetur. Latinè uno tantum è duobus compacto nomine parũ commodè exprimi potest. Quocirca fortasse non in-

non insignificanter à nobis duodenaria uocabitur. ac de dodecatemorijs hactenus. Antiſciorũ ratio & difficilior & occultior eſt, eaq; è graduum æqualitate proficiſcitur. Conſtituamus hinc Cancrum, hinc Geminos: prima pars Geminorum in uigeſimamnonam Cancri partem mittit antiſciũ, ſecunda in uigeſimamoctauã, & ſic deinceps. Rurſum Cancri pars prima mittit antiſcium in uigeſimamnonam Geminorum partem, ſecunda in uigeſimam octauam, & deinceps eodem ordine. quod uiciſſim etiam faciunt Taurus ac Leo, Virgo & Aries, Libra & Piſces, Scorpius & Aquarius, Sagittarius & Capricornus. Idem etiam uſuueniet, ſi ab his ultimis Sagittario & Capricorno incipies, & in Cancrum Geminosq; ordine contrario regrediare. Planeta igitur in primo Geminorum gradu inuentus, magnam ſibi in uigeſimonono Cancri gradu prærogatiuã uendicat, propter antiſcij autoritatem: & quamuis gradum illum non aſpiciat, tamen aliquando pro natura figurationis ac qualitatis ſuæ non expectatum ex eo loco bonum aut malum afferet: quod graduum æqualitas præſtat propter ſuam ipſorum affinitatem. Siquidem Solis Lunæq;, et planetarum cæterorum eadem eſt ſuper terras mora, quum in alterutro graduum horum fuerit. Par enim dies eſt, Sole peragrante primũ gradum Geminorum, ei diei qui eſt Sole uigeſimamnonam Cancri partem tenente. Idem nanq; interuallum ab æſtiui ſolſtitij atque utriuſq; æquinoctij punctis ad hos gradus inuenitur. nec alia diuerſitas eſt, niſi quòd dies primi Geminorum gradus etiam creſcit, contrà uigeſiminoni gradus Cancri dies decreſcit. Pari tamen portione & planeta in primo gradu Geminorũ conſtitutus ad ſolſtitiũ accedit: at uigeſimonono Cancri poſitus, à ſolſtitio recedit pari etiã interuallo. Hæc æqualitas & cognatio graduum ipſos ſimul iungit, & quaſi quodam affinitatis uinculo obligat. ex quo fit ut planeta in horum altero poſitus, alteri amicus efficiatur. Nam et hoſpes in domo noſtra acceptus hoſpitij iure, etiam cognatis noſtris domeſticus efficitur. Hæc ratio multos planetarum effectus ſignificationesq; ab aſpectibus non indicatas patefacit: quod ipſe etiam expertus affirmauerim. Habuit aliquis quum naſcitur in cœli medio Virginẽ, Iouem in Ariete. Iupiter itaq; ex Ariete in Virginem antiſcium mittens occulto hoc præſidio natum ad magiſtratus adipiſcendos adiuuat. Interturbabit autem Iouis præſidium & magiſtratus adminiſtrationem Mars, antiſcium Iouis hoſtilem in modum aſpiciens. Contrà Venus ad Iouis beneficium adiumenti plurimum conferet, & adminiſtrationem felicem efficiet, ſi antiſcio illi beneuolis è locis ſuffragium ſuum contulerit. Occultiſſimas has planetarũ ſignificationes, quæq; è dodecatemorijs, antiſcijsq; proficiſcuntur, Ptolemæus innuit, quũ ait planetas ſæpenumero bonum aliquod, & quidem non expectatum, hoc eſt ab

aſpectibus non denunciatum afferre ex locis, in quibus ius nõ habent: nam nec uires autoritatemq; ijs in locis habere uidentur ullam, quum neq; loca illa intueantur, neq; in ſignis ijs aut altitudinem, aut dominatũ habeãt, nihilominus antiſciorum dodecatemoriorumq; beneficijs ac meritis lucrum afferunt, & ubi minaces ſtellæ offuerint, damnum atq; incommoda. apud Meroën Aethiopiæ, quæ æquinoctiali circulo eſt ſubiecta, Sole ab ea ad nos progrediẽte, diebus nonaginta ſolares umbræ orbis noſtri umbris contrariæ iaciuntur, deciduntq; in aduerſum atq; in ſiniſtrã partem. Vnde populos eos Antiſcios ætate ſua uocatos Marcellinus refert, quum regionum noſtrarum umbræ in dextram ubiq; decidant. Itaq; Antiſcij nomen ab umbræ uidetur contrarietate dictum. Non tamen quòd in hoc ipſo orbe, noſtrisq; in regionibus, ac ſub hoc tractu cœli, aut in aduerſo illo tractu gradus Geminorum Cancri gradibus contrarias umbras iaciant, aut Sagittarij gradus Capricorni gradibus aduerſentur. Neq; quòd primus alicuius ſigni gradus umbram mittat contrariam umbræ, quam uigeſimus nonus alterius ſigni gradus mittat, ſed quòd alterum ſignum mittat umbram excreſcendo: à Capricorno enim dies creſcunt uſq; ad ſolſtitiũ Cancri. contrà alteram mittat umbram decreſcendo: ſiquidem à Cancro uſq; ad ſolſtitium Capricorni dies decreſcunt: ac nihilominus idem contingit dierum ac noctium ſpatium, idem lucis ac tenebrarum tempus: quoniam partes ipſæ æqualiter à ſolſtitialibus punctis abſunt. Ac de antiſcijs hactenus, quorum obſeruationem maximarum, manifeſtiſſimarumq; ſignificationum eſſe ipſi ſæpenumero experti ſumus.

PTOLEMAEVS. LXXIX.

Mars quũ in undecimo eſt loco, qui hunc ſic habet, domino ſuo non dominatur.

PONTANVS.

Superius duobus in locis ante oculos Ptolemæus nobis poſuit genituras eorum ſiue clientium, ſiue ſubiectorum, qui heris dominisq; ſuis non modò chari acceptiq; futuri eſſent, uerùm tam apud illos autoritatem habituri, ut imperare eis uiderentur, illorumq; uoluntates pro ſuo arbitrio moderari. Hoc uerbo quando contrarium futurum ſit, nobis oſtendit figura propoſita, ex qua clientis ſtudium aduerſus dominum, rurſusq; domini in clientem beneuolentiam, mutuamq; inter ſe conuenientiam, non modò nullam futuram intelligere poſſimus, ſed rixas potius & odia contentionesq;. Atq; ut ad rem ipſam ueniamus, decimus figuræ locus, quod non ſemel dictum eſt, heris ac dominis attribuitur, undecimus ipſorũ domeſticis atq; clientibus. Mars igitur quum ſit diſſidiorum autor, ac diſcordiarum excitator,

tator, propter uehementissimos choleræ, cui præest, motus, uidetur id efficere, uti natus ille, in cuius genitura ipse in undecimo loco fuerit inuentus, parum fideliter concorditerq; sit cum domino suo uicturus. Quinimo simultates, rixas ac discordias etiam manifestas Mars sic collocatus inter herum ministrumq; excitabit: ac si quando in certamen uentum fuerit, ministri partes longè imbecilliores ac deteriores reddet, quum locus undecimus decimo longè sit autoritate ac uiribus inferior. Mars enim quum rapax & incontinens, & audax sit, natũ illum rapacem futurum indicat & infidelem, & profusorem, & temerarium: quibus uitijs qui præditus fuerit, non modò in administrandis rebus domino satis facere non poterit, qui nil prius maiusq; à ministro exigit, quàm ut fidelis & continens, & ingenij maximè moderati sit, sed illum in odium iramq; prouocabit, quũ propter audaciam temeritatemq; in certamen cum domino descendere dubitaturus nõ sit. Hæc Mars in undecimo loco genituræ clientis positus præstat: qui locus quum domini etiam substantiã ac res familiares indicet, uidetur ob Martis præsentiam significare ministrum illum domini pecuniã infideliter administraturũ, ac rebus illius familiaribus incommodo futurũ, quibus è rebus ea quæ dicta sunt necesse est proficiscantur.

PTOLEMAEVS. LXXX.

Quum Venus Saturno cõiungitur, habetq; hospitatorem aliquem in loco septimo, qui natus est sordidi coitus erit.

PONTANVS.

Appetitus libidinis, & ea uis animæ quæ hodie concupiscibilis dicitur, Veneri attribuitur, ut antè docuimus. Sed quum alij in coëundo sint elegantes mundiq;, alij sordidi atq; inquinati, hoc unde proficiscatur Ptolemæus ostendit, docens sordidi coitus Saturnum autorem esse, si Veneri in genitura misceatur. Non solùm autem Venus Saturno coniuncta, uerùm in Saturni finibus inuenta genituræ tempore spurcæ libidinis cupiditatem mouet. Quocirca natus ille, qui Saturno Venerem cõmixtam habet in genitura, fœdissimi coitus erit, propter Saturni squalorẽ ac sordentẽ naturam: cuius contactu Venus ipsa licet elegantiarũ habeatur dea, mirũ in modum inficiatur, utpote contagione corrupta: quod tunc omnino continget, quũ hospitator, hoc est dominus signi aut finium, in quibus Venus posita est, aut planeta, qui plures in signo eo prærogatiuas habet, in septimo collocatur, qui locus nuptiarum & rerum Veneris est. Quum enim hæc omnia simul conuenerint, fieri non poterit quin homo is sordidæ libidinis futurus

sit. Ipsa uerò coëundi sordities ac turpitudo unius generis non est: sunt enim qui puellas oderint, uetulas sequantur: alij qui relictis ingenuis, ancillas ac seruas depereant: alij qui nisi sœdissimas atq; abiectissimas meretrices nolint cognoscere: nonnulli qui manibus obscœna patrent, aut cognationis iure uiolato, sanguini, id est filiabus neptibusq; nõ parcant, aut mulieribus ipsis obscœno more utantur. Quocirca hospitatoris natura qualitas q; signorum considerandа est, uidendusq; planetarum ipsorum, hoc est Veneris, Saturni, & hospitatoris status ac figuratio, ut uitia ipsa notiora fiant: quum fieri possit, ut coëundi turpitudo sit etiam diuersi generis.

PTOLEMAEVS. LXXXI.

Tempora modis septẽ deprehenduntur, ab interuallo duorum dominatorum, ab interuallo configurationum inter se, ab accessu alterius ad alterũ, ab interuallo inter se alterius ipsorum, & loci rem quæsitã significantis, ab occasu stellæ cũ additione atque ademptione, & à mutatione dominatoris, & ab accessu planetæ in locum suum.

PONTANVS.

Qua ratione, quibusq; regulis obseruandis cognoscamus quo tempore perficiendum, aut quando euenturum sit id de quo mathematicus consulitur, quod'ue iam cœptum aut animo destinatũ est, Ptolemæus hac in parte docet: & prima quidem regula est, uti ambos dominatores, hoc est ascendentis, & loci in quo collocata est, significatio rei cõsultæ siue inceptæ, aut iam incipiendæ, animoq; destinatæ diligenter inspiciamus, & illorũ configurationes statumq; consideremus, hoc est, quemadmodum sint in cœlo collocati, quibus etiã planetis copulentur, & ad quæ loca, quás ue stellas ferantur, quæ habeant præsidia, sint ipsi ualidis uiribus an imbecillis, quæq; alia multo studio uidenda sunt: quippe cũ ex hac inspectione euentus qualitas intelligatur, sit'ne res ipsa facilis an difficilis factu, uentura ad finem destinatum, an in ipso principio, siue in medio cursu destituenda, & si quibus adiumentis fulcienda, aut contrà impedienda: quorũ omnium ipsa cœli figuratio diligenter considerata index erit. Sed nec obliuisci debemus eorum quæ suprà de Luna, deq; Solis Lunæq; coniunctione, ac de domino reuolutionis anni præcepta sunt. Nec prætereundum est id quod de Lunæ obseruatione traditum est, id est, an si cui planetæ corpore aspectũ ue non copulatur, fortè per aliquas stellas fixas qualitatis eiusdẽ copuletur. Quibus omnibus consideratis, atq; in bilance, ut ita dixerim, suspensis, quæretur rei

tur rei ipsius tempus, hoc est quando res incepta destinatá uc perficienda sit: quod quidem tempus colligetur ex dimensione graduum inter ipsos dominatores interiectorum, quam interiectionẽ Græci διάστημα uocant: nos & interuallum, & intercapedinem, & interstitium dicimus: recentiores distantiam uocitant. Gradus igitur interlabentes seruata lege ascensionum, tempus demonstrabũt. atq; hæc quidem prima inspectio est. Secunda contemplandi temporis uia ratioq; est, uidere qui tunc inter dominatores sit aspectus, atque ubi nullus, aut nondum perfectus fuerit, quot interiecti gradus sint, dum ad coniunctionem aut mutuũ ad aspectum ueniant numerare. Quinetiã ut rei facilitas difficultasq; intelligi possit, sit ne etiam res illa cõsummanda, dum ipsi dominatores aut coniunguntur, aut se inuicem aspiciunt, uidenda est tum cõfigurationis huius collocationisq; planetarum aliorũ, tum etiam signorum qualitas ac natura. Frustra enim tempus quæritur, ubi destinatum opus incassum susceptum est. Tertia regula temporum inueniendorũ, siue anni, siue menses diesq; futuri sint, hoc præcipit, ut obseruato dominatorũ inter se interuallo, uideamus quo tempore alter sit ad locum alterius peruenturus, siue dominator ascendentis ad locum dominatoris rei quæsitæ aut destinatæ, siue dominator rei ad locum eius qui est ascendentis dominator. siue ambo coituri sint, quo tempore eadem illa quæ diximus cõsideranda sunt. Quartus colligendi temporis modus hic traditur, ut iuxta legem ascensionum dimetiamur spatium quod est inter locum rei quæsitæ & alterum dominatorũ, quos duos esse dictum est. Ipsum enim spatiũ, id est gradus interiecti, annos, menses, diesq; planè significabunt. Quinta obseruatio docet inspicere, uter dominatorum prior ad occasum sit peruenturus: is enim cardo rerum exitum indicare cum primis creditur. quo inspecto uidendum est quanto tempore, id est post quot menses annós ue, ad occasum, id est ad locũ occidui cardinis proficiscetur. Et per hunc maximè modum efficiendæ rei celeritatẽ tarditatem'ue aut mediocritatẽ intelligemus: quod tempus ut exactius definiri possit, seruandum est, quod in uitæ spatio dimetiendo seruari debere à Ptolemæo præceptum est. Siquidem uidendæ sunt stellarum configurationes, & quid quisq; planeta uel addat, uel demat: quamuis fortasse non eodem modo & hîc, et in spatio uitæ temporũ ratio habenda sit. Nequaquã etiam signorũ qualitas relinquenda est inobseruata, quando & ipsa quoq; ad tarditatem celeritatemq; non parũ collatura uidentur: quũ signa ipsa alia tarda, alia festina, alia mediocris motus esse perhibeantur. Sexti modi ratio est, ut quum dominator regrediens, & ut hodie dicunt, retrogradus fuerit, quòd uires ad præstandum aliquid parum ualidas tunc habeat, non antè sententiã de pollicitis eius, si quid polliceri uidebitur, feramus, quàm recto cursu

progredi cœperit. itaque interualli eius nullam rationem habebimus, donec recto cursu ferri incipiet: sed regressionis stationisq; tempore prætermisso, interuallum distantiamq; ex eo loco capiemus, unde rectus progredi cœperit. Gradus enim directionis progressionis q; interualli principiũ erit, quo interuallo cognito, temporis quoque interuallum cognoscetur. Idem seruandum erit, quum dominator solaribus radijs occuletur, & ut hodie dicunt, combustus fuerit: quid enim oppressus ac latitans præstare dominator potest? quocirca expectandum est dum Solis euadens radios, suiq; iuris factus, atque aliquanto longius ab illa digressus oriri incipiat, ac matutinus appareat: tunc enim ab eo gradu, in quo matutinus efficitur, sumenda distantia est: qua sumpta, de tempore ipso sententia ferri poterit. Septimo præcepto docemur uidere, quo tempore dominator, qui significantior est, in locum suum peruenturus est, & domum exaltationem ue suam, aut locum in quo prærogatiuam obtineat, ingressurus. Ex duobus enim dominatoribus significantior præferendus est, siue is rei cõsummationem promittat, siue contrà difficultatem inceptumq; ipsum frustrari uideatur. Is enim domicilium suum ingressus, uiribus auctus, tunc quid futurum sit decernet. Quod ut manifestius fiat, cœli figuratio inspicienda est, quum domum ipsam aut exaltationem ingreditur. Præceptis his etiam præcepta illa pro rei natura uidentur accommodanda, quæ supra tradita huic inuestigationi utilia erunt. Quid enim aut difficilius est, aut exactiore diligentia indiget, quàm nõ solùm qualis rerũ euentus futurus sit prædicere, uerumetiam euentus ipsius certum tempus diemq; præscribere?

PTOLEMAEVS. LXXXII.

Quum figuræ æquales erunt nouilunij aut plenilunij, horoscopum inspice: quæ si etiam æqualis fuerit, ad ferendam sententiam ne properes.

PONTANVS.

Hoc præceptum & generale uidetur, quippe quod rebus omnibus accommodari potest, de quibus mathematicus consulitur: & singulare, quũ regulis quæ de perscrutando tempore traditæ sunt, rectè annecti queat. Atque ut generaliter traditum intelligamus, referamusq; ad ea omnia de quibus consulimur, quæq; an futura sint, & qualia futura sint ipsi perscrutamur, sic mihi uidetur obseruandũ, uti figura constituta, planetarũ situm, prærogatiuas, conditionem, aspectus, defluxionesq; inuestigemus, & cardines, cardinumq; ipsorũ, ac rerum significatores, de quibus consulimur, quasq; agendas suscipimus, obseruemus. Quibus reliquisque necessarijs probè

probè inſpectis, qui planetæ ad rem perficiendam conducant, qui ne fiat obſtent, diligenter animaduertemus. Vbi enim & ualidiores & plures, maximeq; ſuperiores planetæ adiumento ac præſidio eſſe inuenerimus, contrà qui aduerſentur pauciores imbecilliores q;, licet aliquo cum impedimento ac difficultate rei illius euentus futurus ſit, incommodiq; aliquid in medio interim curſu, aut in ipſo initio, aut deniq; prope exitum paſſura ſit, ex ſententia tamen eius qui rem ipſam agendam ſuſcepit, conficiendam pronunciabimus. Quòd ſi æquales uires auxiliantium aduerſantiumq; uiderimus, eademq; utriuſq; partis autoritas fuerit, tunc ne incerti huc atque illuc feramur, interlunium, ſeu plenilunium antecedens conſiderandum eſt: ad quod ubi confugerimus, cœli figuram conſtituemus, & cardinum dominos, figuraq; dominatorem, & planetarum aſpectus, collocationesq; contemplabimur. Qua in figura ſi amicos inimicosq; paribus uiribus munitos, æqualiq; poteſtate præditos inuenerimus, ſententiam differemus. Quòd autem Ptolemæus dicit feſtinandum non eſſe ad prædictionem, innuere nobis uidetur, adhuc quærendum atque expectandum eſſe aliquid, quod tamen pro natura rei fieri non ſemper poterit. Nam ſi res ipſa eiuſmodi eſt, ut ſi nunc omittatur, fieri amplius nequeat, neſcio quid ultra quærendum expectandumq; relinquatur. Sin eiuſmodi eſt quæ alio tempore ſuſcipi, aut ſuſcepta intermiſſaq; inſtaurari, ac rurſum, ut ita dixerim, reſumi queat, nõ fruſtra expectandũ eſſe præcipitur. Quã ob rem in negocijs huiuſmodi, ubi poſt æqualem figurarum librationem uiderimus non multum temporis abfuturũ, dum aduerſantes illi planetæ in loca depreſſa atque abiecta corruant, ſuámque omnem autoritatem amittant: contrà ut planetis auxiliaribus maiores uires, & amplior poteſtas accedat, in id tempus iudicium noſtrum reſeruabimus. Sed nec obliuiſci debemus quid genitura, quid anni conuerſio, quid temporum dator promittat. Si uerò præceptũ hoc ut particulare ſuperiori regulæ adijciemus, hoc ſeruabimus, ut figuras ipſas, interualla accipiamus, ex quibus tempora colliguntur, ac ſi ſeptem quas tradidit uias ſecuti, eadem tempora inuenerimus à pluribus atque potentioribus ſignificari, tunc ore libero pronunciemus. Sin ea differentia fuerit, ut cernere nequeamus in quam potius ſententiam eundum ſit, ad figurã lunaris cum Sole coitus, aut oppoſitionis, ut dictum eſt, confugiemus, quæ ubi æqualis fuerit, ancepsq; apparebit, prudentis eſt mathematici nihil pronunciare. In hac uerò plenilunij ſeu nouilunij figura, ut in alijs, obſeruandus erit numerus graduum, qui inter horoſcopum & dominatores, de quibus antè dictum eſt, intererunt.

PTOLEMAEVS. LXXXIII.

Tempus impetrationis inter impetrantem ac regem affectionem indicat. Cathedra autem indicat ea quæ actionis sunt.

PONTANVS.

Hoc enunciato monemur quid obseruandum, imò quid iudicandum sit, quũ magistratus, præfectura, sacerdotiũ, potentatus ue aliquis confertur, ut quũ à regibus dono aut uirtutis gratia conferuntur oppida, tetrarchiæ, & qui hodie baronatus dicuntur. hora, inquit, qua quis à principe magistratui, muneri ue, aut baronatui præficitur, id est cœli figuratio quo tẽpore rex, princeps, pontifex ue sacerdotiũ, administrationẽ, præfecturam ue confert, declarat animũ atq; affectionẽ & eius qui confert, & eius in quem munus ipsum cõfertur. Fieri enim potest, ut eiusmodi collatio, aut magistratus designatio ab inimico potius quàm ab amico proficiscatur animo, aliumq; quàm qui existimatur finẽ respectet. quod planetæ tum benefici, tum malefici, eorumq; configurationes, cardinumq;, hoc est ascendentis ac culminis qualitates, eorumq; dominatores significabunt. Tempus igitur designati magistratus, aut sacerdotij, aut collati muneris diligenter à mathematico inspectum, animum, mentem atq; affectionem, dantis atq; accipientis, quales inuicem tunc sint, quales etiã sperari pòst debeant, declarat. Cathedra, id est tempus, quo is qui magistratui præpositus est, sedere pro tribunali aut in sella curuli primùm cœpit, aut collati muneris sacerdotij, aut tetrarchiæ, dynastiæ ue possessionẽ adipiscitur, demonstrat quales futuræ sint actiones eius, qui tetrarchiam, sacerdotium, magistratum ue gesturus atque administraturus est: sit ne etiam administratio ea futura cum laude, quæstu, ac subiectorum populorũ beneuolentia, an contrà? Sed in ipsa possessione adipiscenda illud considerandum est, quòd non una est ubique tradendæ accipiendæq; possessionis ratio. Alibi enim insignia quædam traduntur, quibus acceptis per urbẽ ornatus incedit is qui magistratui præfectus est, alibi ascenso prætorio in solio sedet, alibi alius atq; alius mos seruatur. Hoc præceptum planè declarat errare illos qui ad prædicendum qualis administratio futura sit, horam conceſsi magistratus capiunt. neq; enim magistratus designatio gerendi eius principiũ est, neq; antè rei cuiuspiam dominus quis dicitur, quàm rei ipsius possessionem ceperit. Quæ Græcè καθέδρα dicitur, hodie nouo quodam & Græcanico nomine intronizatio uocatur. Cathedræ autem nomine possessionis adeptio intelligenda est, quacunque ratione possessio capiatur, dum illa sit traditæ administrationis principium. Ipsa cathedra commodissimè à nobis solium dici posset, quòd

quòd solium dignitatis sedes sit. non minus commodè diceretur etiam sella curulis: quamuis sella curulis non omnium magistratuum, sed maiorum olim esset. Quæ à nobis dicta est impetratio, Græcè dicitur προσβολή, à recentioribus uocari solet obtentio. Sed de uerbo soliciti ne simus, dum res ipsa planè intelligatur. Impetratio igitur, siue obtentio, intelligatur actio illa regis principis sue, qua subiectum, familiarem, uel amicum præfectura, tetrarchia aut dominatu aliquo donat, aut prætorem designat. Cathedra autem actio illa, quum ipse prætor designatus præturam init, aut præfecturam, aut collatæ ab rege tetrarchiæ primam & solennem illam possessionẽ de more patriæ capit. Sunt etiam qui προσβολὴν non impetrationem obtentionemq; intelligi uelint, sed petitionem, sicq; transferendum censeant. Tempus petitionis inter rem petitam ac regem affectionẽ indicat. quod mihi non placet. nam quum subdat cathedram, id est tempus captæ possessionis, indicem esse futurarum actionum, nec possessio sequatur, nisi impetratio concessioq; antecesserit, de impetratione prius mentio facienda erat: præsertim quum petitiones sæpenumero uanæ sint, fruſtraq; susceptæ. Adhæc de affectione regis non erga rem petitam, sed erga eum cui concessa est, dubitari ac quæri magis conuenit.

PTOLEMAEVS. LXXXIIII.

Mars quũ est ascendentis dominus tempore captæ possessionis, præestq; secundo loco, aut copulatur domino secundi, multum damnum afferet.

PONTANVS.

Quum dixisset tempus cathedræ significare qualis futura esset administratio eius qui magistratum iniret, aut gubernandæ ciuitatis habenas acciperet, subdit præceptum, quod arbitramur à Ptolemæo traditum tanquam re atq; usu ipso comprobatum. Quod ut clarius fiat, non ab re fuerit ea repetere quæ superius dicta sunt, quum de malitia undecimi ac secundi loci loqueremur. Dictum est autem in creandis principibus ac regibus locum decimum ipsis regibus attribuendum: quod idem fit in creandis magistratibus, præfectis, ac baronibus, quiq; ciuitatibus ac prouincijs imperitant. Primum uerò locum subiecto populo attribuendum. Dictũ est etiam locum undecimum attribuendum censui principis ac regis, necnon præfecti, dynastæ, ac tetrarchæ qui creatur: secundum autem subiectorum populorum censui, domesticisq; facultatibus, quòd undecimus locus decimo, secundus primo succederet. Tempore igitur cathedræ decimus locus præfecto ac baroni, primus populo qui eius temperationi imperioq; committitur, secundus populi censui attribuitur. Qua è re fit ut populi census, subie-

ctorũq; facultates à præfecto ac tetrarcha illo diripiendæ ac uexandæ sint, in cuius cathedra Mars ascendentis dominus fuerit, atque in secundo loco collocatus, aut saltem domino loci ipsius aliqua ratione copulatus. Siquidem malitia secundi loci rerum familiarium populi detrimentum in eiusmodi creationibus cathedrisq; decernit, quæ direptiones eò sæuiores erũt, quò Mars ipse ualidior fuerit. Etenim Martis qualitas, ut ignea feruensq;, quum admodum uiolenta sit, arguit præfectum, tetrarchã, & principem illum uiolentum, rapacem, & iniurium fore, cuius animus manusq; temperare à rapinis nequeant. Copulatio autem ipsa intelligenda est non modò quum Mars ac secundi loci dominus cõiuncti eodem in signo fuerint, uerùm etiam quum se aspexerint, aut si quo cõuenientiæ ac societatis genere mutuò se complectentur. Inficit profectò Mars locum secundum, siue illum corpore suo insideat, siue domino eius aliqua irradiatione societateq; misceatur. Quumq; ascendenti signo imperet, cuius quidem dominus est, imperium graue, administrationemq; uiolentã portendit. Porrò imperandi acerbitatem atq; in administrando uiolentiam, improbitatemq; necesse est popularium diuitiarũ direptio sequatur. Quòd si à contrarijs argumentari licet, facilis & æqua gubernatio futura decernitur, quoties tempore, quo præfectus primùm in solio sedet, aut rex regni habenas suscipit, Iupiter ascendentis dominus est, ac secundo in loco collocatus, aut secundi loci domino copulatus. Arguit enim moderatorem, iustum & temperatum, ac popularis boni studiosum, iuxta naturæ suæ benignitatem ac moderationem. In ferenda autem sententia præcipuè uidendum est, cuius naturæ sit planeta secundi loci dominus cui Mars copulatur, atque in qua cœli parte positus, & à quibus aspiciatur, & quo etiam aspectu, ut sententia ipsa undique sibi constet, et qui eam laturus est, sciat illam ratione temperare, ubi uidebitur ob radiationem quampiam temperanda.

PTOLEMAEVS. LXXXV.

Quum ascendentis dominus secundi loci domino configurabitur, sponte princeps multas impensas faciet.

PONTANVS.

Et hæc, & quæ antecedit obseruatio, cathedris, id est magistratibus, præfecturis, regnisq; auspicandis accõmodatur. Nam si configurationes huiusmodi in alicuius genitura contigerint, alia ratione contemplandæ sunt. Et superiori quidem uerbo de Marte tantũ locutus est, hoc uerò quod sequitur, de planetis omnibus. In auspicãdo, inquit, magistratu, præfectura, dominatu, ac regno, hoc est quo tempore quis primũ init magistratũ, præfecturam,

præfecturam, dominatum, regnum, si ascendentis dominũ secundi loci domino configuratũ habuerit, is siue præfectus, siue princeps pecuniã multã sponte erogaturus est. Quid si Mars fuerit, ut est dictum? ne autem in hoc ipsi peccemus, aut Ptolemæum ut sui ipsius olitum accusemus, sic interpretabimur, ut superior obseruatio ad populum subiectum referatur, considereturq; ut ad ciues ipsos pertinens: quippe qui sint malè, impotenterq; habendi, ac domini præfecti ue manibus diripiendi: hæc uerò non ad subiectum populum, sed ad ipsum tantum principem referatur. Fieri enim potest, ut urbiũ rectores rapaces sint, & nihilominus quod rapiunt ad splendorem ac munificentiam conferant: contrà ut abstinentes sint, commodorumq; publicorum studiosi, ac nihilominus propriæ pecuniæ nihil parcant, sintq; de suo liberales ac magnifici. Quoties igitur qui magistratum init, aut regnum, dominatum'ue auspicatur, planetam ascendentis dominum secundi loci domino coniunctum, aut utrunq; inuicem se aspicientem habet, quum domini locorum uires autoritatemq; communicent, & alteri alter commisceatur, ita quidem animo afficietur, ut in sumptus magnificentiam, splendoremq; suam conferre pecuniam uelit: & sumptus quidem faciet propter dominum loci qui est census atque pecuniarum, ac iuxta loci ipsius proprietatem: sponte uerò propter dominum ascendentis, qui animi commotionem eam non aliunde magis quàm à seipso excitat. Quales autem futuri sint sumptus, & quibus pro rebus, ex ipsa figuratione quærendum est. Fieri enim poterit, ut futuræ sint profusiones in cõuiuia, resq; amatorias & uoluptarias.

PTOLEMAEVS. LXXXVI.

Sol est fons uitalis potentiæ, Luna naturalis.

PONTANVS.

Hactenus de cathedris magistratibusq; ineundis, dominatibusq; capiendis. Quoniam autẽ Solem Lunamq; animato corpori præesse satis constaret, hac in parte Ptolemæus explicat nobis, cui potentiæ animalis ipsius, quod ex corpore & anima constat, præsit Sol, cui etiã præsit Luna. Quam ad rem aperiendam antequã uenio, placuit prius uerbum ipsum, quod potentia à nobis traducitur, quod Græcè sit declarare: id nomen Græcè δύναμις est, quod nomen tum potentiam, tum uim, potestatemq; significat. Sed quia nomen, uis, genitiuo singulari caret, idcirco potentiæ uitalis dicimus, loco uitalium uirium, quòd Græcè sit genitiuus singularis, non pluralis. Sed hæc uis potentiaq;, id est δύναμις, ab his qui nunc philosophantur etiã uirtus appellatur. Et quanquã uirtus sit animi, atq; assuescẽdo cõparetur, sitq; eius contrariũ uitiũ, uoluere tamen scriptores quidam hanc quoq; uocẽ ab animo ad alia transferre, ut quũ dicunt uirtutes herbarum,

uirtutes generandi ac nutriendi, & ſtellarum quoq; atq; elementorũ uirtutes. Quod feciſſe pluribus in locis M. Vitruuium, qui Auguſti temporibus ſcripſit, uidemus: nam & aquarum, & materiæ, & arborum uirtutes dicit. Quod ideo hîc attigimus, ut qui agreſtius philoſophantur, ſciãt nos potentiã uitalem dicere eam, quæ ab ipſis uitalis uirtus dicitur. Virtus igitur potentiaq;, ac uitalis uis ſiue poteſtas, à qua eſt, ut per generationẽ uita utamur, ad Solem referenda eſt: à Sole enim tanquam à fonte quodam manat, quum ſit princeps ac moderator luminum reliquorum, ſit dator lucis: unde & qui naſcuntur, in lucem uenire dicuntur: autor etiam generationis: quippe quum calore ſuo & moueat, & mota uiuificet. Quid enim aliud uita eſt quàm uiuificati corporis cõtinuus motus? quod ita eſſe mors oſtendit. Et quia cæteræ uires uirtutesq; atq; potentiæ, niſi uiuificatũ corpus ſit, ineſſe corpori, ipſiq; animali nequeũt, idcirco uitalis potentiæ fons Sol eſſe dicitur, quòd ab eo tanquam à fonte & uita, & cætera alia ueluti à principio manent ac fluant. Naturalis uerò uis potentiaq;, per quam corpora uigent, &, ut hodie dicunt, uegetantur, ad Lunam referenda eſt, quòd ea ipſa in frigido humectoq; dominatur, & quum à Sole illuſtretur, Solis ipſius miniſteriũ adiuuans, materiam ipſam & conciliat, & à Sole uiuificatam uegetat, illa etiam quæ uegetandis corporibus neceſſaria ſunt ſubminiſtrans. Quid autem ſit uegetare omnes intelligunt, qui arborum atq; herbarum corpora contemplantur, quæ quidem ſine ira, cupiditateq; ipſa per ſe fouentur ac uigorem retinent. Vnde Sol ipſe ſpiritus, id eſt uitalitatis, ut ſic loquar, Luna corporis domina uocatur. Sed ad Græca nomina atq; ad translationem ipſam redeamus. Græcè φύσις natura eſt, & φυσικὸν naturale: item φυτὸν planta, ſeu ſtirps ac germen, & φυτικὸν uegetatiuum. Hoc propterea dicimus, quòd ſunt qui arbitrentur Ptolemæum potius ſcriptum reliquiſſe φυτικὸν per literam τ. hoc eſt uegetabile, quàm φυσικὸν per literam σ naturale, ac dixiſſe Lunã fontem eſſe potentiæ uegetabilis potius quàm naturalis. Illud etiam omittendum non eſt, & huic enunciato & compluribus alijs Chaldæos translatores multa addidiſſe, quæ Græcè ſcripta non ſunt, & ipſis quoq; Ptolemæi uerbis à Græcis interpretibus etiã aliquid adiectũ, dum nonnulla quæ à prioribus explanationis gratia adiecta ſunt, ſic à poſterioribus accepta fuere, ut ea Ptolemæi eſſe crederẽt. Adiecta ſunt igitur loco huic, quòd Saturnus eſſet fons eius potentiæ quæ retentiua dicitur, quamuis ſint qui rationalem ad Saturnum referant, Iupiter eius potentiæ ad quam incrementa referuntur, Mars potentiæ iraſcibilis, Venus cõcupiſcibilis, Mercurius diſſertiuæ, quòd logiſtica, hoc eſt diſſertiua uis ac rationalis, ad eum referatur. Mihi uidetur Ptolemæus de Sole Lunaq; tantum enunciaſſe, ut quoniam in rebus

cunctis

cunctis prædicendis, Lunæ Solisq; coniunctionem oppositionem'ue inspiciendam in primis præcepisset, hac sententia mirum id uideri nequaquam debere ostenderet, quum alter uitalis potētiæ, altera uegetabilis origo sit, ab ijsq; uita & uitæ alimentatio fluat, & ueluti suis à fontibus deriuet.

PTOLEMAEVS. LXXXVII.

Mensium conuersiones fiunt ex diebus uiginti octo, horis duabus, ac minutis circiter decē et octo. Quidam autem à peragratione Solis iudicant, quū partiliter exæquatus est gradui ac minuto, quod in initio obtinet.

PONTANVS.

Olim annus, qui nunc è duodecim constat mensibus, non eam quam hodie rationem habebat: propter paruam enim cognitionem rerū cœlestium diuersus erat, aliusq; apud alios populos habebatur. Et Romæ quidem primùm decem fuit mensiū, pòst duodecim Numa Pompilio autore: ac ne tum quidem ipse sibi constabat, donec Iulius Cæsar eum probè constituit: unde Iulianus annus dicitur: cuius mēses ita quidē distribuit, ut alios è pluribus, alios paucioribus diebus statueret, adiecta post quadriennīū die una. Quæ Cæsaris distributio (tametsi mensis à Lunæ cursu uocatus putatur) solari rationi magis conuenit, quū diebus tantū uigintiocto, horis duabus, ac minutis circiter decē & octo, cursum Luna suum conficiat: siquidem hoc tempore à gradu signi, ubi cum Sole coijt, digressa, perq; alia signa progrediens, ad eundem illum gradum reuertitur. Atq; hic quidē est menstruus Lunæ cursus, qui (ut dictum est) ex uigenis octonisq; diebus, horis duabus et minutis circiter denis octonisq; cōstituitur, quot diebus, horis ac minutis cœli duodecim signis peragratis, ad locū unde moueri cœperat Luna, partiliter redit. Quocirca mensis lunaris solari minor est mense, nec iuxta Cæsaris constitutionem capiendus. Ptolemæus igitur ne in reuoluendis mensibus erraremus, dierum nos admonuit, è quibus lunaris mensis constaret: siquidem mensium profectiones finito tempore (quod dictum est) incipiūt, neque trigesimus aut trigesimus primus dies expectandus est, iuxta ciuilis mensis constitutionē. Atq; hæc quidem de reuolutionibus mensium faciendis Ptolemæi opinio est: quanquam alij nonnulli sentire aliter uiderentur, qui non à Lunæ, sed à Solis cursu mensem reuoluendum putabant. Nam quum annus ad Solem referatur, menses quoque ad Solis cursum referendos iudicabant: tuncq; insequentem mensem incipiendum esse, quum Sol ad eum partiliter gradum ac minutum insequentis signi peruenisset, à quo gradu minutoq; antecedentis signi præteriti mensis initio discedere cœpe

rat, ut à quot partibus prioris signi antecedentis mensis initio Sol moueri cœperat, à tot etiam partibus signi posterioris insequentis mensis principio motus sui seriem inchoaret. Super hac re quæri multa possent, & fortasse in ijs quæ ad Lunam maximè pertinent, lunaris mensis profectiones, in ijs autẽ quæ ad Solem, solaris mensis profectiones seruandæ potius sunt: quod nos in medio relinquimus. Menses autem lunares propè tredecim solari anno continentur: quod supputatio ipsa docebit, si dies trecentos ac sexagintaquinq; in dies uigintiocto, horas duas & minuta decem & octo ter decies partiare.

PTOLEMAEVS. LXXXVIII.

Quum partis fortunæ profectionem in toto reuolutionis anno facere uolumus, à Sole in Lunam, ac tantundem ab ascendente capimus.

PONTANVS.

Quum de mensibus reuoluendis sententiam suam tulisset, & è quot diebus constituti essent Ptolemæus docuisset, ne in inuenienda parte fortunæ titubaremus, & hoc quoque docere nos uoluit, quod huiusmodi est, ut inuento gradu, quem Sol peragrat, ab eo gradu profecti, omnes gradus insequentes, dum ad Lunæ gradum peruenerimus, numeremus: quibus probè numeratis, ab ascendentis gradu exorsi tandiu subsequentes gradus numerabimus, donec summa illa finiatur: in quo autem gradu finita fuerit, is gradus partis fortunæ locũ nobis ostendet. Hæc regula superiori regulæ conuenienter subijcitur: illa enim mensium conuersiones facere, hæc in annorum reuolutionibus partem fortunæ inuenire nos docet. In toto autem, id est uniuerso reuolutionis anno, ideo mihi dixisse uidetur, ne singulis mensibus partem fortunæ quæreremus, quòd locum illum totius anni significationem habere censeat: hoc in loco ut compluribus alijs in locis, quædam de genitura sunt adiecta. Sed qui Græcè sciunt, apertè intelligent Ptolemæum de sola anni reuolutione mentionẽ facere, id est de parte fortunæ in reuoluendis annis inuenienda. Inuento autem partis fortunæ loco, diligenter inspiciendum est, quibus irradiationibus & à luminaribus, & à planetis illustretur, qualis sit status ac natura domini signi, in quo fortunæ locus repertus est, seu dominatoris, qui plures dignioresq; in eo prærogatiuas habet: nec non hospitatoris, id est domini signi, quod dominator, ac dominus signi partis fortunæ peragrat: signorum quoq; ipsorum qualitas consideranda, uidendumq; quũ profectio menstrua peruenerit ad id signũ, in quo est pars fortunæ collocata, qualis sit cœli totius status. Quandoquidẽ bonum malumq; quod portendi uidebatur, si tunc cœli cõfiguratio pernicioſior,

cioſior, aut fauorabilior fuerit, pro natura configurationis uel accumulabi tur, uel minuetur. Sed ad opinionẽ Ptolemæi de fortunæ parte redeamus: preſertim quũ pleriq; aſtrologi noctu à Luna in Solem proficiſcendum ar bitrentur, quod ipſe in libro apoteleſmatum ſic improbat: Pars quidem » fortunæ die noctuq; ſemper à numero Solis in Lunam colligenda eſt, ipſeq; » numerus per totidem gradus ab horoſcopo in ſubſequẽtia ſigna producen » dus, ut quam Sol rationẽ figurationemq; ad orientẽ finitorem habet, ean » dem ad fortunæ partem habeat Luna, ſitq; perinde ac lunaris horoſcopus. » Pari autẽ & eodem modo ſe habet, ut ab antiquis ſcriptũ eſt, ſi quis noctur » nis in genituris uoluerit à Luna in Solem per ſigna præcedentia numera » re, qua ratione idem fortunæ locus, eademq; figurationis ratio inuenietur. Hæc Ptolemæus. Sed quid ueteres illi de parte fortunæ colligenda ſenſe rint, alienũ non eſt referre: aliter enim quàm nunc ſentiebant. Siquidem Pe toſiris ac Necepſo, in quos omnis ferè aſtrologiæ latus referebatur, noctu à Luna in Solẽ numerandum cenſuere, non tamen per ſigna progrediendo ſubſequẽtia, ut fit quũ à Sole numeramus, ſed per ea quæ antecedunt ſigna, contrario quàm fit quũ à Sole numeramus modo: quod quũ fecerimus, ni mirũ idem utroq; modo partis fortunæ locus inuenietur, aut à Sole in Lu nam per ſigna ſubſequentia, aut à Luna in Solem per antecedentia proficiſcendo. Verbi gratia. In diurna genitura aſcendit Arietis gradus primus, Luna quidem in primo Cancri, Sole autem in uigeſimo gradu Piſcium col locatis, ſi à Sole in Lunam numerando progreſſus fueris per ſigna quæ in ſequuntur, inuenies Solem à Luna gradibus centũ abeſſe: hoc facto à pri mo gradu Arietis per inſequentia ſigna proficiſcere, donec ſumma centum graduum deſinat: deſinet autem in decimo Cancri gradu, qui partis for tunæ locus erit. Sit rurſus nocturna genitura, in qua primus etiam Arietis gradus aſcendat, habeátque Solem in uigeſimo gradu Tauri, Lunam in primo Virginis conſtitutam, ſi tunc à Luna in Solem proficiſceris per ſi gna quæ antecedunt, à primo gradu Virginis per Leonem, Cancrum, Geminos, ac Taurum recedendo, inuenies à Sole Lunam gradibus cen tum abeſſe, quem rurſus numerum inuenies, ſi à Sole in Lunam per ſigna ſubſequentia progredieris, tunc ab aſcendente principio capto, fortunæ lo cus in decimo gradu Cancri eadem ratione comperietur. Quæ cauſa Pto lemæum adducit, ut die noctuq; in Lunam à Sole numerandum cenſeat. Iu lius tamen Maternus, & pleriq; omnes noſtri temporis, nocturnis in geni turis à Luna in Solem per ſigna quæ ſubſequuntur eundum iubent. Nos tantam rem, atque inter tantos autores, in medium relinquemus. Iudicat autem Ptolemæus horoſcopum ipſum diurnum ac ſolarem, locum autem partis fortunæ nocturnum ac lunarem eſſe, & quam Sol ad horoſcopum

rationem habet, eandem habere ad partem fortunæ Lunam. Quum enim Sol ac Luna uegetare ac uiuificare animantia uideantur, & horoscopus quidem, qui nati corpus, uitalemq; eius qualitatem significat, Soli adscribatur, iure pars fortunæ, cuius locus eandem ad Lunam, quam ascendentis locus ad Solem proportionē habet, Lunæ adscribenda est, ut sit quodammodo lunaris quidam horoscopus: & quemadmodū horoscopus statū qualitatemq; animati corporis, & eorum quæ corporis sunt, significat, sic pars fortunæ ueluti lunaris alter horoscopus externas res, quæ scilicet exterius accidunt, significet, unde fortunæ pars dicta est. Quum igitur Solem uitalis potentiæ, Lunam uegetabilis fontē esse dixisset, conuenienter duo hæc quæ præcedunt enunciata subiunxit: quorū altero ostendit, in reuolutionibus annorum, quæ quidem in hominum uita significationes ualidissimas habent, menses ad Lunam referendos esse: altero partem fortunæ, quæ ualidissimæ etiam potestatis est, à Sole capiendam esse.

PTOLEMAEVS. LXXXIX.

Quæ sunt aui, septimo à loco: quæ autem patrui, à sexto uide.

PONTANVS.

In constituendis geniturarum figuris quartus patri locus, fratri tertius adscribitur: atque ut tertius locus fratris, sic quartus patris statum & qualitatem demonstrat. Quocirca si quartus geniturę locus patrem, tertius fratres indicat, pater enim unus est, fratres esse plures sæpenumero contingit, interdum etiam nullos, quid mirum est si locus septimus auum, sextus patruum, patruosq; significare habet? Si enim quartus geniturę alicuius locus in loco horoscopante constituatur, tunc locus qui erat geniturę septimus, in locum quartū concessisse inuenietur. Itaq; si locus quartus in genitura nostra patrem nostrum indicat, locus septimus qui est ab eo quartus patris nostri patrem, qui auus noster est, indicabit. simili modo si tertius geniturę nostrę locus fratres nostros significat, sextus quoq; patrum nostrorum fratres, qui patrui nostri sunt, significabit. Vterq; igitur locus sextus ac septimus bene diligenterq; inspectus, alter patrui, alter aui statū qualitatemq; declarabit. Planetæ enim loca illa insidentes aut aspicientes, signorumq; qualitates, & illorū domini qui & quales sunt significabunt. Quod licet sit non omnino facile decernere, prudens tamen mathematicus diligenti cura adhibita hoc etiam assequetur.

PTOLEMAEVS. XC.

Quum dominator ascendens uiderit, res quæ occulta est secundum ascendentis naturā erit. quòd si non

si non uidet illud, erit secundum naturã loci in quo ipse est dominator. Et horæ quidem dominus colorem eius, Lunæ uerò locus tempus demonstrat: eritq; res noua, si supra terram: sin sub terram, uetus. Fortunæ pars quantitatem eius, longá ne, an breuis sit, demonstrat. Domínus finiũ, imí ac medij cœli, item Lunæ, substantiam eius demonstrat.

PONTANVS.

Si quando, inquit, tibi in mentem uenerit, ut aliquid quod absconditum occultum'ue sit, aut quod alia ratione lateat, perscrutari uelis, primò dominatorem inspice. Erit autẽ qui pluribus ac maioribus prærogatiuis præditus est. Hoc inspecto contemplare, an dominator is gradum signi ascendentis in figura à te constituta intueatur. Si enim primos illos gradus horoscopantes intuebitur, quale sit id quod occultum nosse quæris, ascendentis ipsius qualitas tibi significabit: ascendentis enim naturam sequetur. Quocirca signi illius qualitas, natura, ac propria eius uis diligenter cognoscenda atq; examinanda est. Atq; ut rei illius qualitatem magis ac magis introspicias, signi eius domini naturam considerabis, & quæ res planetæ illi attribuatur uidebis. Non solùm autẽ uidere oportet, sit'ne signũ illud humidum an aridum, sed potestates, uires, cæteraq; qualitates, tum eius, tum loci diligẽter attendendæ sunt, ut natura rei illius clarior fiat. Sin dominator ipse ascendens non aspexerit, locum in quo dominator inuenitur contemplaberis, cuius naturam, uires, qualitatemq; quum probè consideraueris, de qualitate rei illius, id est qualis sit, sententiam feres: siquidem res ipsa loci signiq; illius naturam sequetur. Vt aũt res ipsa expressior, & magis ac magis certa appareat, quũ tot rerũ similitudines atq; affinitates sint, & color quidem magnum rei indicium faciat, postquam hæc quæ dicta sunt, contemplatus fueris, rei quoq; illius color inuestigandus est, quem horæ dominus indicabit. Singulæ nanque horæ singulis planetis distributæ sunt. quæ distributio incipienda est à planeta illo qui nomen dat diei. Si enim est dies Lunæ, hora prima Lunæ, secunda Saturno, tertia Ioui, ac deinceps adscribetur in circuitum ad finem usque diei noctisque progrediendo. Oportet itaque te non ignorare, quis color cui planetæ dedicatus sit. Quinetiã ubi horæ dominus, id est coloris indicator, alij planetæ commixtus erit, ipsos quoq; colores ut miscecas oportet. Horæ dominũ dicimus eum, qui Græcè διέπων est. Post hæc ut quàm diu res illa latuerit, aut quanto pòst tempore in lucem uentura sit, cognoscas, locum Lunæ indagabis. Quòd si Lunæ situs subterraneus fuerit, rei illius uetustatẽ: sin super-

terraneus, hoc est, ut Luna in superiori hemisperio feratur, rem ipsam recentem esse testificabitur. Nonnulli tamen in his cognoscendis non Lunæ situm, sed dominatoris attendendum magis existimant, ut dominator ipse quum occiduus fuerit ac uespertinus, uetustatem præ se ferat: quum matutinus, orientalis ue (orientalem enim hodie dicunt, qui Græcè est ἀνατολικός) rem ipsam nouam ac recentem esse significet. quod Ptolemæus à Lunæ tantũ loco iudicandum decernit. Nam Luna sub terra constituta, quod ipsa à nobis absit, ueterẽ rem esse indicat: uetusta enim sunt, quæ à tẽporis huius præsentia remota sunt. Sed uetustas illa maior minor'ue iudicari poterit à collocatione Lunæ in hemisperio inferiori: quæ quũ in secundo loco posita est, propinquior nobis est quàm quũ in quinto aut sexto loco. Eodem modo nouitas, & ut ita dixerim, recentia iudicabitur. in hemisperio enim superiori constituta quũ ipsa præsens sit, rem præsentem, id est recentem, portendit: eaq; recentior portendetur, quum Luna in loco undecimo, quàm quũ in octauo collocata inuenietur. Hæc eadem consideratio palàm nobis faciet, sit'ne diutius res illa in occulto atque abdito futura, an citius manifestanda, atq; in lucẽ uentura. Verùm si Ptolemæi uerba probè cõsiderentur, locus Lunæ tempus ipsum, id est rei antiquitatem, nouitatem'ue magis quàm diuturnitatem occultationis, aut breuitatem indicationis significabit. Nam quũ ait, locus Lunæ tempus monstrat, eritq; res noua, si super terram: sin sub terram, uetus, uidetur declarare tempus illud non ad diuturnitatem, breuitatem'ue occultationis, sed ad nouitatem aut uetustatem rei referendum esse, ut si noua sit uestis aut uetus. Et quoniam rebus ipsis tum longitudo, tum breuitas accidit, quantitate enim cõtinentur, ut ex hac inspectione res illa certius cognoscatur, pars fortunæ considerabitur: cuius locus ac signum pro qualitate sua, naturaq; configurationis, sit'ne res illa longa, an contrà breuis, an fortasse mediocris staturæ, spatij aut mensuræ, manifestò declarabit. Hoc autẽ à parte fortunæ quæri debere, ratione non caret. Quum enim ascendens & locus partis fortunæ præcipuæ autoritatis sint, & in rebus considerandis qualitatis quantitatisq; præcipua ratio habeatur, & qualitas ipsa ab ascendente significationem accipiat, quæ sequitur quantitas à loco partis fortunæ iure significationem accipiet. Ac ne te substantia rei lateat: neq; enim res quæ corporea est carere substantia potest, quũ tria hæc prædicamenta (sic enim à philosophis uocantur) substantia, qualitas, quantitasq; res ipsas manifestent, ac nihil corporeũ absq; ijs sit: ut substantia, inquã, ipsa rei deprehendi possit, fines inspiciendi sunt tum medij, tum etiam imi cœli, & ipsorum quoq; finiũ dominus, qui à Græcis ὡροσκόπος dicitur: ipse enim finium dominus siue unus, siue duo fuerint (fieri enim potest, ut fines medij cœli sint alterius planetæ, quàm

imi cœli

imi cœli fines) rei tibi substantiam indicabunt. His præceptis, obseruationibusq; tenendis rei substantia, qualitas, quantitasq; deprehendetur. Sed uideamus quàm conuenienter, appositeq; hæc dicantur. A cardine medij & imi cœli, hoc est à domino finiũ, qui cardines ipsos cum dominatu quodam tenet, substantia, à cardine ascendentis cœli qualitas, à loco partis fortunæ quantitas quæritur. quæ quum sint in omni consideratione primaria, primarijs figuræ locis attribuuntur quærenda. Domino enim finiũ medij cœli propter cardinis prærogatiuam meritò substantia, quæ prima est, adscribitur, dominatoris loco qualitas, si ascendens non aspexerit: sin aspexerit, ascendenti. Loco partis fortunæ, qui Lunæ ascendens esse perhibetur, estq; secundus quidam horoscopus, quantitas, cuius est tertia consideratio, attribuitur. Adhæc quoniam res hominum, quæ hoc modo quæri à mathematico possunt, principium aliquod habuere, & quæ aliquando facta sunt, necesse est ut in tempore facta fuerint, ac si nuper fieri contigit, sunt noua, sin olim, uetera, hæc inquisitio magna cum ratione Lunæ delegata est: tum quia Luna propter continuas defluxiones, & accessus celerrimos, ad alium atque alium planetam, eorũ quæ fiunt excitatrix & princeps causa est: tum quia mensium domina est, ex quibus anni cõstituuntur. Ac tametsi Sol dierum atq; annorum autor est, tamen nec quod annum latuit rectè dicitur paulò antè latuisse, nec diu abditum fuisse quod diem tantum unum, aut paculos fortè dies latuit. Quocirca rei occultæ aut abditæ uetustas nouitasq;, & an res ipsa quæ latet uetus, an recens sit, à mensium enumeratione rectius quæritur. hæcq; inuestigatio Lunæ loco iure dedicatur.

PTOLEMAEVS. XCI.

Malum signũ est, quum ægroti dominator combustus est, maximè si fortunæ pars afflígitur.

PONTANVS.

Planetæ sub Solis radijs constituti malè se habent, quippe qui maiore à potestate superati perinde ut prostrati atq; attriti iacent. eos Sol exustos autoritatem, prærogatiuamq; propriam retinere nõ patitur. Quid enim Solis radijs flagrantius? aut eius maiestate augustius? Quocirca malè se res habet, si quo tempore ægrotare quis cœpit, significator ægroti ipsius aut in radios Solis iam incidit, aut parũ abest dum incidat. multò aũt deterius se res habebit, si tum quoque pars fortunæ natalitiæ, seu conuersionis anni illius, infeliciter affecta fuerit, à maleficis maleficarũ stellarum configurationibus exagitata, aut in loco abiecto reperta: est enim res hæc indicio, ægroti illius uires à morbo superatum iri. Græcè ὕπαγγος dicitur

planeta sub radijs Solis positus, id est subradiatus: quod uerbum quia uideretur asperius, magis placuit recentioribus combustum uocare. Significator igitur, hoc est planeta, qui in figura ægrotationis pollentior inuentus est, combustus à Sole, ac si in carcerem coniectus esset, nullam ægro afferre posse auxilium uidetur. ut si paterfamiliâs, aut dux exercitus in carcerem coniectus, catenisq; uinctus sit: neq; enim aut paterfamiliâs laborantem familiam, aut dux militem ab hoste circumuentum opera sua tueri poterit, quum sui iuris non est. Locus quoq; partis fortunæ quũ sit tanquam locus opis, subsidij, atq; externi fauoris, hoc oppresso uidetur etiã auxilij atq; suppetiarum uia obstructa, quod signum nisi pessimũ esse nequit. Idcirco autem futuræ mortis signum non dixit, quòd tempus uitæ à genitura promissum inspiciendũ sit, quòd uidenda sint loca perniciosa, quòd considerandus planeta emissor, quòd item obseruandum quàm lato spatio planeta ipse ab æquinoctiali linea feratur, & quæ sit signi obliquitas, & alia etiam nonnulla prius quàm de morte pronuncietur.

PTOLEMAEVS. XCII.

Saturnus orientalis non adeò nocet ægro, sicuti nec Mars occiduus.

PONTANVS.

Si, inquit, Saturnus in figura languẽtis dominator inuentus fuerit, recedatq; à puncto, in quo Soli cohæferat, non tamen ut omnino à radijs solaribus se explicauerit, non adeò nocens atque aduersus erit, nec tantum ægro periculum imminet, neq; morbus ipse usqueadeo perniciosus futurus est. Martis uerò stella minus noxia futura est, neq; morbus tantopere grauis periculosusq;, si tempore incipientis morbi aliquanto remotior à Sole fuerit, ut nondum Soli partiliter iungatur. Mars enim occiduus, Saturnus orientalis minus nocet. cuius rei ratio hæc esse uidetur, quòd Saturni stella quum sit frigidissima, Solis radijs calefacta, postquam ab Sole ipso sese explicauit, solarẽ illam tepefactionem & quodammodo temperamentum aliquandiu retinet: quo temperamento quum frigida uis eius remissior facta sit, usqueadeo nocere non potest. Contrà Martis natura quũ sit feruentissima, Solis radijs perinde ac repressa, uimq; potentiorem sentiens, non nihil remittitur antequam Soli iungitur. ex qua remissione quòd feruor eius temperationem quandam se adeptum sentiat, efferuescere minus poterit, nec tam noxius erit. Cuius rei facere fidem potest, quòd si quando digitũ prunæ aut carboni negligentius admouimus, ex qua admotione digitum torruerimus, si eum digitũ flammis igniq; feruentiori admouerimus, admotumq; diutius reprimi, ac retorreri ab igne fuerimus, tostura ipsa sedatur,

sedatur, ac minus minusq; sentitur. Quinetiam si lucernã magno & perflagranti igni admoueris, suam flammulam conseruare non poterit, quando, ut inquit Aristoteles, magnus ille ignis exiguũ ad se rapit. Itaq; Mars potentissimos Solis aduentantis radios sentiens, de suo calore plurimũ amittit. Sed Ptolemæi uerba diligenter animaduertenda sunt: non enim dicit eas stellas quũ maleficæ suapte natura sint, non nocituras, sed minus noxias fore, quòd, ut dictũ est, remissiores fiant. Ex quo fit, ut Mars Soli propinquior factus, non tamen coniunctus, Saturnus à coniunctione recedens, non tamen ut omnino à Sole sit explicatus, in morbis ipsis minus graues inueniantur. Sunt qui alia ratione interpretẽtur, existimentq; tum ob cœlestium regionum, tum ob Martis Saturniq; conditionem, sic accipiendum esse, ut quum cœlum in quatuor partes distributum sit, & pars, quæ orientalis dicitur, Saturno adscripta sit, Saturnus ipse minus aduersus ægro futurus sit, si orientalis, hoc est in parte sua inuẽtus fuerit: Mars minus pernicios us, si occiduus, id est in parte occidua sibi attributa incipiente morbo collocatus inuenietur. Quæ opinio causa fuit, ut tametsi in codicibus Græcis de maleficis tantum, id est de Saturno Marteq; fiat mentio, additum tamen à Babylonijs sit, Iouis benignitatem accumulari, quũ in parte septentrionali: item Veneris, quũ in parte meridiali incipientis morbi tempore reperiri contigerit. Me non mediocriter reddit dubium, quòd plerunque quos matutinos, seu uespertinos planetas nos dicimus, Ptolemæus ἀπηλιωτικοὺς & ἑωσφόρους dicit: quos autem nostri, orientales & occiduos, ipse ἀνατολικοὺς & λιβυκοὺς, siue δυκτικοὺς uocat. Plerunq; tamen, ut dixi, non semper, quũ nonnunquã promiscuè apelioticum & anatolicum capiat. Atq; hæc quidem obseruatio superiori rectè subijcitur, quum utraq; ad morbos pertineat.

PTOLEMAEVS. XCIII.

Ex figuris nõ antè iudicabis, quàm coniunctionẽ feceris. Principia enim in unaquaq; coniunctione transmutantur: quocirca ambas misceto, nec errabis.

PONTANVS.

Non semel, uerùm etiam sæpius Ptolemæus nos admonet lunaris cum Sole coitus contemplandi: nec profectò absq; summa ratione: quum enim Sol mediam mundi regionem teneat, eius in ipso mundo autoritatis potestatisq; est, cuius in corpore animalium est cor: atque ut corpori uniuerso cor, sic cœlo ac mundo Sol præest. Luna quoque quòd terris finitima, non modò Solis, uerùm etiam cæterorum planetarum radios atq; influxus ab illis acceptos terris refundat, accursus sui pernicitate singulis mensibus

eisdem cõiungatur, iure etiã potestas eius secũdo loco habetur, iure utriusque cõiunctio cum primis obseruanda præcipitur. Monemur igitur quũ de re negocioq; quopiam suscipiendo consulimur, licet interrogationis figuram constituerimus, licet planetarũ configurationes collocationesq; probè inspexerimus, licet etiam coniunctionem Solis ac Lunæ, quæ præcessit quæstionem, considerauerimus, ne antè quid cœlum promittere uideatur iudicemus, aut negocium de quo quæritur suscipiendum censeamus, quàm coniunctionem etiam Lunæ ac Solis proximè futuram contemplati fuerimus: quòd principia singulis coniunctionibus mutari soleant, id est, quòd significatio illa cœlestis, quæ ab antecedente coniunctione portendebatur, influxusq; cœlestes in elementis, rebusq; elementaribus, à coniunctione in coniunctionem menstruam mutationem suscipiãt: hoc autem eiusmodi est. Quærit scire ex nobis Marcus, an commodum futurũ sit, si ipse cum familia rus migret. Nos constituta consultationis huius figura, quæ ab ipsa figura portendantur, primùm uidebimus, deinde ne decipiamur, figuram etiam lunaris cũ Sole coitus, qui proximè anteceßit, inspiciemus, & ipsas figuras significationesq; conferemus. Quia uerò huiusmodi interrogatio paulò ante finem mensis facta est, & principia, ut dictũ est, singulis Lunæ cum Sole coniunctionibus mutantur, figurã etiam futuræ cõiunctionis Lunæ cum Sole constituemus, quam cum præteritæ coniunctionis figura conferemus, & secundum qualitatẽ collationis iudicabimus, significatione significationibus comparando. Hoc est igitur quod Ptolemæus præcipit, ut utranq; figuram misceamus, figuram scilicet coniunctionis eius quæ anteceßit, & eius quæ mox insequetur. Hoc autem propter principia, quæ singulis Lunæ cum Sole coniunctionibus iuxta naturam qualitatemq; cœlestis configurationis mutantur. Quibus figuris, earumq; significationibus inuicem comparatis, exacteq; pensitatis, in ferenda sententia errari nõ poterit. Sunt qui præceptum hoc ad principatus ac regna referant, nec Solis Lunæq;, sed aliorũ planetarũ coniunctiones intelligendas censeant: quinetiam ubi nos principia transtulimus, ipsi transferant intelligantq; imperia: Græcè enim ἀρχὴ utrunq; significat, principium & dominatum. Iuxta quorum opinionem uerba Ptolemæi uertenda sic erunt, ex figuris non antè iudicabis, quàm coniunctionem feceris. Imperia enim in unaquaque coniunctione mutantur, capiendo coniunctionẽ non Solis Lunæq;, sed cæterorum planetarum coitum, quod huiusmodi est. Imperia, regna, & Pontificatus maximi non antè cœperunt, quàm à potenti aliqua & maximè ualida planetarũ coniunctione significarentur: quibus inceptis ac permanentibus, necesse est, pòst aliæ atq; aliæ, & quidem diuersæ planetarum coniunctiones sequantur, ac pro figurarũ coniunctionumq; qualitate dominatores

tores mutentur, ac nunc hi, nunc illi dominatũ ſuſcipiant. Quamobrem in rebus principatuum, regnorum, ac Pontificatus maximi prædicendis, non ſemper primi illi dominatores attendendi ſunt, ſed potius qui pro tempore fuerint, quum mutari eos contingat. Fieri enim poteſt, ut dominatus qui principio Saturni aut Iouis fuit, transferatur in Martem propter autoritatem coniunctionis pòſt inſecutæ: ex qua mutatione Saturnini aut Iouij in Martiũ dominatus, neceſſe eſt, rerũ regni, põtificatusq; mutatio ſequatur, pro natura rerũ ſignificationumq; quæ à Marte portenduntur. Ne igitur (ſi de ijs iudicaturi ſumus) aut ſponte noſtra, aut conſulti ab rege pontificé ue, inconſultius aliquid pronunciemus aut reſpondeamus, figuras conſtituemus tum cõiunctionis, quæ regno pontificatuiq; initiũ peperit, tum coniunctionis, quæ pòſt inſecuta cauſam præbuit imitij cum ipſo dominatore mutandi. Figurasq; ipſas probè conſtitutas inuicem conferemus, collatasq; miſcebimus, atq; alterius ſignificationes cum alterius ſignificationibus miſcendo temperabimus. Quibus temperatis, rebusq; de quibus prædicturi ſumus pro natura ſua penſitatis, uix fieri poteſt, ut in pronunciãdo reſpondendoq; labamur. Hanc nos opinionem ut ſanam etiam atque etiam probamus: uereмur tamen ne non ſatis huic Ptolemæi enunciato conueniat: conſueuit enim Ptolemæus, quoties σύνοδον, id eſt coniunctionem dicit, Lunæ Solisq; coniunctionem capere: quum autem planetarũ aliorum coniunctionem ſignificare uult, quorum ea coniunctio planetarũ ſit, nominatim exprimit. Quocirca quum hoc in loco ſynodum tantũ dicat, Solis ac Lunæ ſynodus intelligenda uidetur, iuxta conſuetudinem eius. Adhæc ubi dicit, ambas miſceto, ſi de coniunctionibus planetarum aliorum, quàm de Solis Lunæq; coniunctionibus intelligeret, ambas non dixiſſet. Nam ex quo regnum principatus'ue cœpit, quum alias atq; alias planetarum coniunctiones fieri contingat, ſingulisq; coniunctionibus initia (ut ipſe ait) mutentur, nõ ambas, id eſt duas tantum diceret, ſed quòd fuiſſe contigiſſet. Sin duas tantum poſtremas intelligi uellet, non dixiſſet, ambas miſceto, ſed duas poſtremas. Verba ipſa Græca ſunt ἀμφοτέρα σχήματα, id eſt ambas figuras, ſiue utranq; figuram. Igitur cum σύνοδον tantum dicat, nec cuius ſit addat, ſitq; mos Ptolemæi, Solis Lunæq; coniunctionem ſignificare, quoties σύνοδον tantum dicit: adhæc cum ambas, nõ omnes, nec duas poſtremas dicat, & planetarum coniunctiones plures ac diuerſæ ſint, ac regno principatuq; permanente, multas fieri contingat: contrà quum interrogationes ipſas neceſſariò proxima una Solis Lunæq; cõiunctio antegrediatur, altera item una proximè ſequatur, hæq; tantummodo ſint duæ, iure quũ ambas dicit, duas has Solis Lunæq; coniunctiones dicere uidetur: quarum altera, ut dictum eſt, proximè anteceſſit, altera proximè ſequitur,

ipſaq; Ptolemæi uerba ſic erunt intelligenda. Ex figuris ſcilicet interrogationis ac nouilunij, quòd nouilunium interrogationem ipſam proximè anteceſſit, non antè iudicium feres, quàm figuram nouilunij mox inſequentis feceris, propter principia quæ in unoquoq; nouilunio mutantur: atq; ubi coniunctionis utriuſque, & antegreſſæ & futuræ, conſtitutionem feceris, ſimul utranq; miſcebis & conferes, ſignificationesq; inuicè comparabis: quibus mixtis comparatisq;, errare non poteris. Poterit autem qui hæc uiderit, ſuum quoq; iudicium utraq; de opinione ferre.

PTOLEMAEVS. XCIIII.

Locus potentioris ex dominatoribus ea quæ in cogitatione ſciſcitantis ſunt, indicat.

PONTANVS.

Qui ad nos conſulturus uenit, de re profectò aliqua, quam aut deſtinauit facere, aut deſtinaturus eſt, ut conſulat uenit, forſitan etiã tentaturus uenit. Vtcunq; ſit, non ſine animi ſui motu uenit ad conſulendum. Qualis autem motus eius, quæq; conſultoris mens ſit, & quam in rem intendat, dominatorum princeps monſtrabit. Quum enim interior animi motus cauſa ſit quæ illum ad interrogandũ adducat, cognito atq; inſpecto planeta, qui motus eius excitator eſt, mens uoluntasq; conſultoris ipſius apparebit. Prima igitur motus illius cauſa ab dominatorum principe, ubi plures dominatores erunt, id eſt qui ex omnibus maximè pollens eſt, quæretur. Pollentiſſimus autẽ erit, qui in cardine collocatus & plures, & digniores prærogatiuas habebit, ac felicius illuſtrabitur, et quacunq; parte conſideratus maiore autoritate præditus erit. Hoc autem inuento, loci quoq; & ſigni, in quo poſitus eſt, qualitas animaduertenda eſt. Nanque ſi decimo in loco erit, mens, cogitatio, propoſitumq; eius de ijs rebus erit, quæ loco decimo adſcriptæ ſunt, puta de gerendo magiſtratu, de dignitate, de magiſterio, de regno, deq; actionibus ad hæc ipſa pertinentibus. Quinetiam ut propoſitum conſultoris, & id in quod ipſe intentus eſt, magis magisq; introſpiciatur, natura dominatoris illius, qui cæteris præeſt, probè examinanda eſt, ac uidendæ res quæ poteſtati ſignificationiq; eius attributæ ſunt. Nec ab re fuerit, aſpicientium qualitates conſiderare, ut unà miſcere, ſi quid miſcendum uidebitur, poſſis. Oportet enim mathematicũ ſolertẽ eſſe, cuius ſolertia in miſcendis temperandisq; ſignorum ac planetarũ qualitatibus, eorumq; ſignificationibus potiſſimũ perſpicitur. Hoc enunciatũ quum ad interrogationes planè pertineat, ſitq; ſuperiori ſubiectũ, uideri fortaſſe poterit nonnihil opinionem noſtrã ſuſtentare, ut quæ ſuperiori tradita ſunt præcepto de Solis Lunæq;, non de aliorũ planetarũ coniunctionibus intelligenda

genda sint. Cõsueuit enim Ptolemæus eiusdẽ materiæ præcepta cõiungere.

PTOLEMAEVS. XCV.

Quæ cum singulis oriuntur decurijs, ea nati uoluntatem ad artem quam tractat comprobant.

PONTANVS.

Quanta mathematici cura, & quàm intentum studium esse debeat, singula Ptolemæi non modò præcepta, sed propè uerba nos docent: sunt enim tum multiplices, tum maximè difficiles eius considerationes. Atque ut ad rem, qua de agitur, quæ quidem obstrusissima est, ueniamus. Vetustissimorum mathematicorum sententiæ conuenere, ut in singulis decem gradibus signi cuiusq;, quos decẽ gradus Græci δεκάνους, ego sæpius decurias uocaui, recentiores satis ineptè facies appellant, imagines quædam atq; simulacra cum ipsis quidem decurijs oriantur, ea Græcè dicuntur παρανατέλλοντα, à nostris hodie, ut dixi, uocantur imagines, ego libentius uocarim simulacra. Hæc, inquam, simulacra in genituris, natalitijsq; stellarum decretis cum primis sunt consideranda, quòd ad imaginariã uim imprimendam plurimùm conferant. Quamobrẽ ut intelligere possimus quas ad res natus ille, cuius mores ac fatum quærimus, propensior futurus sit, non parũ profuerit perscrutari, quod cum ascendente nati eius simulacrũ exortum sit: siquidem in orientis cardine constitutũ ac uim suã in imaginaria illius imprimens, magis ac magis nati phantasiam excitabit: qua excitata uoluntatem etiam ingenerabit, atq; à planetis signisq; ingeneratam etiam augebit, ut eas artes sequatur, atq; in ijs uersetur, illis demum ipsis delectetur, quæ à simulacro ipso significãtur, ad quæ exercenda ab insita ui simulacri commouetur. Ausimq; affirmare, secretas quasdam appetitiones, animorumq; propensiones ab his potissimũ simulacris defluere. Dicitur autem cum prima Arietis decuria nigri hominis simulacrũ oriri, stantis quidem & albo induti, præcinctiq;, atq; irato similis, magno quidem corpore, rufis oculis ac ualidis uiribus. In secunda decuria mulieris simulacrum, cuius uestis exterior quidem rubra, interior alba est, & ipsa pedem alterũ protendere uidetur, ac si ornatum, uestem, ac filum inquirat. In tertia simulacrum albi hominis, cæterùm rufo capillo, ac uestitu rubente, ipse inquietus atq; irato similis, aureamq; armillam manu gestans, ligneũ baculum præferat, eo mentis acumine, ac nouorum artificiorũ studio, ut uideatur bona multa præstare uelle, quæ tamen ut cupit implere nequeat. Hæc de Ariete attigimus, ut ex his lector intelligere apertè possit, quæ sint hæc simulacra de quibus Ptolemæus præcipit, atq; ut ex simulacri cuiusq; habitu quid nato portendatur conijciat.

PTOLEMAEVS. XCVI.

Significantia eclipsis decreta sunt eius quæ propius cardines. Considera etiã naturã stellarũ simul consistentiũ tum erraticarum, tum fixarũ, ac etiam simulacra coorientia, & secundũ hæc pronuncia.

PONTANVS.

Lunæ Solisq; obscuratio Græcè ἔκλειψις, à maioribus nostris deliquium & defectus indifferenter dicitur. Eius uires rebus his inferioribus afficiendis potentissimæ, & ut ita dixerim, principalissimæ sunt: quandoquidem luminaria ipsa corpori spirituiq;, id est uitæ dominantur, ac radijs agitationibusq; suis elementa ipsa, quæq; ex elementis constant, sic moderentur, ut rustici etiam id intelligant. Iure igitur à mathematicis quoties contigerit, diligentissimè obseruãda est, siue ea solaris, siue lunaris eclipsis fuerit, atq; eò magis quòd docti indoctiq; eclipses ipsas mirum in modum formidant. Quid enim horribilius, quàm fulgentissima illa corpora tenebris atq; obscuritate obducta, repente oculis eripi? Ipsorum autem defectuũ significationes maiores minorés ue tum pro ipsorũ magnitudine aut exiguitate, tum etiã pro cœli locis, in quibus fieri eos cõtingit, esse consueuere. Cardinales enim pollentiores sunt, ac uehementius afficiunt, quippe quum cardines sint prima mundi loca, in quibus planetæ collocati cum maiestate præsideant. Quocirca rectè Ptolemæus dixit, eclipsis decreta illa quidem significantia, id est admodum potentia esse, quæ propius cardines sunt, uidelicet quæ significantur portenduntur q; à defectu, qui fit in gradibus cœli angulo proximis, aut in loco cardini finitimo ea fore maioris efficaciæ. Verum ad significationes ipsas exactius cognoscẽdas duo in primis à mathematico uidenda sunt, spatium defectus, id est quantitas obscurationis, & cardinum propinquitas. Quibus uisis restat etiã considerare quæ stellæ siue fixæ, siue erraticæ cum Sole Luná ue simul sint, dum ipsa luminaria deliquescunt. Simulacra quoq;, quæ diximus Græcè uocari παραναστέλλοντα, quæ uidelicet cum horoscopo atq; ascendente decuria exurgunt, uidenda. Quibus uisis inspectisq;, pro natura loci & stellarũ coniunctarum, proq; simulacri significatione iudicium proferemus. Atq; (ut distinctius pronunciare possimus, quibus in regionibus significationes illæ casuræ sint, aut quibus minentur urbibus) mundi declinationes, quæ Græcè dicuntur κλίματα, considerabimus, nec non cardines, id est ortũ, occasum, medium & imum: cõuersiones etiam regnorum, & urbium, & geniturarum, ut intelligamus quibus regibus, regnis, populis, nationibus, ciuitatibus, hominibus deniq;, ea quæ portenduntur immineant: quibus etiam

in rebus

in rebus damna sint obuentura, in domesticis ne facultatibus, an in dignitatibus, an in uxore, liberis, prædijs, rebus ue alijs: an deniq; in uita, pro natura loci quem signum illud obtinebat in genituris hominum, in fundationibus urbium, in creationibus regum, in figura conuersionis anni, quo in signo defectus factus est. Tempus autem quo significationum effectus manifesti fient, ex præceptis quæ superiore libro tradita sunt, intelligetur. Horæ nanq;, et horarum minutæ partes, annos, menses, ac dies indicabunt. In primis autẽ considerare nos oportet, an cardo eclipsi proximus, sit cardo diei noctis ue, qua deliquium fit, an figuræ conuersionis anni, an creationis regis, an fundationis urbiũ, an genituræ: & si est cardo diei noctis ue, quem locum signum id tenebat in genitura, in fundatione, in regis creatione, ut iudiciũ quod ferendum est, constare sibi possit: quum errare necesse sit, ubi hæc fuerint neglecta. Quod reliquum est, quodq; alias diximus, nos indifferenter pro arbitrio, atq; ut locus ipse magis suadet, nomen ἀποτέλεσμα *conuertimus nunc effectum, nunc significationem, nunc decretum, ut hoc loco, nunc iudicium, nonnunquam operationẽ, actionem, efficaciam.*

PTOLEMAEVS. XCVII.

Res de qua est scisitatio, breui perficitur, quum nouilunij seu plenilunij dominus cardinalis est.

PONTANVS.

Hoc præceptum ad quæstiones, hoc est interrogationes tantum pertinere, autoris ipsius uerba declarant, & ipsum per se quidem patet. Tanta autem uis autoritasq; cardinum esse perhibetur, uti negocium de quo consulimur, non solùm faciundum, sed breui etiam perficiundum decernat, si dominus nouilunij, plenilunij ue in cardine sit inuentus. Licet autem dominus ipse cardinalis sit, uidendum tamen ne in depressione sua langueat, né ue à maleficis stellis hostiliter irradietur: hæc enim negocium ipsum non parum impediunt. Quod autem ad translationem ipsam pertinet, Græcè ubi à nobis dominus dicitur, est κύριος: *ne quis pro domino accipiat dominatorem, qui Græcè dicitur* ἐπικρατητής. *Et dominator quidem est qui pluribus maioribusq; prærogatiuis præditus est, dominus qui signo præest. uerbi gratia. Mars est dominus Arietis, Sol Leonis, Mercurius Geminorum. Vbi etiam Græcè est* πρᾶγμα, *nos res transtulimus. Nam & rem, & negocium Græcè* πρᾶγμα *significat. Meminisse etiam debemus superiore libro dictum esse, ubi dominator nouiluniĩ cardinalis esset, significare quæ toto essent mense futura. quod quidem non mediocriter confirmat hoc quod nunc de negocio conficiendo dicitur:*

ſed illic de dominatore tantũ nouilunij mentionẽ facit, hìc de domino etiã plenilunij. In enunciato ſexageſimoſecundo, item ſexageſimoquarto nullam de plenilunij dominatore mentionem facit, præſe ferens aliam in rebus ac negocijs alijs conſiderationem habendam eſſe, & nouilunium quidem principalius eſt, plenilunium ſecundæ cuiuſdam autoritatis, quum nouilunium menſis curſusq; ſeriem inchoët, plenilunium non ab ſe, ſed ab nouilunio principium trahat. Dominum hunc plenilunij nouilunijq; non putamus intelligendum qui ſigno dominetur, in quo coniunctio oppoſitiõ ue facta eſt, nam de more ſuo dominum loci nouilunij aut plenilunij dixiſſet, ſed potius ſigni dominum, quod coniunctionis oppoſitionis ue tempore horoſcopat. Videndus eſt igitur dominus plenilunij, ſi plenilunium anteceſſit interrogationem: ſin nouiluniũ præceſſit, dominus eius inſpicietur. Huic enunciato adiecta etiam nonnulla ſunt in libris qui ex Chaldæo conuerſi ſunt, quæ etſi uana non ſunt, à Ptolemæo tamen hac in parte non traduntur, neq; Græcis in codicibus leguntur.

PTOLEMAEVS. XCVIII.

Traiectiones atque crinitæ ſecundas partes in iudicijs ferunt.

PONTANVS.

Quum dixiſſet maximas ac ualentiſſimas eclipſiũ ſignificationes eſſe, hoc in loco docere nos uoluit, quam & cometarum, & traiectionum habere rationem debeamus. Eclipſes enim in cœlo fiunt, cometæ in aëre. Et cometæ quidem quũ ſtellæ non ſint, ita tamen igneſcunt ut ſtellæ putentur: contrà Sol ac Luna quũ ſint ſtellæ, & quidem luminares, fulgore repente ablato ac ſi deficiant, obſcurantur: quæ obſcurationes eclipſes uocantur. Eam, inquit, de crinitis traiectionibusq; quũ in aëre cernuntur, rationem habere nos oportet, quæ habenda de ijs eſt, quæ non proprijs, ſed alienis: non primis, ſed ſecundis poteſtatibus nituntur, uiribusq; utuntur minoribus. Et ſecundaria quidem, ſic enim uocari par eſt, ab ſtellis excitata, ac ſurſum ducta, raptaq;, in corpusq; obdenſata, in aëre cernuntur, quæ ſtellarũ ipſarum opera, ut ab illis effecta meritò dicuntur. At ſtellæ cœlo feruntur, ſuntq; efficientes cauſæ. Itaq; primæ ac potiſſimæ illarum partes ad ſignificandum atq; efficiendum ſunt. quã ob cauſam prima maximaq; tribuenda ijs autoritas eſt, ſecunda uerò autoritas, & ut ita dixerim, mutuatitia poteſtas ſecundarijs. Quæ autem ſint quæ dicuntur ſecundaria, Ptolemæus docet, crinitas & traiectiones nominans, quas ipſe διάδοχας, & κομήτας ſuas, id eſt Græca lingua, uocat. Et cometæ quidem qui ſint omnes intelligunt: traiectiones uerò ſunt, quas tranſcurrẽtes ſtellas nouo nomine quidam

quidam uocant, quales sunt ignitæ trabes, & faces, & titiones, & iacula, quæ à iaciendo, sicuti traiectiones à traijciendo nomen traxere, de quibus à physicis, quũ de meteoris agunt, multa dicuntur, & nos ea uersibus complexi sumus. Hoc loco memores esse debemus etiã tertij decimi enunciati, quod est, quum cœlestis affectio quippiã significauerit, adiutricibus etiam corruptiuis stellis, hoc est secundarijs utere. Nam nec propterea secundarijs utendum est, quòd primæ significationes earũ sint, sed quòd causæ primitiuæ, quum non tam sint in promptu, sitq; mathematico cõiectura opus, ut in ipso initio dictum est, secundaria ipsa ut effectus quidam ex causis primitiuis manantes, signa quædam sunt, quæ causas ipsas indicant. Ea signa secutus mathematicus, de causarum significationibus iudicium ferre certius poterit: quemadmodum medicus, qui & ipse quoque signa sequitur de morbis. Sunt enim secundaria ipsa, indicia quædam cœlestium causarum, sicuti signa quæ in morbis obseruantur, indicia causarum, unde morbi ipsi generantur. Igitur & hoc ipsum, & quæ sequuntur enunciata, quum traiectiones, & crinitæ secundæ quædam stellæ sint, post præcepta obseruationesq; de stellis quæ cœlo feruntur traditas, conuenientissimè obseruanda traduntur.

PTOLEMAEVS. XCIX.

Traiectiones aëris siccitatem indicant, quæ si ad unam partem feruntur, ab angulo illo uentum indicant: sin in diuersas feruntur partes, aquarũ imminutiones, aëris turbationes, & exercituum incursiones indicant.

PONTANVS.

Consentaneum erat, ut traiectionum crinitarumq; significationes, quæ secundas esse uult in iudicando, distinctius explicaret. Quum autem Ptolemæus ipse alias traiectionum, alias crinitarum significationes esse cerneret, primo loco de traiectionibus, secundo de crinitis præcipit. Traiectiones igitur, quòd à traijciendo dicantur, ipso nomine declarant cuius naturæ sint, quodq; nunc in hanc, nunc in illam, nunc in aliam atq; aliã mundi regionem traijciantur: siquidem ab uno cœli tractu uersus alium impetu quodam actæ feruntur. unde etiam à quibusdam discursus uocãtur. Quoties itaq; ab uno cœli tractu alium uersus feruntur, uentum ab eo à quo discedunt tractu flaturum denunciant. uerbi gratia: Quum ab occiduo cardine orientẽ uersus discurrunt, futurũ indicant, ut ab occasu uentus paulò pòst oriatur, quòd tractus ille, unde traiectio ipsa labitur, uaporum abundè plenus sit. Quod sentiens Plinius ait: Fieri uidentur & discursus stella-

rum nunquam temere, ut non ex ea parte truces uenti exoriantur. quod nos carminibus quoq; teſtati ſumus noſtris:

Quinetiam qua ſe incandens nocte extulit ignis,
Ille quidem claro ſignans liquidum aëra tractu,
Inde ruet portis quamprimum uentus apertis.

Vbi uerò diuerſis è mundi regionibus, pluribus q̃; ſimul è partibus traiectiones rapiuntur, uenti quoq; plures ac diuerſi erupturi ſunt, ipſaq̃; uentorum uarietas aërem turbabit. Indicatur etiam aquarum penuria, ac raritas pluuiarum. Quum enim è uarijs traiectiones partibus ferantur, neceſſe eſt ut partes illæ ſiccis aſpirationibus admodum abundent, è quibus traiectiones ipſæ conſtant, cuius etiam qualitatis uenti ſunt: ſiquidem aridos halitus eos eſſe phyſici uolunt. quinetiam aëris turbationem ſequi neceſſarium eſt. multitudo enim exhalationũ uarijs aëris tractibus impulſa, quum & uenti, & ipſæ ſibi inuicem exhalationes aduerſentur, turbas ut excitet oportet. Tanta hæc aridarum exhalationũ copia, ſine pluuiarum raritate & aquarũ penuria eſſe nequit. Pluuijs enim ceſſantibus, ac terra ipſa exhalando exucta exiccataq̃;, adapertis terræ foraminibus, quum aër incluſus exhalet, neceſſe eſt fontes quoq; ipſos areſcere, quorum generatio eſt ab aëre in intimis terræ locis concreto, qui frigore addenſatus in aquã conuertitur, qua manante fontes ſcatent, ac fluuij labuntur. Atq; hæc quidem in aëre terriſq̃; à traiectionibus ſignificantur. Quod uerò ad homines, qui in terris uiuũt, atq; ex aëre ſpiritũ ducunt, attinet, ſic ſe habet. Traiectiones hæ, præſertim ubi frequentiores atq; maiores fuerint, hoſtiũ incurſus obnunciant. Cuius rei ratio hæc uidetur eſſe, quòd exhalationũ harum cauſæ ſint ſtellæ calidæ ſiccæq̃; temperaturæ, quæ nõ aërem ſolum inficiunt, illum arefaciendo, ſed calefacto atq; exiccato humani corporis ſanguine, rubram bilem, quæ cholera nunc dicitur, magis ac magis incendunt: cuius proprium eſt, propter inſitã efferueſcentiam, ad impetus uiolentos ac rapaces ferri. Quo fit, ut homines impellente cholera, ſanguinis freno abrupto, ad rixas, diſcordias, rapinas, demũ ad arma rapiantur. quarum quidem rerum traiectiones ſunt ſignificatrices. Cæterùm cauſæ penes ſtellas ſunt, quarum motibus agitationibusq̃; elementa in diuerſas qualitates ita uertuntur, ut nunc hæ, nunc illæ qualitates exuperent, de quarũ exuperantia hæc ipſa, quæ quotidie uidemus, efficiuntur. Ex his traiectionibus eæ quæ trabes dicuntur à multis, emicuiſſe referuntur, quũ Lacedæmonij claſſe ſuperati Græciæ imperium amiſere: Fulſiſſe etiã in cœlo ſanguinea quædam ſpecies, quo tempore Philippus Græciæ urbes afflixit. Generantur autem & trabes, & faces, & iacula, quæq̃; alia ſunt eius generis, hac ratione & uia. Terra Solis radijs calefacta quum uaporũ multorũ plena

ſit, eos

sit, eos emittit foraminibus apertis atque à calore dilatatis. Quod nostris etiam corporibus accidit, ut calore atq; æstu sudorẽ plurimũ mittant. Ipsa terræ exhalatio duplex est: altera humidor, quippe quæ uaporosior est: altera siccior, quòd exucto terræ humore qui exhalat spiritus fumidus est. Igitur halitus hic à calore sursum raptus, ubi ad altiores aëris partes perlatus est, assiduis exhalationibus auctus, tandem incenditur, incensusq; emicat, et pro ipsius longitudine latitudineq; nunc in facis speciẽ, nunc trabis, aliâs iaculi, aliâs etiam draconis ignescit. Ex eadem arida aspiratione & uenti generantur. Siquidem uentus (ut Aristotelica definitione utamur) est agitata quædam circa terrã aridæ è solo aspirationis multitudo. Quocirca quum arida ex aspiratione & traiectiones, & uenti fiant, naturale est, ut è qua parte traiectiones impelluntur, ex eadem & uenti perflent. Fit enim significatio, regionem illam siccis halitibus refertam esse.

PTOLEMAEVS. C.

Cometæ, quorũ intercapedo est undecim signorum à Sole, si apparuerint in cardinibus, regni alícuius rex, aut ex principibus regni aliquis morietur. Sin in loco succedente, bene se habebunt quæ thesauri eius sunt, suum tamen gubernatorẽ mutabit. Quòd si in loco declinãte, morbi ac repentinę mortes erunt. At si ab occasu mouentur ad ortũ, externus hostis regiones incursabit: sin non mouentur, prouincialis hostis erit.

PONTANVS.

Stella crinita, quam comatã non minus rectè diceremus, quia noctu quidem conspici solet, ea matutino tempore in orientis cœli parte primũ apparere, nisi undecim à Sole signis remota, nequit: si tamen à Sole in crinitam per signa subsequẽtia numerando progrediamur, quemadmodum fit in quærendo loco partis fortunæ tempore diurno. Hac enim ratione undecim signis à Sole enumeratis, si comata stella in horoscopo fuerit, inuenietur Sol triginta sub terrã gradibus, aut circiter, ab horoscopo distare: quoniam si propinquior esset, cerni cometes non posset: quippe qui solari splendore afflatus, ac tanti luminis maiestate uictus omnino delitesceret. Eadem comata stella in parte occidui cardinis uespertino tempore apparere nequit, præterquã undecim à Sole signis remota: si tamẽ à Sole in crinitã, quemadmodũ fit, in quærendo loco partis fortunæ nocturno tẽpore, per signa quæ antecedunt numerando pergemus, propter eandẽ quæ dicta

est causam. Sol etenim triginta gradibus à crinita remotus, ac sub terras ab occasu præcipitatus, occulere nobis illam nequaquam potest. uerbi gratia: Si cometes est in ortu atq; in ultimo Arietis gradu, cerni mane poterit, Sole primum gradum Geminorũ in hemisperio inferiori tenente, quũ integris triginta gradibus à Sole absit. Poterit & uesperi in occasu cerni, ubi in primo Libræ gradu fuerit: si tamen Sol in ultimo gradu Leonis constitutus triginta gradibus fuerit sub hemisperio nostro præcipitatus. Eadem etiam ratione uespertino tempore crinita stella in principio octaui loci, qui succedit occasui, uidendam sese nobis offeret, si triginta gradibus à Sole distet, hoc est, si eius intercapedo sit undecim à Sole signorum, numerando à Sole in cometen, per signa antecedentia, ac Sole prius sub terras delato. Necesse est igitur cometes ipse in octauo cœli loco conspectus, primasq; Cancri partes insidens, quò uideri possit, uti Sol ultimas Tauri partes peragrans, sub terris feratur. Item in loco declinante, hoc est in duodecimo, matutino tempore cometes positus oculis se nostris subtrahet, nisi triginta saltẽ gradibus sit ab Sole remotus, hoc est, ut undecim ab eo signis Sol recesserit, ab ipso Sole in cometen per signa subsequentia facta dinumeratione. Aliter enim in ipso Sol oriente, aut propinquiore in parte splendens, uisu nostro hebetato, cometen occulet, qui ut matutino tempore atq; in duodecimo loco & ultimo gradu Piscium constitutus appareat, necesse est saltem ut Sol in principio Tauri constituatur, dum tamen horoscopum non attingat. Hæc est ratio, cur dixerit undecim signorum à Sole, atq; in loco succedente ac declinante, non autem succedentibus ac declinantibus. Quoniam locus succedens in parte cœli superiore præter octauum alius nullus est. Neque locus declinans nisi tantum duodecimus intelligi potest. In loco enim nono, qui à cardine medij cœli decidit, conspici cometes nequit, Sole undecim signis, ut antè dictum est, ab eo remoto, hoc est locum cœli undecimum tenente, siquidem necesse est meridianum penè tunc tempus esse. Cardines plurali numero protulit, quòd in occasu et in ortu hoc contingeret, qui duo sunt cardines. Hæc ita sunt accipienda, ut de matutino ac uespertino cometæ ortu dicta intelligantur, utq; in locis his cometes mane aut uesperi oriri nisi undecim, ut dictum est, signis inter Solem cometenq; interiectis, non possit. Sed iam loquendi obscuritate discussa, ad iudicia significationesq; ueniamus. Stella igitur crinita si ortum matutinum uespertinum'ue in cardinibus faciet, matutinum in gradibus orientis cœli, uespertinum in gradibus occidentis, mortem ob cardinum dignitatem regis regni eius, quod signo in quo apparet subiectum est, indicat: sin minus, magni certè alicuius principis, exijs principibus qui in regno illo dominatus habent. Quæ mors citius accidet, ubi crinita matutinũ ortum faciet,

serius

ferius quum ueſpertinum. Siquidem matutini exortus ocyus agunt, ueſpertini tardius. Eadem crinita quum exortum ueſpertinũ in ſuccedente, hoc eſt octauo loco fecerit, mortem indicat regij adminiſtratoris, eius uidelicet qui theſauris, ornamentis, regiæq; ſupellectili præpoſitus eſt: & cuius curæ eſt illa gubernare. Quum enim cardo regem denunciet, qui cardinem ipſum ſequitur locus, quòd is locus cenſum denunciet, et crinita quoq; eius qui regij cenſus, hoc eſt theſauri, ornatus, ſupellectilisq; curam gerit, mortem denunciabit. Matutinus crinitæ ortus in declinante, hoc eſt duodecimo loco, morbos mortesq; ignobilium hominum decernit. Locus enim duodecimus quum ab cardine declinet, nec horoſcopum uideat, ſitq; hac ratione ignobilis, ignobilium hominum morbos, atq; ex morbis mortes, & quidem repentinas, quandoquidem eius repentinus exortus eſt, ſignificat. Quum igitur crinita in cardinibus orientis aut occidentis cœli apparens, regis mortem, in octauo regiorum theſaurorum ornamentorumq; præfecti, in duodecimo ignobilium hominum mortes denunciet, argumentari ex his poſſumus, crinitas ſtellas ortus matutinos ueſpertinosq;, quos diximus, facientes, mortes ſemper portendere, ac nihilominus bella, bellorumq; caſus ſignificare. Sed bella ipſa ab externo mouebũtur hoſte, ſi crinita ità in cœlo mouebitur, ut appareat in ortum ab occaſu ferri: qui motus manifeſtior erit in ortu ueſpertino: ſiquidẽ hoc pacto crinita incedens à Sole magis recedit, quàm quũ eſt in ortu matutino, quòd tunc Solem uerſus feratur. Ex quo fit ut breui deliteſcat radijs Solis umbrata, ut interdũ diebus ſeptem conſpiciatur, non amplius. Sin crinita ipſa ſteterit, ac perinde ut fixa manſerit, bellum non ab peregrino & longinquo, ſed finitimo ab hoſte inferetur. Motus enim ille crinitæ ſtellæ à loco in locum, motum quoq; hoſtilem ab una in alteram regionem indicat. Licet autem non moueatur, bellum nihilominus portendit, ipſaq; ſtabilitas atq; immotio hoſtem non aliunde moturum, ſed in eadem regione finitimisq; locis rebus nouis ſtudentem bellum excitaturum ſignificat, ut nonnunquam domeſticus hoſtis futurus ſit, ut quum ciuile mouetur bellum: nonnunquam finitimus, ut quum finitimus populus in finitimum populum armatus inſilit: interdum ex natione eadem, ut quum duæ nationis eiuſdem gentes ſimul concurrunt. Quibus è rebus hoc quoq; argumentari licet, ueſpertinos matutinosq; harum ſtellarum ortus non ſolùm mortes, ſed bella quoq; ſemper portendere. Vnde non temere ab docto illo poëta dictum eſt, nunquam cœlo ſpectatum impune cometen. Virgilius quoq; Iulij Cæſaris mortem, quæ ciuile bellum peperit, cometen ait anteceſſiſſe:

Non aliâs cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri totics arſere cometæ,

Quid quòd uulgus gentesq; in eandem hanc sententiam conueniunt? Ac de his hactenus. Quoniã autem diximus, crinitũ sydus nisi noctu conspici non posse, uideamus quid Plinius ex imperatoris Augusti uerbis refrat.

» His ipsis meorũ ludorum diebus sydus crinitum septem dies in regione cœ
» li, quæ sub septentrionibus est, conspectum. id oriebatur circa undecimam
» horã diei: clarumq; & omnibus terris conspicuũ fuit. Quomodo igitur nisi noctu conspici comata stella nequit, quæ circa undecimam diei horam conspecta est? An hoc sic accipiendum est, ut dies non pro solari, sed pro toto lucis ac tenebrarum spatio, quod est horarũ uigintiquatuor, accipiatur? atq; undecima illa hora non diurni, sed nocturni tẽporis fuerit. nanq; coronæ & circuli, qui circa Solis orbem cernuntur, quod nisi diurno tempore non fit, in numero crinitarum, de quibus diximus, nõ habentur, neq; de his autor hîc noster sentit. Illud omittendum non est, cardines & locũ succedentẽ declinantemq; accipiendos hîc non esse aut genituræ, aut creationis, sed figuræ ortus crinitæ ipsius, hoc est iuxta positionem ac cœli situm tempore quo conspici cœpta est, iuxta quam figuram iudicare debeamus. Ne quid autem omissum à nobis uideatur, quod ab Ptolemæo ipso de crinitis stellis secundo apotelesmatum libro traditum est, illud statim subijciemus, quod est huiusmodi. Obseruandæ autẽ crinitæ stellæ, siue illæ ecclipsium tempore, siue quandocunq; conspectæ sunt, generaliter etiã, ut quæ dicuntur trabes, lituí ue, aut dolia, quæq; huius generis: quippe quarũ naturæ sint, ea facere quæ Martis ac Mercurij propria sunt, bella & æstus, quæq; ex quibus hæc significantur, eorum ciendorum uim habent. Earum significationes capiuntur à partibus signiferi, in quibus conspiciuntur, & à figuris comæ innuentibus loca, quibus mala imminẽt. Species, euentus et genus rei eius, in qua detrimentũ accidet, à signis in quibus sunt, à mora temporis malorũ productio, & ab habitu ad Solem initium eorũ. Et enim crinitæ in oriente plerunq; apparentes, celeritatem designant, uespertinæ tarditatẽ. Ne autem quæ remotißima sunt à nostra memoria, semper referantur, priusquã Tamyris, siue ille Tamorlanus uocatus est, Scytharũ ac Parthorum rex, cum innumerabili manu Asiam inuaderet, longinquis è terris mouens, in orientis cœli cardine ingens cometes conspectus est, qui ortum uersus ferretur, hunc haud multò pòst ingens Asiæ penè totius clades secuta est. Nobis adolescentibus insignis etiam cometes ad orientẽ in Cancri Leonisq; regionibus multis diebus fulsit, tantæ longitudinis, ut amplius quàm duo cœli signa comæ suæ tractu occuparet. Eum secuta est Alphonsi regis mors, quæ Aemiliam, Sabinam, Campaniã, uniuersumq; regnum Neapolitanũ & longo, & graui bello implicauit. Secuta est & pestilentia aliquanto diuturnior. Annis his superioribus cometes alius tenui primò

nui primò capite, comaq; admodum breui conspectus est: mox miræ magnitudinis factus, ab ortu deflectere in septentrionem cœpit, nunc citato motu, nunc remisso, &, quod Mars Saturnusq; uterque repedabat, auersus ipse prægrediente coma ferebatur, donec ad ipsas Arctos peruenit. unde quum primum Saturnus ac Mars recto cursu pergere cœperunt, in occasum iter flexit tanta celeritate, ut die uno ad triginta gradus emensus sit: atque ubi ad Arietem ac Taurum peruenit, uideri desijt. Hic & dies plurimos fulsit: & qui initio breuior uisus est, adeò creuit, ut quinquaginta gradus, atque etiam amplius occuparet. Non multò pòst Vssonus Cassanus, Parthiæ atque Armeniæ rex, ad Euphratem profectus eo consilio ut Asiam inuaderet, collatis signis cum Mahometo Turcarum rege ita dimicauit, ut qui ingentem & inferret & acciperet cladem. Duo enim potentissimi exercitus, duo maximi duces, in paucis diebus bis conflixere. Eodem tempore Alphonsus Portugalliæ rex, satis magna classe in Africam traijciens, duas nobilissimas urbes, Tingin & Argillam ui cepit, oramq; Tingitanam armis subactam imperio suo adiecit. Sensimus ijsdem temporibus uniuersam Hispaniam quassari bello, & Erricum regem diem obijsse: Carolum quoque Burgundionum ducem aduersus finitimos quosdam populos regulosq; eo impetu mouisse arma, ut multorum etiam annorum bellum excitauerit: quod nuper eius morte uix finitum est. Anno millesimo ducentesimo, sexagesimoquarto à natali Christi die, mense Augusto, crinita stella in orientis cœli parte uisa est, quæ ab ortu ipso ad medium cœlum crines diffunderet, fulsitq; circiter mensibus tribus, nec ante desijt uideri, quàm Vrbanus Pontifex Maximus diem obijt. Quid etiam secutum est? Mouit è Gallijs cum exercitu Carolus, superatoq; Manfredo regnum Neapolitanum occupauit. Biennio pòst Pœni in Hispaniam traijciunt, magnasq; clades inferunt, tandemq; fugati ac cæsi. In Heturia quoque magni tumultus excitati, ac prælia facta sunt. Anno tertio ab comete Banducar Babyloniorum atque Assyriorum rex Armeniam ingentibus copijs inuasit, Antiochiam expugnauit, stragemq; ingentem Christianorum ædidit. Anno pòst Corradinus uictus captusq; à Carolo rege, de quo dictum est, ac securi percussus. Anno sexto ab comete Ludouicus Gallorum rex in Africam traiecit, Carthaginem ui cepit, nec ipse multò pòst mortuus est, magna parte exercitus pestilentia absumpta. Cuius morte cognita, Carolus, de quo dixi, quum in Africam traiecisset, Pœnorum regem ad tributa quotannis pendenda compulit. Anno pòst Scythæ, quos Tartaros hodie dicimus, Armenij opem ferentes, Assyrijs, hoc est, Sarracenis fugatis uictisq;, Asiam liberauerunt, quam Christianorum concessu diutius tenuerũt. Atq; ut qua etiam uia crinitæ stellæ

fiant pateat, ipsa rerum natura contemplanda est. Terra ut grauissima, sic etiam infima & media est eorum corporum, quæ quòd sint rerum principia, elementa dicta sunt, in quam ut mediam & infimam cuncta ferantur. Nam & cœlestium corporum radij in eam rectissimo lapsu descendunt, & quicquid substinere diutius aër nequit, suopte impulsu decidens terræ sese insinuat. Ipsa uaporis & halitus nutricula. Solis radijs calefacta, quos accepit humores, quos etiam aut sibi insitos celat, aut extrinsecus acceptos uapores utero suo fouet, assidua uicissitudine remittit, quos rursum ab aëre ipso remissos, atque ab Sole stellisq; discussos, moxq; dissolutos accipit, ultro citróque nunc illos exorbens, nunc contrà euomens, alternis his uicibus assiduè usa. Cuius alternæ uicissitudinis quum Sol generationis autor potissima causa sit, tam diu ipsa remittendi accipiendiq; alternatio constabit, quàm diu cœlum ac cœlestium sex stellarum moderator ipse ac princeps Sol terrã circumuehetur. Et quoniã quæ è terra euolant, in aliquẽ necesse est locũ euolent, neq; è densissimis atq; infimis locis, præterquã ad ea quæ minus rara & suprapositasunt, euolare queunt, qualis aëris natura & situs est, qui & terrã & aquas ambitu suo cõplecti tur, nimirũ aër ipse receptaculũ est omniũ quæ è terra aquisq; euaporãt, halant, aspirãt, sursumq; sublcuantur. Dicere de singulis uaporibus haliti busq;, & quid de quo fiat uapore halituq;, atq; unde imbres, niues, grandines q;, & quomodo generentur, loci huius non est. Et illa quidẽ humidis è uaporibus sursum perlatis, paulatimq; coactis, mox solutis fiũt: contrà comata sydera è siccis aspirationibus ad superiores aëris partes raptis. Duæ nanq; sunt in aëre ipso regiones & tanquã cellæ promptuariæ, altera humilior, sublimior altera, pro natura eorũ quæ ibi recipiũtur. Et humilior quidẽ frigidaria, quòd ibi conueniant quæ mox coacta, cõcretá ue frigore in pluuias, grandines aut niues abeunt. Sublimior altera calidaria dici recte potest, in quã quæ aridioris, calidioris'ue naturasunt perlata, et quòd maximè arida sint incensa, diuersa specie in unũ tamen cõpacta cernũtur. Sed minimè frequẽs & maximè admirabilis species cometarũ est. Nanq; ubi aridæ terrestresq; illæ aspirationes, diuturniores atque maiores fuerint, tunc in calidariam cellam rapti, effumantes illi halitus, pauciores primò ac rariores, mox accedente multitudine densiores facti, pòst magis ac magis coacti ariditate, atq; spissitudine sua, & quodammodo in fuliginem uersi, cœlestium corporũ radijs percussi, incensiq; inflammantur. Quodq; uniuersa illa materia momento eodem in corpus illud non cogitur, sed paulatim coalescendo sibiq; inuicem inhærendo, idcirco ex quo cœpit crescit, alimenta incendio subministrante halitu, pòst exuperãte incendio, deficiẽtibusq; alimentis euanescit. Antè tamen quàm euanescit cõglomeratio illa

coalescendo

coalescendo, inhærendoq; inferiore à parte, quòd ascensus ab inferioribus fit, quædam quasi coma cernentibus uidetur. quum sit coalitæ simulq; inhærentis materiæ tractus longior: quod in apibus uidemus, quæ ramo arboris suspensæ dependentesq; uuarũ racemi speciem reddunt, & in mulieribus incedentibus quum uestes posterius trahunt: quanquam pro materiæ suffumigatæ compactione non unam semper, sed aliam atque aliam speciem præferant, ut ab ijs, qui de meteoris tractant, distinctius tractari solet. Nobis satis nunc sit & causam, & uiam, qua comatæ stellæ generantur, ostendisse. Quæ quamuis ab ortu occasum motu eo qui diurnus dicitur rapiãtur, tamen nunc aduersæ, nunc obliquæ, nunc etiam sinuosæ, & aliàs celerius, aliàs tardius mouentur. Cuius rei causa est tum materiæ copia maior minor'ue, tum stellarum radij uel trahentes eas, uel impellentes, pro qualitate aspectus, & uiriũ efficacia.

COMMENTARIORVM IO. IOV.
Pontani in centũ Ptolemæi sententias
FINIS.


EXCVDEBAT BASILEAE
ANDREAS CRATANDER,
MENSE SEPTEMBRI,
ANNO À CHRISTO NATO

M. D. XXXI.



IOANNIS IOVIANI PONTANI DE REBVS cœlestibus Libri XIIII.

Eiusdem de Luna fragmentum.



Basileæ, Anno M. D. XXX.



ANDREAS CRATANDER LECTORI S.

Dispicienti mihi, lector amantissime, quo pacto nostra opera etiam Mathematices studiosis cõmunicaretur, rectissimè se obtulit illa IO. PONTANI, magno ingenio uiri, eruditissima ἀσχολογία. Quam siquis diligenter legerit, mox comperiet uerissimè à Comico dictum: Quot capita, tot sentẽtiæ: suus cuique mos. Neque mirabitur, cur cum ouũ (ut dicitur) ouo simile sit, tanta reperiatur inter homines & facie & moribus dissensio, cum ijsdem elemẽtis utrũque debeatur. Nam in his de rebus cœlestibus libris clarè demonstratur, cœli magnũ esse cum animantibus consortiũ, & nõ minus admirabilem similitudinẽ. Sicut enim animal nasci nisi ex utroque gignentiũ natura negatũ est (de putredine hic nihil agimus) ita ubi Solis & Lunæ opera desideratur, produci nihil potest. Quemadmodum enim mas agentis uires, fœmina patientis munere celebratur, Sol ita agentis uires, Luna patiẽtis habere putabitur. Sunt in fœmina ad fœtus nutrimentum certæ superfluitates paratæ, nec Soli desunt quibus conceptæ res naturales alantur. Vterus mundi cum terra dicatur, cur conceptum à Sole sperma euanescere sinat? Quod iã in animali cor est, Sol id esse in uniuerso mũdo uidetur. Caloris naturalis fons, ut Galenus ait, cor ipsum est in animalibus, cui ministeria ex præcordijs, & quæ alia iuxtà sunt, parãtur. Illud cor Solem credas, sed cui præcordia nõ deficiãt. Planetæ uerò reliqui Soli id præstant, quod cordi in animali, quæcũque sunt ei circumappositа. Horũ aspectus omnia uariegãt, formas permutant, nec eosdem in omnibus hi mores relinquũt: ut Medici mirari minime debeant, qui fiat, ut hominum temperamenta tam multipliciter sint uaria. Sed hic, lector humanissime, gustum uolui & specimen

exhibere: quòd si uidero meã operã studiosis quamplurimis non uulgariter probari, in promptu erit, eruditissima alia PONTANI monumenta producere: quorum admiratio, satis scio, tanta erit, ut se mihi multum debere doctissimus quisque haud dubiè sit confessurus. Tu interim nostros labores boni consule, atq; gratia ita prosequere, ut tuum nos profectum minime simulanter promouere curamus. Cæterum de Mathematica disciplina unum hoc addere uisum est, nullum esse studiorũ genus, cui hæc non plurimum adiumenti sit suffectura. De philosophia illud tam dubium esse nõ potest, ut nullam omnino, ferè dixerim, eius partem relinquas, si auferri istam patiaris: quãdo hæc perfecta philosophia, ut Cicero ait, putari debet, quæ de maximis quæstionibus potest copiosè disserere. Verũ in hoc genere Latinus autor nemo est, cui PONTANVS noster sit secundus. Vale.

EORVM QVAE HOC opere præcipuè habentur, Index.

A



Abortus. 286
Ακρόνυκτον. 98
Affectio. 276
Aegritudines uariæ. 296
Aegritudines unde. 277
Aegritudinum loca obseruanda. 278
Aequinoctium. 11
Aëris affectio. 193
Aetatum collatio. 148
Aetatis distributio. 64
Aetatum mutatio. 254 270
Alexandrinus tractus. 29
Almuega. 101
Anaphora horoscopi. 281
Anima à Sole inditur. 3
Anima. 194
Animæ diuisio. 215
Animæ passiones. 549
Anima uegetabilium. 4
Animi bona quatenus stellis subiecta. 67
Annus. 7
Anni partes. 147
Anthropophagi. 373
Antiscia. 33 34
Apogeon. 62
ἀπλανοπληξία. 301
Appetendi uis. 215
Appetitio. 131
Apulia siticulosa. 165
Aquarij effectiones. 187
Aquarij fines. 47
Aquarij ortus. 31
Arabia petrea. 189
Aries cur signum primum. 7
Arietis effectiones. 142 154
Arietis fines. 41
Arietis motus. 31
Arietis situs & significatio. 145
Artium datores. 219 226
Ascendens. 62
Aspectus. 25 102
Aspectus benefici. 27
Aspectus dexter. 54
Aspectus siniſter. 54
Aspectuum genera. 55
Aspectus πλαγυκός. 57
Aspectus hexagonus. 26
Aspectus maleſici. 27
Aspectus partilis. 278
Aspectus platicus. 278
Aspectus quadrangulus. 278
Aspectus sepositus. 278
Aspectus τετράγωνος. 26
Aspectus τρίγωνος. 26
Aspiratio terræ. 137
ἀσχολογία. 4
Astrologia ex obseruatione. 69
ἀσύνδετος. 277
Atra bilis. 121
Atræ bilis natura. 200

B

Albi. 293
Bilis atræ natura. 239. 250 251
Bilis atra. 207
Blæsi. 293
Bona felicitatis. 65
Bonorũ quæ hominis, diuisio. 238
Borysthenicus tractus. 30
Britaniæ horoscopus. 147

C

Calculus. 314
Caluitij causa. 333
Caluitium. 260
Cancri fines. 44 163
Cancri effectiones. 161
Cancri motus. 31
Canities. 259 334
Capillorum color. 260
Capillus crispus. 260
Capillorum ratio. 258
Capricorni fines. 47
Capricorni ortus. 31
Capricorni effectiones. 183
Cardiacus morbus. 319
Cardo. 62
Cardines. 62
Cardines quatuor. 68
Cardinum distributio. 68
Cardinum uires. 106
Casus. 327
Causæ ignotæ. 135
Celtica. 182
Ceres siculá. 373
Ceruus albus. 165
χίλα. 171
Cilicia. 192
Circulorum ratio. 94. 95
Circuli diuisio. 26
Climata. 375
Climatum dimensio. 29
Clitumnus amnis. 260
Cœlũ generationis principiũ. 24
Cœlum mouet inferiora. 2
Cœlum qualitatum expers. 9
Cœli situs. 146
Cœlestia mares. 1. 2
Cœlestia immortalia. 1
Cœlestis caloris effectus. 2
Coitus impotentia. 329
Color castoreus. 265
Color cinereus. 265
Comitialis morbus. 303
Comitialis configuratio. 317
Coniecturales disciplinæ. 275
Constantinopolis. 186
Cor hominis. 111
Cor membrorum opificium. 3. 4
Corporum diuersitas unde. 253
Corporis uitia. 277
Corporis forma & uires à signis. 257
Corporis partium uitia. 295. 315
Corporis uitia. 238
Corporis & signiferi collatio. 252
Corporis humani constitutio. 252 264
Coruus albus. 165

D

Decani. 37
Decacuminatio. 63
Deceßio. 281
Declinantia. 62
Decuriæ. 37
Dæmoniacus. 351
Διαμεσουὴς. 29
Διασυεὴς. 29
Disciplinæ coniecturales. 39
Dierum inæqualitas. 29
Dodecatemorium. 57
Domus duodecim. 71
Dominus genituræ. 236
Domorum conuenientia. 22
δύνοντες. 254
δυσεντερία. 320

E

Εκλειψις. 99
Elementa. 116

Elementa affici. 8
Elementorum concordia. 16
Elementa corporis. 6
Elementorum ratio. 250
Elementorum qualitatum ratio. 6
Elephantia. 313
Epicataphora. 281
ἐπιλη↓ια. 303
Epilepsiæ causa. 311
Erraticæ suo arbitrio mouẽtur. 94
Erraticarum uis circa corporaturam 270
Erraticarum uires. 109
Erraticarum qualitates. 84
Euaporatio. 137

F

Febris quatuor ac uiginti annorum. 246
Filij mors. 146
Finium ratio. 40
Finium signficatio. 144
Fines signorum. 38
Fœminarum sterilitas. 288
Fœminæ incaßidatæ 289
Fœmina in uirum mutata. 290
Fœtoris causa. 332
Fœtus alimentum. 5
Fœtus formatio. 4
Formæ ratio. 8
Fortunæ partes. 103
Frigidi. 30 329
Frigus. 143

G

Galliæ tractus. 147
Garamatica. 192
Geminorum effectiones. 156
Geminorum fines. 43 160
Geminis regiões quæ subiectæ. 160
Geminorum temperatura. 156
Generationis excrementa. 3
Genituræ dominij constitutio. 237
Germaniæ situs. 147
Geryon. 213
Glacies. 143
Gradus 7
Gradus sibi respondentes. 53
Grando. 143

H

Harmonia. 19
Hellesponticus tractus 30
ἡῶορ. 98
Hercules melancholicus. 208
Hermaphroditi. 330
Hermaphroditi causæ. 291
Herniæ causæ. 325
Hetruria. 182
Hispania. 182
Homo minor mundus. 252
Hominis generatio. 2
Humorum mixtura. 16
Hungaria. 186
Hydropisis. 319
Hymbres. 143
ὑπωΐτια. 295
Hyperboreus tractus. 30
Hypogeon. 62

I

διοπροσωπεῖν. 101
Ignis. 243
Imagines. 53
Impetigo. 311
Ingeniorum uarietas. 237. 250
Insania. 306
Insaniæ ortus. 350
Intemperantiæ uitia. 365
Iouis effectus. 124 241
Iouis & Martis imperium. 205
Iouis & Veneris imperium. 205

Iouis in corporatura ratio. 266
Iouis signa. 16
Iouis & Mercurij imperium. 206
ἰσαναφόρα signa. 32
Italiæ situs. 167
Iudicij ratio. 146
Iudicium ex stellis de signis. 279
Iulius Maternus. 5
Iupiter in sexto loco malus. 279
Iupiter Marte uitiatur. 256

K

Καχεξία. 323

L

LActeum cingulum. 101
Leonis effectiones. 164
Leonis fines. 44
Leonis ortus. 31
Libræ effectiones. 171
Libræ fines. 45
Libræ ortus. 31
Linguæ uitia. 293
Lunæ accessio. 323
Lunæ aspectus. 321
Luna frigida & humida. 13
Lunæ domus. 14 21
Lunæ dominium. 39 247
Lunæ effectiones uitiosæ. 280
Lunæ quantitas. 378
Lunæ effectiones. 113. 324
Lunæ natura. 87
Lunæ coitus. 7
Lunæ officium. 3
Lunæ potestas. 114
Lunæ uires. 253
Lunaris circulus. 15
Luna Solis uicaria. 115
Lydia. 192
Lymphati. 353

MAνία. 371
Mars. 237
Marsi. 373
Martia corporatura. 267
Martis qualitates. 243
Martis uitia. 243 280
Martis natura. 87
Martis cum alijs coniunctio. 327
Martis domus. 18 20
Marti propriæ artes. 219
Martis imperium. 215
Martis effectus. 128 321. 324
Martis & Veneris imperium. 209
Martis & Mercurij imperiũ. 210
Martis in genitura imperiũ. 242
Martis signa. 16
Martiales ægritudines. 296
Maßilia. 182
Materiæ natura. 8
Medici. 202
Medicus sit mathematicus. 240
Medicus fit. 225
Μελαγχολία. 121
Mensis. 7
Melancholicorum industria. 208
Mercurij effectiones. 133
Mercurij artes quæ. 222
Mercurij dominium. 218. 246
Mercurij facultas. 280
Mercurij stellæ natura. 88
Mercurij domus. 15 21
Mercurij commixtio cũ alijs. 229
Mercurialis corporatura. 268
Mercuriales morbi. 296
Meroënsis tractus. 29
Mesuranema. 62
Mixturæ planetarum. 98
Monstra quædam. 290 291
Morphea. 319

Motus. 5
Motus medium. 5
Mutili causa. 321
Mysia superior. 186

N

NApa. 175
Nasamonica. 192
Natura actiua. 10
Natura passiua. 10
Neruorum morbi. 301
Nobilium genitura. 165
Nomades. 373
Nox uiginti horarum. 30
Noctium inæqualitas. 29
Numerus impar. 10
Numerus par. 10

O

OCulorum uarietas. 262
Oculorum colores. 262
Oculi nigri. 262
Oculi cæsij. 262
Oculorũ uitia & corũ causæ. 280
Odoratus. 132
ὠχόσκοπος. 62

P

PAmphylia. 192
Pannonia. 186
παραλυσις. 301
Partus difficilis. 326
Pauones candidi. 165
Pedum claudicatio. 299
Peligni. 373
Pestis. 143
Phazania. 192
Phthisis. 322
Pici honesta mentio. 337
Pinus. 193
Piscium natura. 18
Piscium effectiones. 190
Piscium fines. 47
Pituitosa temperatura. 265
Planetarum fines. 144
Planetarum qualitatũ mutatio. 84
Planetarum loci peculiares. 78
Planetarum societas. 117
Planetarum gaudia. 78
Planetæ magisterij datores. 224
Planetarum natura. 13
Planetarum ratio in compositione corporis humani. 216
Planetarum commixtio. 226
Planetarũ in angulis collocatio. 105
Planetarum altitudo. 22
Planetarum ætates. 98
Planetarum cum Sole status. 361
Planetarum significatio. 37
Pluuiæ. 143
Podagræ causæ. 324
Pontani industria. 68
Pontificis sanctimonia. 372
Præcipitatio. 327
Pudendorum uitia. 286. 288
Pudendorum morbi. 318
Puluis bombardicus. 202

Q

QVadrantes signiferi. 256 272
Quadrantum ratio circa corporaturam. 272
Quadraturæ. 64

R

RAbidi canis morsus remedia. 347
Rationalis uis. 216
Ratio cui subiecta. 217
Retrogradatio. 93. 97
Rhiphæus tractus. 30
Rhodius tractus. 29

Romanus tractus. 29

S

Sagittarij effectiones. 179
Sagittarij fines. 46
Sagittarij artus. 31
Sagittarij natura. 18
Salernitana schola. 377
Sanguinis & Solis collatio. 2
Sapor acerbus. 123
Sapor acidus. 122
Sapor ponticus. 122
Sapor stypticus. 122
Saporum differentiæ. 122
Saporum generatio. 123
Saturni effectus. 119
Saturnus. 327
Saturnus occiduus. 325
Saturnus pituitæ præst. 119
Saturni effectus. 238
Saturni color. 265
Saturni dominium. 238
Saturni mala. 280
Saturnus & Mars simul imperãt. 198
Saturni & Iouis imperium. 195
Saturni & Veneris imperiũ. 200
Saturni natura. 87
Saturni temperatura. 119
Saturni domus. 18
Saturni signa. 16
Saturniæ uirtutes. 239
Saturnus plurium morborũ autor. 238
Saturnij morbi. 238
Saturnini affectus. 296
Saturnini morbi. 323
Saturni effectiones. 321
Saturninus homo. 265
Scabies. 296 312
Scamoneus. 198
Scorpij effectiones. 175
Scorpij fines. 46
Scythæ. 373
Serpentes absq; ueneno. 165
Sextus locus. 277
Sibylla ἐνθέα. 373
Siculi agricolæ. 373
Signorum fines. 38
Signa aliena. 37
Signorum duodenaria. 57
Signorum nominum ratio. 59
Signa zodiaci. 7
Signorum qualitates. 7
Signa fortunantia. 16
Signa magisterij. 231
Signa inconiuncta. 37
Signa humana. 257
Signa æquinoctialia. 11
Signa ferina. 257
Signa uires & formam augent ac minuunt. 257
Signa tropica. 11
Signa cardinalia. 12
Signa mobilia. 13
Signa fixa. 13
Signa communia. 13
Signa obliqua. 30
Signa se uidentia. 33
Signa recta. 30
Signa auersa. 28
Signa disiuncta. 28
Signa æquidialia. 11
Signa cardinalia. 62
Signa solida. 222. 230
Signa præcipientia. 31
Signa obedientia. 31
Signa duplicia. 222. 230
Signa masculà. 10. 11

Signa fœminea. 10
Signorũ tropicorũ effectiones. 321
Signorum uires circa corporaturam. 273
Situs Signorum. 145
Signiferi loci. 71
Signiferi partium temperatura. 6
Simiorum temperatura. 202
Simulachra. 33
Sirenes Vlyßis. 377
Solis domus. 14. 21
Solis malæ effectiones. 280
Sol. 8. 110
Solaris orbis. 15
Solis poteſtas. 110
Sol an alias ſtellas caleſaciat. 89
Solis dominatus. 247
Solis effectiones. 112
Solis ac Lunæ uirtus in corporatura. 269
Solis & uenarum collatio. 3
Solis curſus. 7
Solis dominium. 39
Sol cœli cor. 2
Sol ſeminum altor. 3
Solis ſignificatio in nato. 38
Solſtitium. 11 161
Spiritus. 194
Stellæ dyticæ. 254
Stellarum fixarum circa corporaturam uirtus. 272
Stellarum maſculæ uires. 104
Stellarum fœmineæ uires. 104
Stellarum ac ſignorum mutuum auxilium. 237
Stellarum uires. 194
Stellæ matutinæ. 97
Stellæ diurnæ. 82
Stellæ nocturnæ. 82
Stellæ ſtationariæ. 254.270
Stellarum errantium operatio 3.4
Stellarũ cognitio quibus conſtet. 61
Stellarum ſtatio. 92
σκιγμὸς. 93
σκιάζοντες. 254
Sterilitas. 286
Sterilitatis cauſæ. 289
Sterilitatem facientia. 290
Sterilitas marium quæ. 288
Succedentia. 62
Succeßio. 281
Surditatis cauſa. 334
Syderalis diſciplina non inducit neceßitatem. 276
Syderalis hortandi ratio. 4
Syenenſis tractus. 29

T

TAbes. 322
Tauri effectiones. 147
Tauri fines. 42
Tauri ortus. 31
Tauri partes. 148
Temperamentum à cœleſtibus pendet. 4
Temperamentum animi mores ſequuntur. 4
Temperamenti uarietas. 165
Tempus. 5
Terra mundi uterus. 3
Terra corporum mater. 3
Terræ anhelatio. 137
Terræ diuiſio. 374
Terræ ſenium quale. 275
Terrena fœminæ. 1. 2
Terrena in ſpecie æterna. 1
Tormina. 320
Triangularitatum domini. 49

Triangulatores. 50
τριγωνικάτωρ. 50
τρίγωνος. 49
τροπικόν. 161

V

Valetudo. 276
Veneris signa. 16.17
Venus Saturno impeditur. 256
Venus in sexto & septimo loco maleficа. 278
Venus in septimo. 329
Veneris domus. 15.17.21
Veneris dominium. 215
Veneri quæ artes peculiares. 220
Veneris intemperantia. 366
Veneris facultas in generatiõe. 287
Veneris & Mercurij imperiũ. 211
Veneris dominatus in genitura. 244
Veneris qualitates. 245
Venerea corporatura. 268
Veneris effectiones. 130. 324
Venti. 50
Ventorum signa. 52
Ventorum planetæ. 52
Ventorum mutatio. 52
Ventorum ortus. 138. 140
Vini sapores. 123
Virginis fines. 45. 170
Virginis effectiones. 168
Virginis ortus. 31
Vitæ cursus. 64
Vitæ & mortis causa. 5
Vitæ quatuor partes. 253
Vita quibus constat. 16
Vitia corporis. 276
Vitiligo. 296. 310
Vocum inconcinnitas. 16
Vxoris mors. 146. 154


Z

Zodiaci diuisio. 254
Ζωδιακός. 7

FINIS.

IOANNIS IO\
VIANI PONTANI, AD ANDREAM MATTHAEVM AQVIVIVVM, HADRIENSIVM DVCEM, DE REBVS COELESTIBVS LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.



RISTOTELES rerum naturæ indagator solertissimus, Andrea Matthæe, manare cœlitus tradit generationis nostræ primordia, indeq; tanquam potiore à natura proficisci. Cœlestia enim ac superiora illa sempiterna quidē esse censet, immortalisq; cōditionis sorte prædita: At inferiora hæc nasci, augescere, nunquam prorsus consistere, numeratimq; interire, tametsi sua quæq; à specie conseruantur. Qua ratione & ipsa quoq; æternitatem sint adepta, cōditione autem longe inferiore. Quando illa ipsa agendi, ut superiora: hæc autem, ut inferiora, patiendi sint naturam consecuta. Et altera quidem inducendæ formæ prærogatiua authoritateq; ornentur: altera uero subministrandæ tantum materiæ seruiant, peculiariter ministerio huic apposita. Vt tantum propè quidem, ne examinatius loquamur, intereße uideatur, si comparatione, hac in parte uti liceat, quantum mares interest ac fœminas, in ipso hominum genere, quos natura ipsa sexu quoq; suo discreuerit: quippe quæ perfecti imperfectiq; rationem discriminatim eßet habitura. Rursus eos ita simul in generatione ad procreandum conciliat, ut ex illorum conciliatione & copula generatio passim substituatur. Qua in conciliatione & coitu mas eò apparet agnoscitur q; præstantior, authoritatis q; magis perspectæ, quod ei ut mouenti

ratio ineſt, & cum ratione ſimul forma. Secus autem uſuuenit in fœmina, cui materiæ unius indita eſt tantum ſuppeditatio. Siquidem motus ipſius principium, omnisq; autoritas penes marem exiſtit, cui ut autori, quod dictum eſt, ratio ineſt ac forma, cuius ipſe moueatur gratia. Quam etiam utranq; ineſſe fabro in ædificandis nauigijs, & figulo in fingendis amphoris certum eſt, motu ipſo hoc præſtante. Quod igitur ineſt artificij in effigiandis ſtatuis, in conſuendis ueſtibus, in generanda prole maribus, an non inerit & cœlo, à quo, ut certum eſt, generationis rerum ducantur primordia? Siquidem cœlum per ſeipſum mouetur, cæteraq; mouet omnia. Inde nanq; defluit ſempiterna illa quidem agendi ac procreandi facultas, inde calor ipſe animalibus inſitus ac ſeminibus, à quo rerum fœcunditas, & ea quam prolificationem appellare placet, proueniunt: inde ſuſcitatio ſpirituum, omnisq; animalis commotionis exiſtit cauſa atq; origo. Hic etenim ipſe calor alimenta in uſum corporis ac uitæ ſumpta ita concoquit, ut in ſanguinem uertat, per quem decoctum defecatumq;, ac per uenas meatusq; digeſtum, & tanquam inſtillatum, generatio exiſtit ac uita. E cuius etiam ſanguinis modificatione & habitu, corporum ſtatus, animorumq; applicationes & ſtudia, mores item ipſi hominum proficiſcuntur. Perinde uidelicet ut ſanguis ipſe tenuis aut craſſus fuerit, liquidus aut turbulentus, ſyncerus aut corruptus, fluidus ſeu lentus, ruſus aut forte albidus, feruentior aut remiſſior, proq; alijs affectionibus uariauerit. Hæc autem ipſa uarietas è motus temperatione, atq; excrementorum qualitate manat, deq; ſolis cum primis euectione, ſtellarumq; erraticarum, per cœli partes ac ſigna. Siquidem uti domicilium ſanguinis eſt cor in corpore animalium, quæ ſanguine quidem cõſtant, ſuusq; idem ipſum exiſtit uitalium ſpirituum fomes: ſic Sol ipſe quidam quaſi fomes ac fons eſt caloris, ut uitæ quidem ipſi & autor & conſtitutor. Atqui fabrile æs & excuditur & informatur ferrario à fabro, pro menſura tum caloris, utq; ignitum illud & candẽs fuerit, tum pro magnitudine ac modo ictuum, fabrilisq; uerſationis, hoc eſt pro quantitate motus, motorisq; temperamento. Cœleſtes igitur agitationes (ſi de cœlo cœleſtibusq; actionibus in hunc loqui modũ fas eſt) procreando in homine, mariũ quidẽ partes obeũt, inferiora uerò hæc corpora fœminarũ. Ac quemadmodũ cor, quod primũ eſt in animali cõſtituendo, partes corporis reliquas procreat ac diſponit, pro affectione quidem ſua, proq; inſita ui ac poteſtate: ſic Sol ipſe cœli cor mundiq; totius, perinde atq; affectus fuerit, inferiora hæc, ſeruitioq; apta corpora mouet ac diſponit, quæ quidem ipſa materiã illi ſubminiſtrẽt, perindeq; ut mulier uiro ſubſeruiãt. Ne aũt ab hominis ipſius generatione recedamus, qua ratione, quaq; uia uirile ſemen in menſtruum fœminæ ſanguinem ſeſe inſinuat, inſinuatumq; atq; immixtum,

mixtum, sensim eum afficit, affectumq; paulatim informat: eadem utiq; ratione Sol horũ (ut sic loquar) excrementis corporum insinuatus, suisq; in illa illapsus radijs, motu caloreq; ea suo afficit, affecta temperat, temperata fouet, animamq; per quam quidem ipsam animata hæc uocantur, & quorũ ipsa substantia est, illis pro natura excrementorum, proq; obiecta sibi materia indit. Vt mihi quidem iure maximo dixisse uidear, si dixero terram hanc aquis obsitam, mundi totius uterum esse, in quam ueluti in mulieris uterum excrementa generationi accommodata conueniant: quæ de Solis calore fota, post concipiant, ac si genitali à semine calefacta, & penè dixerim fermentata, suosq; tandem conceptus, tempore etiam suo proferant. Atq; ut minutulæ illæ, & quidẽ non paucæ corporũ ipsorum uenæ passim duabus à uenis, quæ maiores dicuntur, deriuantes, ad uterum pertendunt, fœtuiq; sufficiunt alimenta: Sic à Sole Lunaq; (nam & Luna tanquam fœmella materiam & ipsa humectando comparat ac sufficit) errantium maxime stellarum radij digredientes, mixtimq; ab utroq; temperati, atque, ut ita dixerim, imbuti, alimentum quasi quoddam de utriusque aspectu copulationeue mutuati, fœtui illud exhibent. E cuius ipsius affectione & qualitate corpus quoq; afficitur. Nam & capellæ & oues & buculæ, quem salem, herbarum ante pastum delinxerint, eius salis (ut Virgilius inquit) occultum post in lacte saporem referunt: & mella delibati ab apibus roris gustum proflorum natura herbarumq; repræsentant. Ad hæc in ipso corde ut in principe atque autore constituendi corporis membra insunt etiam omnia, partesq; informandæ, quæ in initio quidem nullæ apparent, sensim tamen & disponuntur distributim cunctæ, & in uniuersum suo & loco constituuntur & ordine, pedetentimq; coalescendo perficiuntur. Idem quoque contingit in Solis calefactione ac radijs, quod in rerum seminibus, è quibus post erumpunt uiuentia, atque eo quidem magis, quod Sol ipse seminum est omnium altor & disseminator, atque (ut Virgilius eidem assurgens canit) Terrarum flammis opera omnia lustrat. Quod quidem ipsum non tam mihi pertinere uidetur ad lucem per orbem terrarum à Sole diffusam, etsi pulcherrimum hoc quidem est, quàm ad opera ipsa terrarum, id est ad res è terra prouenientes, atque in lucem editas, quas irradiatione Sol sua inuisens excitat, fouet, animat, animataq; tuetur ac conseruat, nec patitur aut pereuntes prorsus interire, aut intercidentes nusquam quidem resurgere. Quinetiam terra ipsa, ut parens animantium, utq; illorum altrix, cum ea ex anima constituantur & corpore, corpora quidem sponte sua, suaq; ex alimonia illis tribuit. Etenim plena est materiæ atque excrementorum, quæ usui sint tum fingendis, tum augendis conseruandisq; corporibus. Quippe cum uterus ea sit mundi (ut

dictum est) totius, id quod fœminæ quoq; ipsius quocunq; in genere proprium est gignendis atq; alendis fœtibus. Corpus enim fœtus ipsius maternum quidem munus est. At uerò maris officium ac suum eius omnino munus est, fœtui sensum indere, à quo indito existit ac nominatur animal. Quocirca cœli quoq; suum ac peculiare opus est, animam uegetabili adiungere, eam scilicet quæ sensu suo prædita moueatur, seq; etiam gerendis rebus peculiari ingenio & instituat & accommodet. Quam ad rem seruitio aëris ac ministerio uehementer utitur, quando necesse est animal ipsum, quod sensu diuersis quoque utatur modis, etiam spirare. Spiritus autem ipse calidus & humens est. Vt igitur natura hæc inferior cœlesti ab illa tantopere degenerans, cuius ipsius proprium est generare, & corrumpere, magisterio utitur ac principatu cordis unius ad animalem procreationem: Sic natura illa superior, inferioribus his fouendis Sole utitur: in cuius quidem motu atq; calore insunt hæc ipsa omnia, quanquã alio modo, perinde ut in corde mẽbra insunt, partesq; omnes corporis dum formatur. Quinetiam ut cor ipsum postmodum officio utitur operaq; præcordiorum, ab seipso autore ac magistro constitutorum: simili Sol modo utitur errantium stellarum ministerio, afficiendis ac uariandis rerum inferiorum qualitatibus, eisdemq; diuersa etiam ratione ac uia temperandis. Quarum è temperationibus inferiora hæc constant sibi, ac ne intereant, earundem stellarũ præsidijs est prospectum. Quocirca sapiẽtissimè quoq; atq; è re ipsa dictum est, generationis nostræ primordia è cœlo duci, & tanquam fundamenta ab eo iaci. Quid? quod ut è sanguine atq; à corde ortus noster, id est hominis, ducitur procreatio, & quo etiam modo sanguis ipse in initio affectus fuerit, futuri etiam sunt hominis cuiusq; affectus, animorum propensiones ac studia. Itidẽ sanguis ipse futurus est, quo modo, quóque habitu, qua etiã mixtura ac fermentatione à Sole affectus fuerit, alijsq; item à stellis temperatus. Hæc autem ipsa stellarum, cœliq; actionum ac significationum cognitio, eius est disciplinæ propria, quæ à Græcis dicta est ἀστρολογία, è nostris quidam Syderalem uocauere. De qua quidẽ scribere aggressi sumus, tum propter cognitionis ipsius nobilitatẽ, omnis nanque de cœlo, deq; syderibus, quibus nihil est in rerum natura nobilius, consyderatio est, tum etiam ob utilitatem, & eam quidem maximam. Futurarum enim rerũ euentibus cognitis, infelices ubi portenduntur, licebit multo prius instituere animum ac confirmare ad ferendos casus fortiter, si euitari forte nequeant: aut si euitabiles ipsi fuerint, uel prouidẽtia lenire eos, uel solertia omnino fugere, actanquam elabi ex insidijs. Sin felicitas promittitur, consilium, industriam, operamq; illi propriam adiungere, an est aliud quàm adhortari atq; excitare currentem? Quod in agro quamuis fertilẽ

usuenit,

uſuuenit, ut uberiores ex eo ſegetes proueniant, ubi diligens cultus acceſſerit, reiq; ruſticæ ſtudioſa procuratio, ac uigilans cura. De neceſsitate uero cœleſtium ſignificationum, deq; illarum cautatione & fuga diſſerere argutius, magisq; expreſse, atq; enucleate, in aliud tempus locumq; differimus. Illud in parte hac tantum admonemus, cœli ſyderumq; decreta, alia prorſus eſse ineuitabilia, alia quæ non facile euitari queant, quædã etiam quæ facillimè ac propria tantũ uoluntate cohibita. Ac tametſi cognitio hæc parte ſui non exigua coniecturalis eſt, ut Medicina, ut Oratoria, ut militaris, ac naualis res: nihilominus quantũ ingenio aſſequi ac labore poſsumus, quatenus etiam diſciplina ipſa patitur, ſignificationibus ipſis naturales adiunge re cauſas nitimur, eq; naturæ abditis rationem eruere, & qua etiã uia proficiſcantur oſtendere, id quod ſcriptorũ nullus, quorũ memoria habeatur, hactenus præſtitit. Quorum ſiue rerum naturalium ignoratione, ſiue languore animi ac negligentia factũ eſt, ut admirabilis ac diuina res penè anilis ac ridicula ſit effecta. E ueteribus autẽ qui latinè de his ſcripſerint, qui quidem fuere permulti, & clari admodũ uiri, hodie nullius ſcripta extant, præter paucos è multis libros, coſq; non integros, quos Iulius Maternus ad Mauortium ſcriptos reliquit: qui ſi omnes ſimul extarent, dicere hoc auſim, haud multum diſciplinæ huic deſore ad perfectam cognitionem ſignificationum ipſarum. Hortatu autẽ tuo effectum eſt Andreæ Matthæi, ut rem ſupra uiginti annos intermiſſam Regias ob adminiſtrationes, rerumq; (ut ſcis) maximarũ curã, ſenex iam, & annis cõfectus ac curis, profligata Gallorũ incurſu, bellicisq; impreſsionibus magna è parte re familiari, exutusq; ipſe honoribus, quos maximo labore, ſumma integritate, ingẽtibus periculis, meo tantũ unius ingenio, proprijsq; animi uiribus mihi cõparauerã, eã nunc ex integro ſuſceperim, potius quàm reſumpſerim.

PRincipio ſatis conſtat inter philoſophos & naſcẽdi & moriendi cauſam eſſe motum. Mouendi autẽ etſi nec principium nec finis eſt ullus, hic tamen atq; ille motus & incipit & deſinit ſuo tempore. Cum uerò tempus fluat è motu, ſitq; eius obſeruatio quaſi quædã, quinetiã cũ ſit utriuſq; naturalis quædã atq; orbiculata ſucceſsio: nimirũ ut ex initio finis, ſic occaſus prouenit ab ortu, eſtq; ex alio in aliud ordinata quædã, ſibiq; ubiq; conſtans immutatio, atq; cõuerſio. Quando nec ab initio ad finem abſq; medio eſt uia, nec in occaſum ab ortu niſi per meridiẽ: àuere autem in autumnũ niſi per æſtatẽ, rurſus in hyemem ab æſtate niſi autumno intercurrente tranſitio nulla eſt. Has anni temporumq; cõuerſiones ſequitur rerũ, animantiumq; tum uita & mors, tũ generatio & corruptio. Quæcunq; autẽ gencrantur, ea quæ

tuor constant è principijs, igne, aqua, spiritu, qui Græce aër est, ac terra. Quæ cum sint corpora, nihil ex ijs fieri nisi corporeum potest. Porrò rerum prouentus atq; incrementa fiunt à calido, humido, frigido & sicco. Nemini aũt dubium est calorẽ ac siccitatem die, atq; à Solis radijs augeri, humecta uero atq; frigentia noctis umbra foueri atq; excrescere, tum propter absentem Solem, tum ob Lunæ præsentiam, cuius motũ naturamq; humida maxime sequantur: æstas quoq; & hyems, uer item atq; autumnus, dies quoq; ipse hæc manifestissime declarant. Quare cum à motu sit procreatio, à quo ipso corporum cientur qualitates, ipsius uero motus dimensionem quasi quandã tempus esse appareat: nimirum generatio ipsa cum primis uidetur ad Solem referenda, qui autor est & temporis & caloris. Atqui cum Sol & ipse moueatur, sitq; aliâs aut propinquior nobis, aut remotior, agatq; pro ea cœli regione, quam peragrat, ipsum etiam cœlum uel maxime conferet generationi.

Cur ab Ariete sit principium Zodiaci. Cap. I.

IN eo autẽ cœli tractu, quem Sol medium secat, Signiferq; à nostris est dictus, loca sunt quatuor sibi è regione aduersantia. Ad eum itaq; locum qui in septentrionem tollitur, fitq; terris nostris propinquior, Sol ubi peruenit, ardentissimos æstus è sublimi atq; imminente cœli parte excitat. Quocirca cum oporteat genitalem calorem esse moderatũ, uidetur locus hic procreandis rebus minime idoneus: huic uero oppositus multo minus, quod in Austrũ recedens Solem ipsum è longinqua atq; obliqua parte nobis abstulisse uideatur. Efficiturq; ut frigora inde intemperatissima subsequantur. E duobus reliquis licet mundum æquis uterq; diuidat partibus, pariq; à nobis distet spatio, tamen alter cum in frigidum à sicco abeat, in mortem potius spectare quàm in generationem uidetur. Quo fit, ut qui humidum calido temperat locus, is procreandis rebus sit quamaccommodatissimus. Itaq; Vere solum fieri rerum prouentum uidemus, contrà uerò quæ autumno consenuerant, hyeme tandem confecta concidere. Vnde rerum naturæ doctissimus poëta inquit:

» Non alios prima crescentis origine mundi
» Illuxisse dies, aliũm uc habuisse tenorem
» Crediderim, uer illud erat, uer magnus agebat
» Orbis. Cur autem ita crederet, rationem hanc affert:
» Ver adeo frondi nemorum, uer utile syluis,
» Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.

De

De.xij.signis in triginta gradus singillatim distributis. Cap. II.



B hoc itaq; loco, eius quem diximus Signiferi principiũ fecere rerũ cœli periti, atq; in duodecim æquas partes dimẽsi singulas appellauere signa, unde cingulus ipse à nostris Signifer, à Græcis ζωοφόρος est uocatus. Ac primum quidem signum, in quo Sol ab Austro regressus lucet, tenebrasq; ex æquo diuidit, uocauere Arietem. Singula autẽ signa in triginta sunt æquas dimẽsiones partiti, easq; à Solis gressu recentioribus placuit scriptoribus appellare Gradus, quas Latini ueteres Partes uocauerant, cum à Græcis dicantur μόρια. Et primi quidẽ illi stellarũ inspectores, cum die Solem, nocte Lunam tenere cœli principatũ cernerent, sentirentq; quanta utriusq; in terra, aquis, atq; aëre uis esset, Lunam nocti, Solẽ diei præfecere. Quodq; intellegerent singulis triginta diebus unà eos congredi & tanquã coire, illud omne cœli spatium, quod interim dum Luna redit ad congressum, Sol ipse peragrasset, signum unum esse uoluerunt, à primo Arietis gradu exorsi. Quantũ autẽ cœli die uno Sol incessu confecisset suo, hoc totũ spatiũ signi partem uocauere. Qua è re factum est, ut ipsum illud interuallum quod appellare signũ placuit, in gradus, id est partes triginta æqua ratione diuiderent. Quinetiã cũ obseruatio ipsa docuisset Solẽ ad Arietis initium partibus trecentis ac sexaginta peragratis regredi, omnẽ eum cingulum in signa duodecim diuisere. Etenim triginta illæ partes duodenario ductæ numero, quam diximus summã omniũ Signiferi partium integram faciunt. Hac igitur potissimũ ratione uniuersus ille orbis in duodecim ab eis est signa distributus. Id autem quod interlaberetur temporis, dum ad Solem Luna regreditur, ab ipsa Luna dictus est Mẽsis: à Solis uero ambitu, dum ipse ad locum reuertitur, unde duodecimo antè mense discesserat, interiectum illud tempus uocatus est Annus: utrunq; perappositè. Nec uero me præterit, Aegyptios quosdã scriptores existimasse eos qui primi cœlũ in signa duodecim diuisere, hanc fuisse rationẽ sequutos, quod quatuor essent anni tempora, quorũ singula tribus constarent mensibus, quo numero quatuor illa tempora semel ducta duodenarium numerum conficerent. Alios quod quatuor essent rerum principia, unde omnia fierent, eaq; tribus his, principio, medio, ac fine continerentur. Itaq; quaternariũ illũ numerũ ternario hoc productũ ad Zodiaci signa fuisse translatũ. Atqui magis secundum rationem fuisset, antea consyderare, cur signum quodque è triginta esset momentis constitutum: quo cognito facilis quidem erat reliquæ constitutionis explicatio. Sed iã ad alia transeamus, quando de motu, de Luna, de genitali cardine, de Zodiaco cur in duodecim distinctus sit signa, cur etiã signa ipsa è triginta fuerint momẽtis confecta, abũde iã disseruimus.

De Qualitatibus duodecim signorum. Cap. III.



EC uerò eorum quæ gignuntur quicquã fieri, nisi è quoquã potest: materiam enim existere oportet aliquam, è qua quid efficiatur. Quod quidem in fabrili & ijs quæ manu fiũt artibus uidemus. Quocirca quũ materiæ proprium sit formã suscipere, erit eiusdem quoq; proprium, hoc ipsum non modo pati, uerum etiam ad patiendum naturaliter affectam esse: quippe quum ut marem fœmina, sic materia ipsa suapte natura formam appetat, cui suscipiendæ præsto semper est. Quocirca cum hoc ipsum pati materiæ propriũ sit, nec forma nisi ab aliquo queat authore dari, cuius proprium sit agere, uidendum est cuius sit hæc uis propria. Requirimus enim id quod nec immutari, nec corrumpi ualeat, nullasq; sibi aduersantis uires sentiat, in quod nec aliud conuertatur, nec eius in aliud sit conuersio. Hæc autem ipsa uis & cœli & stellarum, quæ cœlo feruntur, propria esse uidetur, maxime uero stellarũ earũ, quæ terris sunt propinquiores, eiusq; cœli tractus, in quo stellæ ipsæ cursus suos errando conficiunt. Harum autem stellarum cum Sol princeps sit ac moderator, à quo aliæ quidem abesse nisi breuibus quasi quibusdam deambulationibus nequeant: aliæ uerò ubi longius processere, quasi conspectum eius requirentes, retro ad eum cõuertantur, Luna quoq; ipsa, cum lumen ab illo quotidianum mutuetur: nimirũ quem quærimus authorem procreationis, & tanquam parentẽ Solem esse manifestum est. Hinc ueteres Liberum eum patrem agnominarunt. Quando autẽ nec cœlo, nec stellis frustra est motus à natura datus, ac motũ ipsum procreationis causam esse constat, uidemusq; inferiora hæc corpora cœli ac syderum orbiculationes sequi, tantasq; fieri rerum omniũ uarietates ac uicissitudines, pro loco tamen ac tempore, dubitandum non est, aliquos esse cœli tractus, qui hæc quàm illa corpora, ipsorumq; corporũ qualitates magis minúsue afficiant. Ad quæ loca ubi Sol, Luná ue, aut stellarum aliqua, siue ipsa sola, siue alij coniuncta peruenerit, aut hostilibus ea radijs percusserit, amicisue illustrauerit, tunc mirum in modum locorũ uires augeri, præsidio addito, aut ab hostica configuratione imminui. Quam tum conuenientiam, tum dissensionem elementa ipsa, quæq; ex elementis constant, non in qualitatibus modò, uerumetiam in substantijs ipsis referant. Et alia quidem statim, alia uero serius, pro rerum syderumq; natura. Etenim quatuor hæc corpora quæ ignem, aquam, terram, spiritum, id est, Græco nomine aërem dicimus, cum rerum sint principia, nec præterea sit aliud rationis eiusdẽ, sintq; tam subiecta motibus, quàm uidemus, necesse est etiã in cœlo, à quo mouentur, eiusmodi uim inesse, quæ quodammodo foueat, & tanquam astruat materiã, in qua sese exerceat. Quocirca signa ipsa alia ignea, Arietem, Leonem, Sagittarium,

gittarium: alia aquea, Cancrũ, Scorpium, Pisces, esse compertum est. Atque ut Signifer ipse quadraretur, quoniam Taurum, Virginem & Capricornum terræ, Geminos, Libram & Aquariũ aëris magis qualitates ciere, diuturna obseruatio docuisset: hæc quidem aëria, illa uero terrena esse dixerunt. Cũ enim tantas fieri rerum uarietates, ac suo quodã ordine cernerent, eorũq; quæ effecta uiderent, causas cũ requirerent, has ipsas principes esse causas comperiebant. Eadem ratio & Medicos mouit, ut calidũ quippiam, aut frigidum dicerent, quod ita usus docuisset. Siquidem Medicina maxime constat experimentis. Vsus enim non rerum modò plurimarum cognitionem, uerumetiam uiuendi rationem, quæ sapientia dicitur, hominibus attulit. Nec uero ij sumus, qui ut herbas, elementaq; : sic stellas, cœlum'ue humidum aut siccum dicamus. Corruptibilium hoc est corporum, ac uicissitudines subeuntium, quarum profecto cœlum penitus expers est. Itaque ut res ipsa, id est experientia magistra docuit, trahi à magnete ferrum, à qua quidem experientia ratio ipsa profecta ostendit uim eam à natura magneti insitam ferri attrahendi: sic cœlo, cœliq; partibus, sic stellis ipsis suas quoque uires inesse. Qua è re factum est, ut tales esse stellæ, talia etiam signa dicerentur. Quod si & hanc & illam uim naturamq; & his & illis inesse primis corporibus, atq; ex ijs constitutis dicimus, cur nõ hoc ipsum de cœlo dicere, deq; stellis debeamus? à quibus hæc ipsa corpora uim eam aut accipiunt, aut si sua est cuiusq; propria, ab illis certe cietur. Quæ qui negant, ij uidendi, audiendi sensum negant, Vere floreſcere arbores, eadem creſcere æstate, matureſcere autumno fructus, terram ipsam hyeme ita quieſcere, ut seſe instituat ad uernam procreationem, diffitentur, lucem deniq; ac dies & noctes tollere uidentur. Ad hæc cum prima corpora & qualitates primæ sibi è regione aduersentur: sunt enim omnino contraria, quippe cum alia ratione principia rerum esse minime possent, pugnare inter se, & nunc cedere, nunc superare necesse est, ut existat rerum tum procreatio, tum corruptio, quæq; tam multæ eueniunt rerum uicissitudines. Quando autem similia cõueniunt similibus, dissentiunt quæ sunt dissimilia, consentaneum est in cœlo utraſq; ad res uires inesse. Quod si album nigrumq; in eodem simul esse loco nequeunt, nec humidi quidem nec sicci uis simul esse in eadem atq; una cœli parte potest. Quocirca recte accõmodateq; alia humida signa, alia sicca esse dixere, id est hanc illámue qualitatem magis minúsue fouere, auctare, excire. Quod quidem procreandis rebus, ijsdemq; ubi procreatæ sunt, nutriendis non modo peropportunum, uerumetiam omnino necessarium est. Quotidianæ quoq; obseruationes eorum quæ subinde contingunt, docere hæc satis queunt. Siquidem Luna in humido aut arido signo constituta, ea plerunq; excitat, quæ signi

eius naturam sequantur. Ac de primis signorum qualitatibus dictum sit hactenus. Vt autem singula elementa binas habent qualitates, sic etiam signa, proq; natura elementi, cuius ipsa naturam excitant. Aëria enim signa humida sunt & calida, terrena sicca & frigida: quæ ignea sunt, calida simul & arida: at quæ aquea, frigida & humecta. Sequitur de Masculinis & Fœmininis signis explicatio.

De signis Masculinis seu Fœmininis. Cap. IIII.

QVm autẽ gignendis rebus duæ simul naturæ conueniant, & quæ agendi uim habet, & quæ patiẽdi, hinc prior illa uis actiua, posterior hæc Passiua uocata est à Physicis. Quinetiã altera masculina dicta est, altera fœminina, exemplo animaliũ, è quibus mares agunt, fœminæ patiuntur: est enim uniuscuiusq; animalis plerunq; duplex genus, & masculina quidẽ atq; actiua uis plus in se caloris retinet, altera uero illa fœminina, & ad patiendum nata, ut caloris minus, sic humidi plusculum in sese habet, utraq; tamen qualitas fœcunda & genitalis. Qua in re natura ipsa mihi uidetur temporis ipsius conditionẽ secuta, quod quidem ipsum cum diebus constet ac noctibus, dies calidiores, & ad agendum ualentiores, at noctes ut humidiores, sic ad patiendum magis aptæ sunt. Vt autem tempus die constat ac nocte, sic animalium genus è maribus constituitur ac fœminis. Quocirca cœli signa, cum non parum conferant generationi, placuit maioribus nostris hac etiam ratione ea inter se distribuere, ut alia masculina uocarentur, quod plus ad agendum uirium haberẽt: alia quod essent ad patiendum accommodatiora, fœminina: quodq; mascula uis naturaliter præferenda esset, primum signum, id est Arietẽ marem fecere, secundum fœminam. Vt enim diem nox, sic fœmina marem sequitur. Quapropter certa & statuta successione masculino fœmininum signũ suo succedit ordine. Nam quæ tertia natura fit, alia nulla est. Iure autem Aries, quod ab eo dies, quod calor, quod Sol procreationis parens, uires sibi assumerẽt, quod etiã signum ipsum calidæ, Solarisq; naturæ esset, mas est dictus. Quodq; nox statim sequatur diẽ, Lunaq; ipsa lumen à Sole mutuetur, ac perinde ut mulier uiro aluũ, sic ipsa Soli materiã præstruat, habeatq; secundas ad procreandũ partes, appositissime atq; conuenientissime Taurus, quod signum Arietem statim sequitur, fœmininus est habitus. Vnde (ut paulò post dicemus) in Ariete Solis altitudinem, in Tauro Lunæ esse putauerunt. Quidam etiam rationem hanc è Pythagoreorum disciplina mutuati sunt: ut quoniã impar numerus haberetur masculinus, quod esset perfectus, impartibilis, efficax: par contrà fœmininus, quod imperfectus, diuisibilis, imbecillus; eodem pacto in dinumerandis signis masculina dicerentur,

dicerentur, quæ impari, hoc est efficaci, fœminina, quæ pari & imbecillo numero comprehensa computaremur. Qua ratione primum, tertium quintum, septimum, nonum atq; undecimum signum, masculorum esse uirium: at quæ parilis ac partibilis numeri successione comprehensa essent, fœmininarum esse uirium dixere. Ineptiuscule igitur ueterum quidam à Cancro exorsi, fœmininorum primo, deinde masculinorum explicauere signorum seriem. In qua struenda fœminam mari, materiam formæ, Lunam Soli, à quo illustratur, noctis ac tenebrarum incrementum, quod à Cancro incipit, lucis ac dierum incremento, cuius principium est Aries, deniq; intemperantißimos æstiui solstitij æstus, uerni æquinoctij tẽperamento anteponerent. Sunt autem masculina signa quæ ignis atq; aëris qualitates excitant, Aries, Leo, Sagittarius, Gemini, Libra & Aquarius: Fœminina, quæ terræ atque aquæ naturæ opitulantur, Taurus, Virgo, Capricornus, Cancer, Scorpius, Pisces. Reliquum est ut de alijs signorum qualitatibus, & (ut ita dixerim) prærogatiuis explicemus.

De signis Aequinoctialibus, Cardinalibus, & Solstitialibus. Cap. V.

ACcidit autẽ tempori, quoniam eo motũ ipsum metimur, ut ũe re quidem dierũ incrementũ, autumno autẽ noctium fiat. Et quoniam incrementis suus quoq; statutus est modus, ut sicut excrescentis diei terminus est quidã, sic etiã noctis: nec uero aut excessus aut defectus est ullus, nisi ab æquo & temperato, signa in quibus hoc ipsum contingit, ut ab æquali tenebrarum ac lucis spacio tum dies tum nox procedere incipiat, ex eo agnominata sunt. Nam quod in primis Arietis ac Libræ partibus dierum ac noctiũ æqualitas proueniat, tũ æquinoctialia, tum æquidialia signa uocari placuit, & à primis quidem Arietis partibus ad primas usq; Cancri dies augescunt. Inde uero dierum fit ac lucis conuersio. Quantum enim ab Ariete in Cancrum dies creuerat, tantum pòst à Cancro in Libram mutatis uicibus noctes succrescunt, dies imminuuntur. Siquidem à Septentrione in austrum conuertere se Sol incipit, à qua cõuersione signum ipsum Græci τροπικὸν uocauere. At in Capricorno, quod signũ huic aduersum est, secus accidit. Nãq; ubi ad primas eius partes Sol profectus fuerit, aquilonem uersus ab austro conuertere iter incipit, rursumq; uersis uicibus dies augescũt, decrescunt noctes. Merito igitur, atq; ex ipsa re utrunq; tropicum est à conuersione agnominatũ. Quin etiam cũ sint quatuor anni tempora, eaq; elementorũ qualitates imitẽtur, ipsorumq; quatuor temporũ principia quatuor his sumãtur à signis, quod per ea fiat ad temporum mutationes aditus, & quasi ianua quædã pateſiat,

hinc Cardinalia sunt nominata. Itaq; quatuor uisi sunt esse Signiferi orbis cardines: primus ueris in Ariete, secundus æstatis in Cancro, autumni tertius in Libra, brumæ ultimus in Capricorno. Quæ re non parua signis ipsis acceßit autoritas atque prærogatiua. Cum altera, id est æquinoctialia æquas temporum partes statera quasi quadam sußpendere uideantur, atq; ab ipsis tanquam à principijs quibusdam nocturnæ diurnæq; progressionis uicißitudines incipiant. Altera summos atq; imos cœli uertices teneant, & tanquam finium inter austrum aquilonemq; custodes, ac recedentis à nobis, aut aduenientis Solis duces, frigoris claustra caloriscq; relaxent. Ex quo fit ut inter cætera signa id iuris habere uideantur, quod inter ciues ipsos, ciuitatis principes, quos ex eo tum proceres, tum optimates uocamus. Eadem hæc duo signa Cancer & Capricornus Solstitialia dicta sunt, quod ubi Sol ad ea profectus est, antequàm eius ad septentrionem euectio, aut in austrum declinatio manifestior facta sit, stare aliquandiu credatur.

De signis mobilibus, fixis & communibus. Caput VI.

NEc uero ab re est, quod alia mobilia, alia fixa ac solida esse uoluerunt, alia quod utriusq; naturæ partem retinerent, cõmunia atq; mediocria: quàm autẽ apposite atq; conuenienter sic statuerint, paucis uideamus. Rei alterius in alterã conuersionis per motũ non fit: neq; enim hyemis in uer transitio, neq; deinceps ueris in æstatem contingeret, nisi Sol in orbe signifero moueretur. Hæ autem ipsæ transitiones temporũ, atq; cõuersiones in signis his cardinalibus fiũt. Nam quanquã motus ipse continuus est, tamen euidentior tum apparet, cũ qualitatũ earũ quæ tẽpora comitãtur, fit immutatio. Locus quoq; ipse hanc ad rem plurimũ confert. Quocirca signa ea, in quibus mutationes has fieri manifestius apparet, mobilia à re ipsa sunt dicta. Quod autem tempus progrediendo procedit, & ab ipsa progreßione qualitas in quam mutatio facta est, incrementum suscipit: hinc efficitur, ut ea qualitas ubi maioribus uiribus aucta est, tunc firmius consistere ac præsidere alijs uideatur. Loca igitur, ac signa, in quibus hæc eueniunt, solida stabiliaq; iudicata sunt. Et profecto ita se res habet in circulo, ut in insequentẽ fieri qualitatem transitio nequeat, nisi quæ præcedit, ad summum uirium prius sit euecta. An nõ in hominis ætate idem hoc contingit? quæ ab infantia in pueritiam, à pueritia in adolescentiã, ac deinceps suis uicißitudinibus mutatur. Motus enim ipse ab ætate in ætatẽ tum moribus, tũ rebus alijs permultis intellegitur, in quibus secundũ ætatis naturã diutius persistitur. Hoc ipsum & in febribus medicæ

medici obseruant: quæ ubi ita excreuere, ut ulterius nequaquam progrediantur, in statu esse suo illas dicũt. Ab hac igitur immoratione atq; incremẽtis prouectione, & (ut ita dixerim) statu, qualitatis unius paulatim fit ad alteram declinatio, ut quantum illi demitur, tantum huic addatur, interimq; qualitatum ipsarum cõmunitas quasi quædam fit, atq; mediocritas. Quocirca signa, in quibus hoc efficitur, tum communia ac media, tum mediocria dicta sunt: Græci uocant δίσωμα, hoc est, bicorporea. Ex his effectum est (cum singula anni tempora, quæ quatuor esse è Solis constat euagatione per tria signa, habeant principium, immorationem, ac declinationem) ut primum quodq; signum sit cardinale ac mobile, secundum stabile & solidum, tertium commune ac particeps, & Græco more bicorporeum. Sunt igitur Aries, Cancer, Libra & Capricornus mobilia signa. Quæ uero singula statim hæc sequuntur solida, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Reliqua cõmunia sunt, Gemini, Virgo, Sagittarius & Pisces. Quoniam autẽ actiones quoq; hominum in tempore fiunt, atq; ubi mobilitas est, ibidem & celeritas: ubi autem stabilitas, illic mora tarditasq;: quoties negotium aliquod cœptum est, fit significatio pro natura signi, quod tunc oritur, quæ sit agendi negotij eius futura qualitas. Ac de signis ipsis, quæ æquinoctialia, quæ uero tropica, ac solstitialia, quæ item mobilia aut solida, quæ etiam communia, satis dictum sit.

De Planetarum domibus. Cap. VII.

Hinc de Planetarum domicilijs, deq; eorum altitudinibus ratio explicanda est, ut planè nota sit omnis Significri constitutio. Quam partem antequàm aggredimur, de planetarũ naturis pauca pro loco dicemus. Lunam frigidæ atq; humescentis esse naturæ, tum maria ipsa declarant, quæ motum eius ac uices sequuntur, tum alia plurima, in primis autem corpora ipsa nostra, & quæ uel pubescente illa uel senescente contingunt in cerebro ac uenis. Placet autẽ antiquis Astrologiæ institutoribus, ipsiq; Ptolemæo, exhalãtes è terra uapores ad altiores aëris partes trahi à Luna. Atq; hinc qualitates eas frigoris atq; humoris ipsam suscipere. Quod fieri quomodo possit, non uideo. Neq; enim humidi est suapte natura sursum moueri, quando natum est imæ petere: sed à calore potius uiolentia quadã sursum rapitur. Quocirca ubi ad mediam aëris regionem uapor ille sublatus est, à calore paulatim destitutus, coactusq; à frigore abit in pluuiam. Atqui aërem quamspatiosissimum esse oportet, cum terras mariaq; operiat. Ignem quoq;, cum locum, id est, orbem & ipse suum petat, quàm potest, ad sublimem aëris ipsius regionem euolare necesse est. Quo fit, ut supremus ille aëris tractus, qui cali-

diſſimarum atq; efferueſcentium aſpirationũ plenus eſt, exæſtuet. Quod ita eſſe & ſtellæ comatæ, quæ illic incenduntur, planè docent, & apud rerũ naturalium ſtudioſos liquido conſtat. Quod ſi eſt, ut quidem eſſe manifeſtum eſt, rationabilius profecto fuerit, Lunam ipſam (quod huic tractui ſit ſtellarũ omnium propinquiſſima) calorẽ ariditatemq; ab æſtu proximo mutuari. Cum orbis ipſe igneus loco ei uicinior feratur, quod ſi naturam propinquioris ignis, æſtuantisq; regionis non ſuſcipit, humidi tam remoti, ac tam lõginquo ſpatio ſubſidentis, quó nam modo ſuſcipiet? Qua ſuſcepta neceſſe eſſet Lunæ corpus ea pati, quæ inferiora hæc corpora patiuntur. Quod ſi eſſet, ſyderum corpora, ut hæc ipſa noſtra corrumperentur. Quamobrem Lunæ effectiones humidas frigidasq; uideri atq; exiſtimari propter accedentes in ſublime uapores ſanè ineptum eſt dicere. Et enim ſi Solis eſt proprium caleſacere, cur non Lunæ ſit proprium humectare? Ad hæc quando calida uis Solis nec eſt ab ignis orbe, nec ab æſtuoſis terræ aſpirationibus, ne Lunæ quidẽ erit uel frigida uel humecta ab euaporationibus. Iiſdem autoribus placet, Mercurium quod Soli ſit quàm proximus, torreri ab eo: quo quid dici poteſt inconcinnius? Nam quæ ratio ualet in Mercurio, cur non eadem ualeat in Venere? cuius eadem ferè propinquitas eſt. Sed de Venere, Mercurioq;, deq; tribus reliquis ſuo loco plenius dicetur, nunc unde abijt redeat oratio. Similia ſimilibus conuenire ut nemini eſt dubium, ſic minime obſcurum eſt, duas ſimul conuenientes naturas ad agendum uiribus uti maioribus. Quocirca quia Cancer, ut dictũ eſt, in humida frigidaq; corpora ſuapte natura influit, cum in eo Luna fuerit collocata, quod idoneam ſibi nacta eſt regionem, quod in ſubiectas terras quodam quaſi perpendiculo radios diffundit, multo maximas atque acerrimas ad agendum uires tunc colligit. Quibus adducti rationibus Lunæ domicilium in Cancro cõſtituere, quadam rerum ciuilium ſimilitudine iuſi: quippe qui exiſtimarent illam uires ac poteſtatem ſuã in Cancro, perinde ut matremfamilias in domo propria liberius exercere, atque eo magis, quod Cancer eſſet fœmininæ quoque qualitatis, naturæq; mobilioris. Eadem ratione Solis domicilium Leonem eſſe dixere, quod tum calidæ, areſcentisq; naturæ, uiriumq; maſculinarum eſſet, tum quia nullo è ſigno conuenientis ſecum omni è parte naturæ, ſtabilisq; qualitatis in terras noſtras Sol radios ſuos rectius ac propinquiore è loco figeret. Aequum autem erat ut Soli ac Lunæ quos uiderent in corporibus his dominari, in maxime propinquis inter ſe atque imminentibus ſignis domicilia conſtituerent. Quod ſi liceat in explicanda ſyderum maieſtate noſtrorum corporum uti comparatione, quod in corpore humano cor, quod etiam cerebrũ iuris habet ad ſenſus ipſos citandos, idem Sol Lunaq; in corporibus procreandis,

creandis, fouendis, auctandis ius habent, uiresq; perinde suas exercent, ut ijs merito corporum spirituumq; ius atque arbitrium sit à rerum naturæ peritis attributum. Quibus etiam placuit post hanc domorum constitutionem Signiferum ipsum in duos partiri semicirculos, alterum à Leone per signa subsequentia usque ad Aquarij principium, eumq; Solarem nominauerunt, alterum à Cancro per signa antecedentia in finem usq; Aquarij, quem Lunarem uocauere. Vtroq; in semicirculo singulis erraticis stellis singulas domos attribuerunt, ea ratione ut in Lunari semicirculo erraticæ stellæ domus Lunari domui, in Solari autem Solis domui, configurarẽtur, hostili amicáue irradiatione pro erraticæ ipsius natura. Quando Saturni ac Martis stellas maleficas arbitrati sunt, Iouis ac Veneris beneficas, at Mercurium communem & uersatilem quandam naturam ad bonum malumq; habere uoluerunt: de quibus plura pòst suo loco, nunc ad ipsam domiciliorum constitutionem reuertamur.

De domibus Veneris. Cap. VIII.

SAtis autem constat Venerem, Mercuriumq; circa Solem ferri, quo fit, ut quàm Martis, quàm Iouis, ac Saturni stellæ, terris sint propinquiores. Aequum itaq; uisum est in signis propinquioribus utriusq; semicirculi illorum sedes statuere, ac Veneris in Tauro, Mercurij in Geminis, quæ signa Lunaris quidem sunt semicirculi: at in Solari Mercurij in Virgine, Veneris in Libra domicilium collocare. Quid autem secuti etiam fuerint, diligentius est uidendum. Venerem bonam esse fortunam, ac radios eius felices, qui de stellis ferì psere omnes, ut dixi, consentiunt. Ea felicitas ab astri ipsius temperantia ortum habet. Nam si Saturni, Martisq; infelices sunt stellæ, atque huius quidem propter uehementem feruorem arefactionemq;, illius uero propter torpescentem naturam, hoc est ob intemperãtissimos utriusq; radios, nimirum Veneris ac Iouis salubritatem à radiorũ temperatione necesse est proficisci. Etenim è calido humidoq;, è frigido item atq; humecto æqualiter atque è portione temperatis uita constat. Quæ ubi adeò excesserint, ut calor humidum exusserit, frigus extinxerit calorem, tum penitus arefacta, atq; à calore destituta corpora statim occidunt. Temperandis autẽ rebus magnã habet uim locus. Sed quæramus hæc aliquanto etiam subtilius. Duæ inuicem sibi aduersantes naturæ coire in unum simul corpus nequeunt, nisi alia quapiam conciliante natura, quæ æquabilem sese atque moderantem aduersus utranque præbeat. Quod in uocum concentu, & ea quæ harmonia dicitur, uidemus. Siquidem dissidentes secum graues atq; acutas uoces mediæ illæ æquabiles, & utriusque participes temperant. Qua

è tẽperatione efficitur concinentia illa tam blanda & suauis. Age ipsam rerum naturam inspiciamus. Aquam ignemq; tam sibi inuicem obsistentia principia medius cõiungit aër, humoris atq; caloris particeps, terrã aëri media conciliat aqua, huic per humorem, illi per frigus concordi quodam nexu coniuncta. Quæ è coniunctione, naturaliq; principiorũ fœdere omnia hæc quæ uidemus, quæq; sentimus fiunt. Acne à nobis ipsis recedamus, uita ipsa nostra è rubra bili, quæ hodie est cholera, item è pituita, hoc est phlegmate, contrarijs humoribus, temperante sanguine atq; atra bili, quæ à Græcis μελαγχολία dicitur, constat. Quæ ubi æqualiter temperateq; mouentur, tum existit corporum sanitas, & incolumitas animantium ipsorum: rursus autem uocum inconcinnitas, chordarumq; dissonantia à contrarijs existit sonis, nullo medio temperamento eos moderante. Siquidem acuti & graues soni tantam facere in ijs consonantiam soli nequeunt, quin immo ijs cõmixtis, ubi maior in alio facta est accessio, fit dissonantia illa nostris auribus tam grauis: Vt si bili aut pituitæ eiusmodi quoq; fiat accessio, necesse sit corpora ipsa ægrotare. Quare ut uocum consonãtia, ut uita, ut sanitas temperamento constant, sic radiorũ felicitas ab æqualitate quadam, suaq; moderatione, quibus, ut dixi, radijs si maior aliqua qualitatum earundem simul atq; eodem tempore fiat accessio, necesse est tale ob additamentum fieri eos intemperatiores. Quam quidem ad rem cœli locus plurimum momenti habet. Quocirca fortunantibus, id est moderati temperamenti syderibus, Veneri quidem, cum sit humidiuscula, quãdo è mari nata est, ut Poëtæ iocantur, attributa sunt signa pro anni tẽporibus, hoc est uere siccũ frigidumq;, qualis est Taurus, cui per frigidum non inconueniens sit, autumno atq; in Solari semicirculo calidum & humectũ, qualis est Libra, à qua propter communem humiditatem non dissentiat: Ioui autem, cum sit humectus & calẽs in Lunari semicirculo, atq; in parte cœli ad nos iam uergente, post Pisces enim sequitur cœli pars humecta & calida, siquidẽ quod est Signiferi ab Ariete in Cancrum Veris qualitates habet, frigidum atq; humectum signum est attributum, quales sunt Pisces, quibus propter humectationem quadam quasi affinitate cõiunctus est. At in Solari semicirculo, quæ à Libra in Austrum recedit, quod ea pars sit remotior, Sagittarius est attributus, propter conuenientem simul caloris naturam. At Marti ac Saturno maleficis stellis, quæ ob radiorum intemperantiam dictæ sunt infelices, attributa sunt signa tum litem excitantia propter dissidentes naturas Scorpius & Aquarius, tum exuperantiam patientia propter accessiones similium qualitatũ Aries & Capricornus. His hunc in modum explicatis ad rẽ ipsam propius accedamus, ut quæ dicimus, omni sibi è parte cõstare uideantur. Temperandis itaq; errantium stellarum radijs non modo cœli

locus

locus, ut dixi, uerumetiam anni pars plurimum confert. Atq; ut de Venere primo dicatur, eius natura humida est, habetq; frigidulum aliquid, de cuius quidem qualitate ac temperatione alibi uberius disseremus. Veris humida & calida temperatio est, Tauri sicca, frigensq;. Itaq; per frigiditatẽ Tauro Venus conuenit, ueri per humiditatem. Ex hoc fit, ut habita temporis, signi, atq; astri ratione, radij eius æquabilitatem suam retineant. Siquidem ueris humiditas, ac frigida signi uis astri naturam adiuuant: rursus calor ueris, ac Tauri siccitas obstant ne frigus atq; humectatio syderis in aliquam intemperantiam excedat. Quod fieri necesse esset, ubi duæ consimiles naturæ simul iungerentur, nulla ui alia eiusmodi quodammodo impetus moderante. Reliquum est ut ostendamus Venerem nisi uerno tempore non posse Taurum permeare. Quo ostenso, liquido constabit quàm conuenienter in constituendis domibus Taurus ei in sortem cesserit. Satis autem certum est Venerem ipsam, siue ante Solem, siue post eum feratur, longius duobus signis ab illo, uel, ut expressius loquamur, gradibus paulò pluribus quinquaginta non recedere. Sole igitur ultimas Piscium partes peragrante, si uespertina Venus fuerit, & à Sole quamremotissima, per Tauri medias extremásue partes necesse est ipsam ferri. Rursus Sole in ultimis Geminorum partibus collocato, si matutina Venus est, & ab illo quammaxime abest, circa Tauri initia, aut medias eius signi partes diuersabitur. Quãobrem siue in Geminis, siue in Ariete aut Tauro Sol constitutus fuerit, nõ potest Venus nisi uerno tempore per Taurum euagari. Siquidẽ omne hoc tempus quo Sol quam diximus cœli regionem peragrat, à uere occupatur, quanquam & aliquando æstate iam incipiente Venus adhuc moratur in Tauro. E quibus satis apparet, temporis, signi, ac syderis, ut est dictum, ratione habita, Taurum accommodatissimã Veneris domum esse, è qua conuenientia constare sibi radiorum eius æquabilitas ualeat, quam nec præstare Aries poterat propter calorem, quippe qui & à uere & à signo auctus Veneris naturam plusculum incendisset, ariditate etiam signi non parũ adiuuante: sed nec Gemini, quibus tametsi per humidum affinitate quadam iungeretur, tamen calore signi geminato à uere iam in æstatẽ declinante, radij eius nimio plus incanduissent. In Libra uero quæ Veneris etiã domus est, diuersam ab hac rationem secuti sunt. Nam cum in Libra Venus esse nequeat, nisi anni parte maxime sicca, aut ea iam in frigus atq; hyemem inclinante, placuit quod esset humectæ, calentisq; naturæ signum ei decernere, cui per humidi naturam conciliaretur. Nanq; ut ueris autumniq; contrariæ qualitates sunt, sic uernæ Veneris domui autumnalis erat domus opponenda. Vtq; uere prospectum est in attribuendo domicilio ne Veneris humens uis permadesceret: sic autumno ne uis eadem nimio plus aresceret,

neue illic ab exuperantia, hic à defectu efficeretur intemperantior. Huic constitutioni illud quoque mirum in modum conuenit, quod cum Venus beneficæ naturæ sit, eius domicilia Solis ac Lunæ domicilijs sexangulari irradiatione coniunguntur in utriusq; semicirculis. Sunt enim Taurus & Cancer in Lunari, Libra & Leo in Solari hexagonalia signa, ad hæc fœcunda sunt & genitalia, cũ sit Venus ipsa fœcundæ naturæ. Diximus de Veneris domicilijs. Nunc de alterius beneficæ stellæ domibus explicemus.

De domibus Iouis. Cap. IX.

IOuis stella felix esse ac salutaris dicitur, cuius est natura eadem quæ aëris ac sanguinis, humecta & calida, æquabili ratione temperata: huic domũ in Piscibus Sagittarioq; statuerunt. Atuide quàm conuenienter, quàm apte, quod in parte Signiferi remotissima, quæ est propè hyemalem conuersionem signum calidum siccumq; delegerunt ei. Nam cum è remotissimo atq; obliquo loco radios ad nos lentiores, & penè imbecillos mitteret, quod Solis ipsius radij declarant, qui ex eo loco obliqui feruntur, maximeq; imbecilli, socio signi calore refocillandus erat, uidendumq; ne calida eius ui restincta, humido adaucto efficeretur humentior: quod ne accideret, signi etiam ariditas prohiberet. Contrà in parte Signiferi propinquiore, à qua in humidum calidumq; procedat annus, Pisces attribuerunt, ut ueris æstatisq; aduentantibus caloribus, signi frigore adiutus posset obsistere, ne arefacto humore, calida ui exæstuante, ureret potius quàm foueret. Appositissime quidem, quod cum sit ipse beneficus, beneficam, id est triangulari configuratione Sagittarius Leonem in Solari, Pisces Cancrum in Lunari semicirculo intuentur. Quinetiam cum sit Iouis stella fœcunda, uentorumq; excitatrix, uentosa ei signa & genitalia sunt concessa. Adde quod in Lunari semicirculo Lunaris naturæ signum: in Solari autem Solis naturæ consentiens signum peculiare Iouis stellæ decreuere. His explicatis, de maleficarum stellarum Martis ac Saturni domibus differamus.

De domibus Martis, & Saturni. Cap. X.

MArtis stella torrida & feruens est, Saturni autem frigens ac torpida, magnaq; in utroq; ariditas: hinc infelices dicti, quod utriusq; radij sint intemperantissimi, illius propter aridam atq; urentem naturam, huius ob torpescentem nimiamq; frigiditatem. Vtraq; autem exuperantia maxime noxia est. Ad hæc dictum est supra Lunam Solemq; in cœlo dominari, & alterum die imperare, alterum nocte: ac Lunam quidem humectare materiam & quodammodo præ

strucre

ſtruere ad res procreandas, Solem calefacere, informare, & (ut propè magis dixerim) animare. Atq; ut à calido humidoq; eſt procreatio, ſic contrà à maxime frigido atq; arefacto mors, qualis eſt perniciosa Saturni natura. Quinetiam cœli pars ea quæ ab Ariete in Libram porrigitur, uitalis eſt, & generationi uitæq; accommodata: quæ uero à Libra in Arietẽ, corruptioni ac rerum excidio. Hæ igitur rationes impulerunt primos illos rerũ cœleſtium obſeruatores, ut in Capricorno atq; Aquario Saturnum collocarent, quando ea ſigna Solis ac Lunæ domos aduerſis radijs impugnarẽt, qui minaciſſimus maximeq; noxius eſſet aſpectus, atq; ex eo cœli tractu, qui ea quæ genita eſſent, uitalibusq; uiribus prædita in interitũ traheret. Quinetiam quod Saturnus à Sole Lunaq; quamlongiſſime planetarum abeſſet omnium, ut domus quoq; eius in utroque ſemicirculo longiſſime ab illorum abeſſent domicilijs, prouiderunt. Et ſaluberrimo quidem Iouis ſydori decretæ ſunt domus, quæ non unius prorſus eiuſdemq;, ſed alterius tantum participes qualitatis eſſent, pro illius æquabilitate conſeruanda. Contrà uero perniciosiſſimo Saturni numini, quod moderatiſſimæ Iouis æquabilitati eſſet aduerſum, domus decretæ ſunt, quæ tum unius eiuſdemq;, tum aduerſantis utraq; è parte qualitatis eſſent, quando intemperata uis eius foret: ut enim calidũ calido additũ mirum in modũ igneſcit, ſic frigidũ frigido accedens mirifice retorpeſcit. Eademq; hac ratione inareſcunt magis ac magis quæ ſunt ſicca, eliqueſcunt humecta. Quocirca Saturni frigus Capricorni frigiditate cumulata ſupra modum rigeſcit: & ſtellæ ſiccitas ſigni ſiccitate amplificata, mira quadam inæquabilitate in arefactionem excedit. Eædem enim (ut dictum eſt) qualitates ſimul iunctæ in exceſſum atque intemperantiam abeunt, nulla media qualitate conciliante. Duo etiam contraria prope ſi ſtatuantur, nullo obſiſtente medio litem concitant. Quare cum Saturno Aquarius contentionem exuſcitat à contrarijs qualitatibus nullo prorſus moderante. Vt autem miles bello contentionibusq;, graſſator præda ac latrocinijs, ſic ijs Saturnus lætatur ſignis, quæ tum intemperantiam eius augeant, tum diſſidium moueant ac litem, quæ moderationis eſt, concordiæq; inimica. Qua in re illud mihi uidetur uſuuenire, quod in frigore matutino, aduentante iam die, ac calore: tunc enim frigus ipſum nocturnum ſuas in ſe omnes cogit uires, inſurgitq; aduerſus ingruentem hoſtem multo acrius. Nam quod ait Ariſtoteles, per conatus illos aduerſus cõtraq; obiectos, ac ſumme infeſtos, perq; eam quam ipſe ἀντιπαρίστασιν uocat, efficitur, ut frigus etiam urat, quod ignis eſt proprium. His explicatis, de Martis domicilijs iam dicemus.

Quando igitur minacis, nocuiq; ſyderum aſpectus duplex eſſet ratio, et eius qui ab oppoſito loco, & q à quarto irradiaret, ac Saturni domos Solis

Lunæq; oppoſuiſſent domibus, quippe qui eſſet Marte pernicioſior, relinquebatur ut Martis diuerſoria in quadrangularibus collocarentur ſignis. Siquidem Aries in Lunari ſemicirculo quadratis Cancrum radijs ferit, Scorpius Leonem in Solari, in quibus idem contingit, quod in Saturni domibus. Aries enim Martis qualitates unà conſentiendo uehementius accendit, Scorpius uero dum utraq; ab illo qualitate diſſentit, prouocando laceſſit, atq; irritat. An fortaſſe quod in Lunari ſemicirculo ut perniciosæ naturæ ſyderi, ſignum Lunari naturæ aduerſum dedicare uoluerunt, in Solari uero, naturæ Solis repugnans? Vt undequaq; uis eius ad nocendum magis ac magis irritaretur, hic Lunæ naturæ in peculiari ſemicirculo, illic Solis qualitati in Solari aduerſans, qua ère lis, diſcordiaq;, quæ Martis eſt propria, concitaretur. Siquidem, ut de Achille ab Horatio traditur, Mars ipſe iracundus eſt, inexorabilis, acer, iura negat ſibi nata, deniq; nihil non armis arrogat. Sed quod de conatibus contra obiectis, deq; Ariſtotelica illa Antipariſtaſi ſupra in domeſtica Saturni ratione iam diximus, idem illud hac in parte dicendum eſt, atq; aſſeuerandum. Feruor enim Martius magis magis q; in ſeſe ipſe cogitur, uiresq; æſtuoſiores ſuſcipit ob aduerſantẽ Scorpij naturam. Quemadmodum faber dum ferrarius efferueſcentibus in fornacula carbonibus aquam ſuperinſpergit. Qua ère ignis ipſe cogitur, ampliusq; incandeſcit intus, qui antea quidem ſparſim efflabat, nullo penitus aduerſante. Illud etiam in hac conſtitutione, & penè dixerim domorum ſtructura uel cum primis conſiderandum uidetur, quod in Muſicis concentibus apertiſſime cernitur. In ijs enim temperandis neceſſe eſt non modò ut plurima, uerum ut unà omnia concinnatim conueniant. Contrà et uoces, & numeri, concentusq; uniuerſus ſtatim uti diſſentiat oportet, ubi non modò paucula inter ſe parum conſenſerint, uerum ubi eadem ipſa tum uox tum numerus pluſculũ aut exceſſerit in altitudinẽ, aut ſeſe contrà demiſerit, ſeu productior fuerit, ubi breuitas exigitur, ſeu breuior, ubi productionem ratio concentus exigit. Eadem itaq; ratione ac menſura in temperandis felicium ſtellarũ radijs omnia uti conueniant neceſſe eſt, quæ ad felicitatem conducunt. Secus autem in maleficis, ſiquidem perquàm paucis, ſiue in qualitatibus exceſſum inducentibus, ſiue aduerſum nitentibus lis excitatur, atque ad malefaciendum procliuitas, perinde ut uoculæ, neruiq; unius diſſenſio omnem prorſus concinentiam labefactat atque diſſoluit.

De Mercurij domibus. Cap. XI.

His explicatis ad Mercurium reuertamur. Eius ſtella retorrida eſſe dicitur, eáque abeſſe à Sole longius uno ſigno, coq; non integro nullo modo poteſt; cuius illud ingenium eſt, ut in alias ſe atq;

alias

alias facile naturas transferat. Vnde Vergilius obseruandum præcipit:
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Eandem ob causam deorũ cum nuntiũ dixit antiquitas. Et uero necesse erat inter stellas tam diuersarum naturarum unam esse aliquam, quæ communitatem, &, ut ita dixerim, uersabilitatem quasi quandam haberet: quæ quidem inesse communitas minime posset, nisi nunc in hanc, nũc in illam, mox in aliam atq; aliam naturam transiret, facileq; conuerteretur. Quocirca cum Soli in Leone, Lunæ in cancro, Veneri in Libra Tauroq; domicilia essent constituta in ea Signiferi parte, quæ propius nos aspiceret, reliqua duo signa quæ Solis ac Lunæ domibus adiũcta essent, Geminos ac Virginem Mercurio decreuerunt. Quando autem natura eius tam esset uersatilis, ipseq; Mercurius in Geminis esse nisi Vere iam procedente, aut Aestate incipiente non posset, quo tempore uires Sol genitaleis excitat, excitatasq; exuscitat ac fouet, ut & Verni temporis, & Solis procreantis naturam indueret, signum ei humidum, calidumq; attribuerunt. Calida nãq; & humecta tum gignendis rebus, tum ijs quæ genita sunt fouẽdis maxime idonea sunt. Etenim Aries ac Taurus retorridã Mercurij uim magis magisq; exiccasset, cum etiam à Solis domo longius abesset. Actametsi Geminorum humida uis naturalem Mercurij ariditatem quadam è parte imminueret, in quo generationi est consultum, ut dixi: tamen tum ab imminentis æstatis siccitate atq; calore, tum a Solis propinquitate, à quo quàm dixi longius abesse nequit, naturalem illam atq; arescentem eius uim fouẽri nihilominus intellegebant. Contrà quod æstate autumnoq; nulla esset habenda procreationis ratio, quo tempore quæ procreata essent, enutrita iam, ac plena in maturitatem inclinarent, diuersorium Mercurio in arido & frigenti signo posuere: quod necesse esset propter torridam anni partẽ, neuis eius magis magisq; incensa atq; arefacta deflagraret, admota frigiditate prohiberi. Quare id effectum est, ut Vere quidem in signo Veris naturam habenti domum Mercurio statuentes, ueris naturam imitari eum facerent, Autumno uero, ut Autumni naturam sequeretur, in signo Autumnalis qualitatis diuersorium ei collocarent. Ac de errantium stellarum domicilijs dictũ sit hactenus. Plura tamen siue Punicis, siue Arabibus ab autoribus in hac domorum distributione traduntur, quæ referre nec necessariũ uidetur, & Physicis cum rationibus parum omnino conueniunt.

Quod Domorũ constitutio sibi maxime consentiat. Cap. XII.

QVàm autem hæc domorum constitutio omni sibi è parte consentiat, illud docet, quod domorum ordo ipsorum quoq; planetarum ordinẽ ac situm sequatur. Nam post Solis Lunæq; domos gradatim hinc atq; illinc Mercurij primũ, qui Solis

propinquitate præ cæteris gaudet, pòst Veneris, hinc Martis, deinde Iouis, ultimo loco Saturni domicilia subsequuntur. Illud quoque prudenter prospectum est, quod domicilia stellarum infelicium domos Lunæ ac Solis qui generationis authores sunt, tum ab opposita, tum à quadrangula cœli regione hostiliter lacessunt. Rursus felicium stellarum, quæ generationem ac rerum prouentum adiuuãt, Solis ac Lunæ regias triangulari ac sexangulari aspectu irradiant, & tanquam uenerantur. Nam Pisces triangulari, Taurus sexangulari aspectu Cancrum uident: Libra Leonem sexangulari, Sagittarius triangulari aspicit. Quinetiam cum pernicioſissima Saturni stella radiatione maxime noxia, Martis uero quod minus esset pernicioſa, minus etiam noxio è loco Solis ac Lunæ diuersoria oppugnarent, cautum & perspectum est, ut saluberrimũ Iouis sydus aspectu maxime salutari, Veneris uero, quod lumen eius minus esset ualidum, è locis nõ adeò cognatis domos eas intuerentur. Quandoquidem ut maximo maxima, sic minori debentur minora: quod tum naturæ legibus, tum etiam ciuilibus est cautũ. Sequitur pòst hæc explicatio ea quæ ad altitudines pertinet, sic enim ueteres appellauerũt, quæ hodie dicuntur Exaltationes, Græcè sunt ὑψώματα, unde recte dici possunt & Celsitudines, & Sublimitates, quinetiã Subleuationes, quarum quidem rationes hæ traduntur.

De Altitudinibus Planetarum. Cap. XIII.

SOlem autorem procreationis esse, eamq; signiferi partem, quæ ab Ariete incipiens sexto in signo desineret, uitæ consulere, actueri ea quæ nata essent, paulò antè diximus. Quo fit, ut exacta iam hyeme ubi Sol è remotis Zodiaci partibus magisq; corruptioni aptis ad Arietem peruenit, quasi in patriam, atq; ad gerendam rempublicam redierit, lætetur, & tanquam gaudio exiliat, ut qui & generationis regionem, & conuenientis secum naturæ signum sit ingressus, in quo & augescere dies incipit, quem præsentia eius efficit, & calor qui est Solis proprius, singulis diebus incrementum accipit, Sole ipso sublimiorem iam cœli partem peragrante. Quando autem Soli primus iure suo locus ut in generatione, sic in hac constitutione datus est, merito secundus Lunæ conceditur, quæ secundam pòst Solem autoritatem iure sibi uendicat. Quocirca Lunæ altitudinem esse in Tauro uoluere, quod signum est à Solis altitudine secundum. Ad hæc cum Luna ipsa lumen à Sole, annus uero principium ab eodem Sole capiat in Ariete constituto, si cum Sole Luna in altitudinis eius parte coëat, non ante, pòst coitum apparere incipiet, ac lumen suum terris diffundere, quàm Taurum ingressa sit. Iure igitur altitudinẽ Lunæ constituerunt in Tauro. Quod si procreationis

tionis rerum parentes lætantur signis primum cardinẽ orientis plagæ tenentibus, par est, ut Saturnus qui generata ad interitum adducit, aduerso altitudini Solis loco, primoq; occidentis cœli plagæ cardine lætetur atq; exultet. Quapropter eius altitudini Libra est attributa, à qua, ut dictũ est, motus in decliuia incipiat, progrediaturq; in rerum interitũ, decrescentibus diebus, frigoreq; augescente. Cum etiam ut Saturni domus Solis domicilio, quod sit ipse maxime noxius, nocẽtissima irradiatione aduersetur, sic etiam Saturninæ altitudinis signũ Solaris altitudinis signo perniciosa irradiatione obsistat, quo è loco etiã Aquarium domũ suam triangulariter aspicit. At Iouis altitudini Cancer designatus est: ubi enim maxime salutaris stella lætari magis aut potest aut debet, quàm in eminentissimo cœli loco, unde terras has rectis & sua se sponte demittentibus radijs illustret ac foueat? Quo etiã è loco Septentrionales uentos cõmodius excitet, quorum hæc stella maxime fœcunda est, & Pisces domũ suam trigonali radiatione tueatur. Cum autẽ, ut sæpius dictum est, rerum progenitarũ cõseruatio sit ab humido calidoq; simul temperatis, è quibus etiã generatio ipsa constet, cuius quidem naturæ atq; æquabilitatis est Iupiter, utq; Saturni altitudo Solis altitudini opponitur, quãdo hic genitalis est, ille pernicioſus, sic Ioui uitæ custodi & conseruatori lætanti in Cancro, Mars opponetur uitalem exurẽs humorẽ. Itaq; recte in Capricorno exultare Mars dicitur, atq; in ea Signiferi regione, quæ corruptioni est accõmodatior. Nã cum ea regio sit Australis, & suapte natura exusta, Mars illic magis ac magis efferuescit, atq; incenditur, quinetiã eo è loco Scorpium peculiarẽ domũ hexagonaliter intuetur. At Venus in Piscibus collocata merito lætitia exilit: quippe quæ genitalis cum sit, gaudet propinquitate eius cœli plagæ, quæ etiam genitalis est, ad quam plagam è Piscibus statim proficiscatur: cumq; humecta ipsa sit, humecto lætatur signo, è quo sedem suam, id est, Taurũ sexangularibus illustrat radijs. Mercurio autẽ cessit altitudo in Virgine. Nam cum sit re torridior, atq; eiusmodi qualitas non sit omnino uitalis (retorrida enim humore carent) altitudinem eius constituere in decliui signo, atq; in regionem eam uergenti, quæ in interitũ res adducit, eq; uirili ætate declinat in senium. Etenim si Veneris sublcuatio Solis sublcuationi assistit, genitalis qualitatis gratia, cur nõ altitudo Mercurij, cuius qualitas huic est qualitati contraria, Saturni assistat altitudini? quem pernicioſissimũ esse diximus. Vt autẽ Saturni exultationẽ Solis exultationi, Martis quoq; exultationem Iouis exultationi opposuere, cur nõ exultationem Mercurij Veneris exultationi opponerent? Siquidem eorum quæ contrariæ naturæ sunt, eadẽ habẽda est ratio. Quocirca appositè atq; conuenienter distributa sunt errantibus stellis signa, quibus lætarẽtur singulæ, tanquã ad propriũ opus

peragendum aptis atq; idoneis. Deijci autem, & penè mœrere in oppositō altitudini suæ signo unusquisq; planeta dicitur. Nam si subleuatur Sol in Ariete, quod terris fiat propinquior, quod genitalem cœli tractū inuisat, quod diem augeat, quod calorē excitet, tristari eum necesse est ac deijci in Libra, dum terras deserit, dum corrumpendis rebus accommodatā regionem ingreditur, dum & dies imminuitur, & calor incipit à frigore superari. Idem dico de Saturno, reliquisq;, quos æquum est mœrere, & tanquā deijci animo, dum deiecta in loca, atque altitudinibus suis oppositas ad regiones perlati, contrariū obire munus coguntur. ut in lucē ueniat: qui gaudeat tenebris, eat in tenebras: qui gaudeat luce, sentiat calidum: qui lætatur frigido, liquescat in humido: qui arescere cupiat in sicco, torrescat in arido: qui quærat humentia, quæq; alia propriæ sunt naturæ contraria, patiatur: unde Græce dicuntur ταπινώματα, maiores nostri Deiectiones, Humilitates q; uocauere, quod tanquam deiecti planetæ illic essent, & in humili ac depresso loco sine autoritate sordescerent: unde hodie Depressiones dicuntur & Casus, & Planetæ ipsi in ijs locis positi, depressi ac deiecti existimantur. Illud etiam in decernendis altitudinibus prudentissime consideratum est, quod cum Sol primas in generatione partes habeat, triangularisq; irradiatio primæ sit ad beneuolentiam autoritatis, Soli in Ariete, qui Leonem triangulari aspectu intuetur, altitudinem decreuere: Lunæ in Tauro, qui Cancrum sexangulariter aspicit: qui quidem aspectus cum secundæ sit autoritatis ad gratiam ac fauorem, in constituenda Lunæ altitudine obseruatus est, quippe cum Luna ipsa secundas in generatione partes retineat. Idem seruatum est in decernenda Saturni ac Iouis altitudine, quorū stellæ diurnæ sunt, ac Solaris conditionis, ut è sua uterq; altitudine proprias sedes triangulariter aspiceret. In Martis uero ac Veneris statuēdis subleuationibus id etiam perspectum est, ut ex ijs sedes suas hexagonaliter intuerentur, quod hi Planetæ nocturni sint, Lunæq; conditionem sequantur. Mea quidem sententia uidentur prisci illi constituendis altitudinibus hanc potissimum rationem secuti, ut quemadmodum peregre redeuntes mirificā eo in loco uoluptatem capiunt, ad quem ubi peruenere, patrium inde solū prospicere incipientes, Lares ipsos summa cum iucunditate lætitiaq; salutant: Sic ipsi quoq; arbitrarentur erranteis stellas, ac tanquam peregre uenientes, exultare eo in signo, de quo domiciliū quæq; suum, amicoq; intucatur è loco. Atq; in Sole quidem, Ioue item ac Saturno, quia diurnæ, masculæq; conditionis essent, triangularem secuti sunt aspectum, quippe qui autoritatis esset maioris: in nocturnæ uero, fœmineæq; conditionis stellis sexangularem, qui minore esset autoritate præditus. Ex ijs quæ iam explicata sunt, satis patet, Solem, Lunam, Iouem, ac Venerē in ijs, de quibus diximus signis

signis extolli, & tanquam reges proprio in solio ius dicere, autoritatemq; suam præ se ferre, tum gignendi, tum quæ genita essent conseruandi gratia contra Saturnum, Martem, & Mercurium, eorundem perdendorum causa. Cum autem singula quæ nascuntur, semel tantum nascantur, semel uiuant, semel etiam moriantur, iure in uno non in duobus aut pluribus signis cuiq; planetæ altitudinem decreuere. Cur autem stellis singulis binas præterquàm Soli ac Lunæ domos dedicauerint, illa uidetur esse ratio, quod penes Solem Lunamq; cœli totius esset, ac signorum omnium iurisditio, & eorum quæ fierent moderatio, quemadmodum penes regem reginamq; ius curaq; regni totius est. Cõsueuere tamen una in urbe sedem tribunalq; sibi statuere, in qua eorum existimetur maiestas uenerabilior, ac iuris dicundi potestas accommodatior. Quocirca alteri Leonem, alteri Cancrum dedicauere, in quibus coniuncta utriusq; esset regia: atq; ut uxor uiro, sic Luna Soli propior assisteret. Cum enim (ut dictum est) munus Lunæ sit, materiam præparare, Solis informare, ubi nam facilius, commodiusq; quàm in signis similium qualitatũ, ijsdemq; proximis, & in parte Zodiaci præsentissima præstare hoc ipsum poterant? Cæteris autem quasi famulantibus, cum aliàs Solem antecedant, aliàs sequantur, ac nunc sint in ortu, nunc in occasu (ac si duplex ipsorum ministerium ac munus esset) domos etiam duplices decreuere: unam, quæ esset à dextera: alteram, quæ à sinistra: ut regias dominorum in medio ac tanquã in arce positas domibus suis cingerẽt.

De aspectibus, & configurationibus. Cap. XIIII.

QVoniam autem de configurationibus atque aspectibus sæpius à nobis mentio facta est, qui & quales aspectus ipsi sint, aperiendũ relinquitur. Configurantur itaq; in Zodiaco septima quæq; signa à loco sibi aduerso, scq; oppositis inuicem radijs intuentur: unde aspectus hic oppositus, & configuratio opposita uocatur, Græco uerbo Diametra, necnon Diametralis dicitur, quod Significrũ ipsum à primo ad septimũ signum protracta recta linea æqualiter metiatur. Si enim ab ortu ad occasum usq; rectam lineam produxeris, cœlum omne in duas æquas partes, quæ uocãtur hemisphæria, diuides. Cum autẽ uniuersus Signifer è duodecim constet signis, signaq; ipsa è triginta partibus, si partes ipsæ duodecies multiplicatæ fuerint, tercentum ac sexaginta partes constituent: quam totam summam ubi sexies duxeris, in duas æquas partes diuides, eæq; singulæ erunt è centum octoginta partibus. Vt enim duodenarium numerum sex bis ducti, æqualiter diuidunt: sic centum octoginta partes bis ductæ uniuersam quam diximus Zodiaci ac duodecim signorum summam, bifariam æquali sorte partiuntur: Vt si à primo gradu

Arietis rectam lineam in primum Libræ gradum protendas, cœlum omne in sex signa, gradusq; centum octoginta bifariam distribues. Hæc diuisio, seu rectæ lineæ protractio rectum constituere angulum dicitur. Rursus senarius numerus è ternario bis multiplicato cõstat. Si igitur unum signũ, id est triginta cœli partes ter duxeris, cœlũ ipsum, ipsaq; duodecim signa in quatuor quadras æqualiter distribues. Singulæ autẽ seu quadræ, seu quadrangula, seu quadrantes è nonaginta constabunt gradibus. Quæ partes quater ductæ integram Zodiaci summam, uniuersasq; duodecim signorum partes complebunt. Eadem hæc diuisio rectum quoq; angulum constituit. Hic autẽ aspectus à primo quoq; signo in quartum ducta linea figuratur, unde à Græcis τετράγωνος, à nostris tum Quadratus, tum Quadrangulus, Quadrangularisq; dicitur. Sequitur aspectus ille qui τρίγωνος Græce dictus est, Latine Triangulus, Triangularisq;. Quidam è recentibus uocant Trinum, quamuis nõ satis Grammatice. Continet hic signa quatuor, partes uero centum uiginti. Si enim signum unum, id est partes triginta quater multiplicaueris, quot diximus signa, quot etiã diximus partes implebis: quatuor autem signa ter producta, duodecim signa, id est omnem Signiferum complectuntur. Qua ratione Signifer orbis in triangulos tris distinguitur: indifferenter enim & masculino genere, et neutro triangulum proferimus. Hæc configuratio fit, ubi à primo quoque signo digressus in quintum usq; progrediere: angulum autem constituet ne quaquam rectum, sed obtusum, continentemq; angulum unum rectum, ac tertiam etiam recti particulam. At hexagonus, quem Latine Sexangulum ac Sexangularem dicimus, Sextilem nonnulli malunt, duo tantũ signa continet, gradusq; sexaginta, partiturq; omnem Signiferũ in figuram habentẽ sexangulos. Si enim signum unum, eiusq; triginta partes bis produxeris, signa quidem duo, partes autem sexaginta conficies, quæ Zodiaci totius est pars sexta. Progrediere aũt à primo quoq; signo in tertiũ, qua ratione hæc ipsa sexangularis forma acutum angulum, hoc est duas recti tertias continebit. Qui numeris delectantur, figurisq; Arithmeticis, hæc quæ dicimus ad Sesquialteram, & Sesquitertiam rationem commodissime referunt. Igitur si ab Arietis parte prima numerare incipias, quæ quadrata dicitur configuratio, ea tria signa, hoc est Arietem ipsum, Taurũ, ac Geminos ad primam usq; Cancri partẽ complectetur. Sin Arietem, Taurum, Geminos, Cancrumq; complexus fueris, ad primã usq; Leonis partem triangularẽ configurationem formabis. At si ab eadem prima parte Arietis ad primã usq; Geminorum proficiscare, sexangularem figuram constitues. His rationibus Signifer ipse cõtinebit hemisphæria duo, id est æquales semicirculos duos: ut si ab Aricte incipiens in Libram proficiscare, rursusq; à Libra re-

gredia-

grediare in Arietem, continebit item quadras quatuor, quarum prima complectitur Arietem, Taurum, Geminos: secunda Cancrum, Leonem, Virginem: tertia Libram, Scorpium, Sagittarium, quæ ultima est, Capricornum Aquariũ, Pisces: triangulos uerò tres tantũ, primũ ex Ariete, Tauro, Geminis, Cancro: secundum è Leone, Virgine, Libra, & Scorpio: tertium qui unus reliquus est, è Sagittario, Capricorno, Aquario, Piscibus: sexangulos uerè sex, primum ex Ariete & Tauro, secundum è Geminis & Cancro, tertium è Leone & Virgine, quartum è Libra & Scorpio, qui duo sunt reliqui: alterum è Sagittario & Capricorno, alterum ex Aquario & Piscibus. Aries igitur sexangulari aspectu Geminos, quadrangulari Cancrum, triangulari Leonẽ, opposito Librã irradiat: & sic deinceps alia signa se inuicẽ intuentur minaci, beneuoláue irradiatione. Quæ de re mox dicemus.

De aspectibus beneficis & maleficis. Caput XV.

QVadranguli, oppositiq; aspectus, ac Diametræ, tetragonæq; configurationes minaces sunt & noxiæ, contrà triangulares ac sexangulares benevolæ & adiutrices: quod cur fiat uideamus. Radij sibi inuicem aduersantes (quod obuiam facti, & alteri in alteros uiolenter impacti collidunt sese) discordiam atque inimicitias excitant, inde aspectus ipse noxius & hostilis est. Radij quoque quadrangulantes, tametsi aduersis frontibus sibi non occurrunt, tamen è rectis angulis progressi, & tanquam alteri in alterorum latera incursantes percutiunt sese, dumq; neutri uidentur uelle cedere, contentionem excitant, quocirca & hæc quoq; irradiatio minax est. Docet hoc uentorum pugna, ubi aut auster opponitur septentrioni, aut austro ipsi, qui à meridie flat, Fauonius occurrit ab occasu, transuerso impetu. Secus autem in triangulorum, sexangulorumq; contingit irradiationibus: siquidem radij ipsi neq; sibi occurrunt aduerso impetu, neq; se interturbant, aut tanquam è latere atque ex insidijs inuadunt, quinimò perinde ac socij miscent sese, ac ueluti in unam aciem conuenientes simul procedunt. Quæ è re utraque benevola irradiatio dicitur, quod inuicem coniunctis uiribus sibi auxilio sint. Ptolemæi hæc ipsa de re uerba sunt hæc: Ex his configurationibus trigonæ quidem atque hexagonæ dicuntur consentientes, quippe quæ è generis eiusdem signis statuuntur, aut fœmininis omnibus, aut masculinis: inconsentientes uero diametræ & tetragonæ, quod iuxta ἀντίθεσιν eiusdem generis situm nactæ sunt. Prima quidem Ptolemæi ratio sibi constat, siquidem signa intuentia se è triangulo aut sexangulo genere consentiunt. Aries enim & Leo & Sagittarius sunt signa masculina: Taurus, Virgo, & Capricornus fœminina. Idem in omnibus triangularibus signis euenit. Eadẽ quoq; sexus conuenientia iunguntur sibi sexangularia signa, Aries ac Gemini,

Taurus itē & Cancer, & sic deinceps. Secunda uero ratio, quæ est de Antitheſi, quàm ſibi conſtet, non intellego: cum ſigna quadrangularia genere ipſo differant, ut Aries & Cancer, Taurus ac Leo, oppoſita uero conueniant genere, ut Aries ac Libra, Taurus & Scorpius, Gemini & Sagittarius. Itaq; non ſatis patet, quæ nam ſit hæc Antitheſis, id eſt eiuſdem generis ſignorum oppoſitio. Quocirca nec ratio ipſa ſibi quadrat. Nam ſi in triangularibus idem genus conuenientiā facit, atq; conſenſum gignit: quonam modo in oppoſitis diſſenſionem atq; inimicitias excitabit? Signa quoque triangularia cōueniunt ſecum ob eaſdem elementares qualitates. Arietina enim triangularitas ignea eſt, Taurina terrena, dëria quæ nomen habet à Geminis, aquea quæ à Cancro. At in quadrangularibus ſignis hoc ipſum non eſt perpetuum, ut ſibi omnino aduerſentur ab utraq; qualitate. Cancer enim & Libra in humido conueniunt, tametſi Aries atq; Cancer utraq; qualitate differunt, Taurus quoq; & Leo in ariditate ſimul conſentiunt, at Gemini ac Virgo prorſus diſſentiunt. Signa quoq; oppoſita eandem ſeruant regulā, ut nequaquā ſe contrarijs omnino qualitatibus impugnent. Aries enim ac Libra conſentiunt in calore, Taurus & Scorpius in frigore. Idē in ſexangularibus contingit. Aries enim ac Gemini inuicē calido conciliantur, differunt humido & ſicco. Taurus & Cancer conſentiūt in frigido, diſſentiunt in humido. Quocirca aſpectus ipſi non ab elementarium qualitatū ſimilitudine, aut diſſimilitudine, aut ab eiuſdem generis ſocietate, oppoſitioneue beneuoli aut maleuoli dicendi mihi uidentur, ſed à ſitu potius, atq; à radiorum uel cōcurſu ſocio, uel occurſatione aduerſa. Cancer enim ac Leo, Capricornus & Aquarius, Piſces & Aries, Virgo & Libra ratione eaſeſe hoſtilem inſectarentur in modū, aduerſantibus qualitatibus: non inſectantur autem, quia ſitus quadrangulus, ſeu oppoſitus, radiorumq; hoſtilitas minime id patitur. Non inficiamur tamen qualitatum ſimilitudinem aut diſſimilitudinem, ad augendas tum familiaritates, tum odia multum etiam conferre.

De ſignis auerſis & diſiunctis. Cap. XVI.

Duodecim igitur ſignis ſeptimum quodq; ab illo à quo numerare cœperis, item quintum, quartum, ac tertium ſe intuentur, ob eamq; rem coniuncta inter ſe dicuntur. Quod uerò ſecundum, ſextum, octauum, aut duodecimum fuerit ab eo, à quo numerū ordiris, ſibi nullo modo configurantur, neq; enim ſecundum ſignum aſpicit primū: unde quod nulla inuicem configuratione iunguntur, quin quod à ſeipſis auertunt aſpectum, tum diſiuncta, tum auerſa dicuntur ſigna, Græce ſunt ἀποτόμους. Taurus enim quod ſecundū ab Ariete locū teneat, Virgo quod ſextum, Scorpius quod octauū, Piſces quod duodecimum,

mum, nulla dicuntur cum Ariete aspectus societate coniungi. Eadē est aliorum inter se signorum secundum hunc ordinem ratio. Et illa quidem quæ se intuentur, siue duplicata, siue triplicata, siue etiam quadruplicata, circulum uniuersum implent: quod in auersis, atq; disiunctis secus accidit.

De inæqualitate dierum & noctium secundum climata, Caput XVII.

NEc uero cum de dierum ac noctium tum incrementis, tum detrimentis mentio facta sit, prætercunda uidetur ratio cur id eueniat. Nam cum Signifer orbis uigintiquatuor tantū conuertatur horis, singula signa duabus horis integris, si supra finitorem circulum, quem Græci ὁρίζοντα dicunt, ascenderent, nimirū dierum ac noctium inæqualitas nulla contingeret. Ex hac itaq; temporū inæqualitate indicatur ipsa ortus signorum atq; occasus inæqualitas, nec unum esse ascensionis spatium, quæ res ad terrarum situm mundiq; posituram referenda prorsus est. Quo enim à linea æquinoctiali septentrionem uersus propius accesseris, sub æstatem maior fit diebus accessio, sub hyemem uero noctibus. Quocirca obliquitas ipsa Signiferi orbis, ac recessus terrarū ab æquinoctiali ad septentrionalem cardinem, hanc ipsam temporum inæqualitatem efficit. Quam inæqualitatem prisci illi rerum cœlestium obseruantissimi, ut manifestiorem facerent, spatium omne quod est terrarum à linea æquinoctiali ad septentrionis uerticem, ad quem qui ab Austro recedunt, uidentur continue ascendere, in septem climata, inclinationesq;, &, ut ita dixerim, cliuos diuiserunt. Et primum quidem siue illud clima, siue potius cliuum, aut etiam tractum, aut inclinationem uocaueris, tum diem maximum sub æstiuum solstitium, tum noctem longissimam sub brumale, tredecim tantum horarum habet: neq; enim ultra hoc spatium aut dies aut nox illic producitur, neq; citra undecim subducitur. Hic tractus quoniam Meroën Aegypti pertingit, inde à Græcis διαμεροὺς est agnominatus. In secundo autē climate dies & noctes ad horas tredecim adijciunt horæ unius dimidium, ubi maxime productæ sunt, ac tantundem demūt ubi subductæ. Quod quoniā Syenem, quæ est plagæ illius urbs notissima, tractu suo complectitur, ab ea nomen accepit διασυηνής. Et ille quidem tractus Meroën sis, hic uero dici à nobis Syenensis potest. In tertio quod ab Alexandria dixere Alexandrinum, dies noctesq; maximæ illæ quidem sunt horarū quatuordecim, minimæ autem decem. In quarto, quod Rhodium est uocatum, ad horas has quatuordecim accedit horæ unius dimidium, rursusq; tantundem demitur è decem. Quintum quod Romanum dicitur, habet dies noctesq;, ubi productissimæ sunt, horarū quindecim: ubi subductissimæ, nouē

tantum. Sextum quod agnominatum est Helleſponticum, addit ad horas has horæ alterius dimidium, ac tantundem demit è nouem. Septimum Boryſthenicum habet horarum ſedecim, tum dies, tum noctes, ubi ad ſummum excreuere: at ubi quo decreſcant amplius non habent, horarum octo. Quidam addidere octauum, idq; Rhiphæum à Rhiphæis montibus, quinetiam Hyperboreum uocauere: hoc in tractu maxime frigido & ab æquinoctiali linea quam remotiſsimo, quo propius ad uerticem ſeptentrionis acceſſeris, eo amplius augeſcunt ſub æſtatem dies, ſub hyemem noctes, ſiquidem compertum eſt ad horas uiginti accedere. Ac de his nunc hactenus, alibi diſtinctius atq; uberius. Ipſa uero æquinoctialis linea æquales ſemper dies noctibus efficit, quoniam nulla illic contingit terrarum aut ſignorum obliquitas. Secat autem interiorem Libyam per ſinum Heſperium, ultra fortunatas inſulas, perq; montem, qui deorum currus dicitur, ac montem eiuſdem tractus nomine Arualtem, inde tranſit per interiorẽ Aethiopiã ultra Garamanticam & Arangam montem, ac per Pyleos montes, itẽ Coloan paludem cis Lunæ montes, ac Nyli paludes profecta, ſecat Indicum pelagus, extremaq; Taprobanæ & Cherſoneſi eius, quæ aurea dicitur, indeq; per Sinarum ſinum pertingit locum, ubi Saënus fluuius in ſinũ ipſum influit, ultra uero regio eſt nobis ignota.

De ſignis obliquis, aut rectis. Cap. XVIII.

IN iſs igitur tractibus, quos ab ipſa æquinoctiali linea ſeptentrionem uerſus octo eſſe poſui, ſigna ſex quæ ſunt ab initio Capricorni uſq; ad Cancri principium, quod obliqua oriuntur (recedunt enim ab Auſtro, atq; in Aquilonem aſſurgunt) ſingula minus duabus horis occupant in ortu, quocirca lucem citius nobis afferunt, & quod ad occaſum recta deſcendunt, in ipſo deſcenſu ſingula duabus horis amplius occupant. Quo fit, ut cum celerius oriantur, occidant tardius, dieſq; ipſi tandiu creſcant, dum ad Cancri initiũ Sol peruenerit, quo è loco quod ſigna ipſa recte incipiant exurgere, ob circuli conuerſionẽ lucem tardius ad nos afferunt, quodq; in occaſum præcipitantur, & obliqua decidunt, ſingulaq; breuius horis duabus deſcendunt, lucem citius auferũt. Quocirca noctes tandiu producuntur, dum ad contrariam circuli conuerſionem, quæ fit in prima Capricorni parte, Sol ipſe lucis autor profectus fuerit. Quæ igitur ſigna breuiori tempore, quàm quod eſt horarum duarum aſcendunt, ea obliqua dicuntur, aſcenſionumq; paucarũ. At quæ duabus horis amplius ſupra finitorem tolluntur, recta, multarumq; aſcenſionum. Ex hac autem obliquitate, & oriẽdi rectitudine id efficitur, ut ſigna obliqua licet ſingula è triginta conſtent partibus, tamen quod ad horarum

pertinet

pertinet ſpatiũ, pauciores habere partes dicantur. Siquidẽ idẽ ipſe Aries, quod ſignũ ſub æquinoctialẽ lineã triginta partiũ eſt, in ipſo primo climate ea celeritate aſcendit, ut nõ plures quàm uigintiquatuor gradus, ac uiginti minutas partes gradus unius habere uideatur. At Cancer tanto tardior eo exurgit in eodem primi climatis tractu, ut ad triginta illas partes tres etiã gradus adijcere intellegatur, quinetiam minutas partes uiginti. In ſeptimo autem climate uſq; adeò properare ortum Aries ſentitur, ut quindecim gradus integros nullo modo impleat. Cõtrà Cancer immoratur adeò, ut amplius etiã quàm ſeptẽ ac triginta gradus occupet. Hoc quod de gradibus dicimus, ut ad temporũ atq; horarũ ſpatia referamus, tale eſt. Cõſtituamus locum in quo dies maximus ſit horarum quatuordecim, ad quas etiam addat pluſculum aliquid temporis, hoc in loco Cancer, quod rectũ ſignum eſſe diximus, totus oritur horis duabus, adiecta etiã duodecima parte horæ alterius. At Capricornus qui huic aduerſatur, & obliquus exurgit, hora una & deunce, ſiquidem è duabus horis ſurripitur ei horæ unius pars duodecima. Quod enim Cancro adijcitur ad horas duas, illud ipſum, id eſt tantundem demitur è duabus horis Capricorno. Leo itẽ oritur horis duabus & triente, Aquarius hora una, trientibus duobus, Virgo exurgit tota horis duabus, trientibus item duobus, id eſt partibus octo horæ alterius, Piſces huic cõtrarij hora una, triente uno. Quod enim Virgo ſibi addit ad horas duas, Piſces imminuũt. Libra quoq; dum tota oritur, hoc ipſum tempus horarum duarum & trientium duorum implet, at Aries horæ tantum unius & trientis unius ſpatium, Scorpius horas duas & trientem unum occupat in ortu, Taurus horam unam & trientes duos, Sagittarius horas duas & duodecimam horæ partem, perinde ut Cancer, ac Gemini perinde ut Capricornus horam unam cum deunce, id eſt horas duas demptatantum duodecima horæ parte. In horum autem occaſu ratio mutatur, quantũ enim duabus horis demitur, aut illis additur in exortu, tantũ ſubducitur, aut adijcitur in occaſu. Quæ ratio efficit ut Sole in prima Cancri parte conſtituto, dies ſit horarum quatuordecim, adiecta etiam alterius horæ parte ſexta. Acnihilominus horis uiginti quatuor Signifer totus conuertitur, ſignaq; ſex hemiſphærio ſuperiori, altera uero ſex inferiori deferrantur. Hæc quæ nunc dicimus, manifeſtiora fiunt è regulis computationũ pro locis, in quibus aſcenſionum ipſarum ratio quæritur.

De ſignis præcipientibus & obedientibus. Cap. XIX.

EX hac tamen oriendi inæqualitate efficitur, ut ſigna quædam quod æqualiter abſint ab æquinoctialibus punctis, habeant gradus inuicẽ ſibi æquales, ultima enim pars Piſciũ contigua eſt æquinoctij uerni puncto, quemadmodum prima, ſic etiam

Piſcium uigeſimanona, uigeſimaoctaua, uigeſimaſeptima, ac deinceps iiſdem ſpatijs, quibus ſecunda, tertia, & quarta Arietis ab eodem puncto abſunt: eadem ratio eſt partium Tauri & Aquarij, Geminorum & Capricorni. Siquidē trigeſima Aquarij, & item uigeſimanona, ac deinceps aliæ partes ſigni eiuſdem, rurſus prima & ſecunda Tauri, & quæ pòſt ſequuntur, tantūdem ab Arietini æquinoctij puncto remotæ ſunt. Vltimæ quoq; partes Capricorni, primæ item Geminorum, & conuerſo ordine, Geminorum ultimæ ac primæ Capricorni partes æquis portionibus puncto ab eodem diſtant. Eadem hac ratione atq; ordine partes Virginis Libræ partibus reſpondent, partes Leonis partibus Scorpij, partes Cancri partibus Sagittarij. Singulæ enim uerſo ordine ab æquinoctij autumnalis puncto æqualiter diſtant, quam ob cauſam eaſdem etiam aſcenſiones ac deſcenſiones habent. Piſces enim & Aries æquatis, ut dictum eſt, temporibus exurgunt & occidunt. Idem ſeruant inter ſe Taurus & Aquarius, item Gemini & Capricornus: quocirca Græce dicuntur ἰσοαναφόρα, quod æquatis aſcendant temporibus: quinetiam à multis dicūtur æquipollentia, quod mutuis utantur uiribus: eadem eſt in ortu atq; occaſu æqualitas inuicem Virginis ac Libræ, Leonis & ſcorpij, Cancri & Sagittarij. Hæc igitur partium æquidiſtantia, eademq; ab æquinoctialibus punctis tum remotio, tum propinquitas, è quibus aſcenſionū ac deſcenſionum ſimilitudo manat, conuenientiam inter ſe quandam atq; conſenſum, & familiarē, ut ita dixerim, affectionem ingenerant, atq; ut Græci dicunt, συμπάθειαν. Quod in uita quoq; ciuili cōtingit, ut annorū æqualitas, ætatisq; ac morū ſimilitudo beneuolentiā & coniunctionē pariat. Pueri enim ob ætatem pueris, ſenes ſenibus, cōtinentes continētibus conueniūt. Quod ſi à natura ineſt hominibus, an non cœli ipſius partibus inerit? à quibus profecto efficitur, ut illis hi, his illi, alijs alij tum magis, tum minus natura ab ipſa concilientur. Singulis enim hominibus naturalis quædam affectio, atq; propenſio, & ut hodie dicunt, inclinatio inſita eſt. Quamobrē in pronuntiandis ſentētijs atq; apoteleſmatibus oportet Mathematicum partes has conſyderare, & quid ex ipſo partium conſenſu, atq; æquipollentia fieri poſſit, inſpicere. Priſci quoq; tum Aegyptij, tum Græci alterum ſemicirculū, à cuius initio poſtq; Sol ad eum peruenit, dies excreſcere incipiunt, æſtiuū dixere: alterū uero hyemalem, quod ubi Sol ad eum deſcenderit, dies ſuperentur à noctibus. Quod dies igitur præferatur nocti, quod calor frigori, lucis incrementum detrimento, hinc ſigna ipſa æſtiui ſemicirculi, quod lucis, quod diei, quod etiam caloris augmentum afferant, unde rerum prouētus exiſtit in terris, honoris gratia dicuntur imperare: quæ uero in hyemali circulo collocantur, tanquam ſubiecta illis obedire. Etenim in bene conſtitutis urbibus

magis

magistratus ipsi ac principes, quod maiori sint autoritate præditi, præferuntur cæteris ciuibus, & in precio habentur maiori. An non propter lucis autoritatem, calorisq; præstantiam inter planetas ipsos Sol excellit? Iure igitur ut partes quædam partibus ob germanam æqualitatem consentire, inuicemq; familiariter iungi existimantur: sic ex ipsis signis alia præcipere, contrà alia obedire iudicantur. Quid enim magis secundũ naturam, quàm ut quæ potiora sunt, minus præstantibus præferantur atq; præsideant? Hæc quoq; consideratio ad intellegenda stellarum decreta plurimum adiumenti disciplinæ huius studiosis affert. Nec uero explanandis his recusabimus quæ Porphyrius de præcipientibus atque obedientibus signis & sentit & tradit, statim subiungere. Obediunt, inquit, signis signa, Libra quidẽ Arieti, quod Aries diẽ augeat: ipsa uero minuat: Pisces Tauro, quod Taurus pluriũ est ascensionum, Pisces pauciorum: eodem modo Aquarius Geminis, Capricornus Cancro, Sagittarius Leoni, Scorpius Virgini. Hæc Porphyrius. Ex his igitur satis liquet Solstitij æstiui signum imperare signo sibi oppositio, itemq; uerni æquinoctij signum imperare Libræ, ob dierum lucisq; magnitudinẽ atq; incrementũ: atq; ob hanc ipsam rationẽ signa quæ ascendũt ab Ariete ad Cancrũ, imperare signis à Capricorno ad Arietem proficiscentibus: itẽ signa quæ à Cancro declinant in Librã, imperare signis à Libra in Capricornum declinantibus. Atq; hæc quidem præcipiendi, obediendiq; regula & ratio ab antiquis hunc in modum traditur.

De antiscijs & gradibus sibi respondentibus, & signis se uidentibus. Cap. XX.

EST etiam inter signa ac partes ipsas alia quædam, magnaq; consensio, & tanquam cognatio, quam profecto nouisse operæpretium fuerit. Nam licet Aries ac Virgo nullis se radiationibus aspiciant, mirifica tamen societate & quodam quasi fœdere iunguntur, adeò ut planeta in Virgine positus, quanquam Arietẽ non aspicit, nihilominus uires suas in Ariete magis ac magis exercet. Hoc autem cuiusmodi sit, aperiamus: Tametsi à Iulio Materno & à nobis ipsis in commentationibus nostris abunde est explicatum. Duo nanq; cum sint solstitialia signa, ab altero decrescere quidem dies, augescere autem noctes incipiunt, contrà ab altero noctes decrescere, dies uero augeri. Signum Geminorum præcedit Cancrum, Sagittarij Capricornum, singulæ autẽ partes Geminorum uerso tamen ordine singulis partibus Cancri: item partes Sagittarij Capricorni partibus sunt æquales, tantundem enim à solstitialibus punctis absunt. Ac Sole in eis constituto idem contingit noctium ac dierum spatium. Sol enim constitutus in primo Arietis gradu abest à puncto

æstiui solstitij tribus integris signis. Tantundē etiam abest, si in ultima pār te Virginis collocetur, eodem Sole ijsdem in partibus collocato, idem etiā contingit dierum ac noctiū spatium, idem lucis ac tenebrarum tempus. Eædem hæc æqualitas est inuicem partium Tauri & Leonis, Libræ & Pisciū Aquarij & Scorpij. Græci has partium mutuas consensiones dixerunt ἀντίσκια, ac si gradus signi unius, gradui alterius contrariam umbram iaciat: non quia primi gradus Arietis, quos æquales ultimis gradibus Virginis diximus, contrarias inuicem umbras iaculentur, sed quod ab Arietis ascensu dies excrescunt, à Virginis uero descensu uergant in detrimentum, atq; inde superare noctes incipiant. hoc enim solo gradus illi differūt, quod Sole ab alteris ascendente dies ita procedunt, ut noctibus semper aliquid surripiāt, ab alteris uero descendente ut semper aliquid amittant. Ammianus autem Marcellinus tradit eos, qui Meroën Aethiopiæ habitant, uocatos esse Antiscios, quod cum ea terrarum pars æquinoctiali subiaceat circulo, diebus nonaginta, umbræ quæ illic sub Sole fiunt, nostris aduersentur.

» Ponam ipsius Iulij Materni uerba: Geminorum pars prima in uigesimam
» nonam partem Cancri mittit antiscium, rursus Cancri uigesimanona pars
» in primam Geminorum partem antiscium mittit, secunda in uigesimāoctauam, & uigesimaoctaua in secundam, tertia in uigesimamseptimam, & uigesimaseptima in tertiam, quarta in uigesimamsextam, & uigesimasexta in quartam, quinta in uigesimamquintam, & uigesimaquinta in quintam, sexta in uigesimamquartam, & uigesimaquarta in sextam, & sic deinceps. Singulæ nanque partes à qua parte Antiscium excipiunt, in eam rursus à se remittunt. Quemadmodū igitur Gemini & Cancer mutuis utuntur antiscijs, atq; inter se ratione hac reciprocantur: sic Taurus & Leo, sic Virgo & Aries, sic Libra & Pisces, sic Scorpius & Aquarius, sic Sagittarius & Capricornus. Trigesima tamen pars signi, ut ipse ait, nullam in partem antiscium iacit: nam quò eam iaciat, aut à qua in ipsam reijciatur, non habet: quod supputatio ipsa manifestum efficit. His in partibus Sole constituto, ut qui æqualiter à punctis absit solstitialibus, dies diebus, & noctes noctibus sunt æquales: hoc solo differunt, quod hæ ascendunt ad punctum solstitiale, contrà illæ à puncto descendunt. Quod facile intellegetur, si constituto in cœli medio solstitij æstiui puncto, à uigesimo gradu Geminorum rectam lineam protenderis in decimum Cancri gradum, quæ partes inuicem & mittunt & remittunt antiscium. Inuenies enim utranq; partem tantundem à puncto abesse, ac triangulum duobus æquis lateribus dextra sinistraq; super protentam lineam constituere, & gradum quidē Geminorum sursum ferri, ac Cancri deorsum inclinare. Idem hoc continget, si lineas duxeris è partibus Tauri in partes Leonis, & è partibus Libræ

in par-

in partes Piſcium, eo quo dictum eſt ordine: rurſum ſi ad alterum ſolſtitium à Capricorno atq; Sagittario exordiare, eadem contingent. Hæ igitur ſignorum partes ob hanc quam diximus ſocietatem atque cognationem, ac propter lineæ ab altera in alteram productæ æquationem mira quadam ſocietate iunguntur, ſibiq; inuicem ſuffragantur. Quocirca uidere inuicem ſe ſigna hæc dicuntur, ob amicitiam & conſenſum. Etenim qui inuiſi nobis ſunt, ij non ſolũ diſſentiunt à nobis, uerum odio habentur: & quos odio habemus, uidere eos nolumus. Moleſta quoq; omnia inuiſa ſunt, & inuidia ipſa ab animi ægritudine cum odio & maleuolẽtia naſcitur. Quamobrem ſi quæ ſtellæ in alicuius genitura licet mutuis irradiationibus ſe non aſpexerint, hac tamen antiſciorum ſocietate iungantur, plurimum profecto auctoritatis nanciſcuntur. Nec tamen nos fallit, Porphyrium, aliosq; non paucos de ſignis ſe uidentibus alio modo ſentire. Porphyrij ipſius uerba ſunt hæc: Vidential ſigna ſunt quæ & diebus & noctibus æqualium temporum ſpatium tribuunt. Etenim Sole in Cancro conſtituto, maximus dies eſt horarum quindecim, minimus uero nouem, cum Sol in Capricorno fuerit, pares autem dies in Libra & Ariete. Igitur in Geminis & Leone dies eſt horarum quatuordecim, in Tauro & Virgine tredecim, in Ariete & Libra duodecim, in Scorpio & Piſcibus undecim, in Aquario & Sagittario decem: quocirca ſigna hæc ſe ipſa uident, ac ſi dicat, ob hanc ipſam dierum æqualitatem mutuo inter ſe amore afficiuntur. Singillatim uero intuenti ſignorum ipſorum partes, facile apparebit, quæ à Porphyrio dicuntur non uſquequaq; ſibi conſtare, neq; enim ſingulæ partes Leonis ſingulis Geminorum æqualiter reſpondent partibus. Si quis enim à decimo Geminorum gradu in decimum Leonis gradum lineam protendat, ac ſuper primam Cancri partem, in qua maximus contingit dies, triangulum ſtatuat, inueniet latus alterum, quod eſt à prima Cancri parte in decimã Leonis partem, è triginta nouem gradibus cõſtare: at latus alterum, quod eſt ab eadem Cancri parte in decimam Leonis, uiginti non amplius graduum eſſe. Non igitur æqualiter ab eodem puncto ſolſtitiali diſtant. Nam etſi Gemini ac Leo tantundem à toto Cancri ſigno diſtant, non tamen æqualiter à ſolſtitij puncto abſunt: ultimus enim gradus Geminorum punctum ipſum ſolſtitij contingit, à quo tamen ad primam Leonis partem uigintinouem Cancri gradus interiecti ſunt. Sin à primo Geminorum gradu ad primum Leonis protenta linea triangulum ſuper punctum ſolſtitiale ſtatueris, erit quidem utrunq; latus æquale, & dies æquales, quoniam primi ipſi gradus à puncto æqualiter abſunt, cæteræ tamen partes omnes inæquali diſtant ſpatio. Quo fit, ut dies quoq; inæquales ſint, adeò ut præter hos ipſos duos dies, ac primus utriuſq; ſigni gradus neque interuallis à puncto ſolſtitiali,

neq; temporũ æqualitate conuenientiam inter se ullam Gemini ac Leo habeant. Quocirca ea quæ de Antiscijs antè sunt prodita, magis probanda uidentur, & signa ea magis quàm hæc uidere se inuicẽ iudicanda, sibiq; mutuis fauoribus suffragari, ob partiũ æqualem à solstitio intercapedinẽ, tametsi ascensionibus differunt. Ipsa autẽ partium æqualitas existit, ut dixi, ex comparandis ultimis partibus alterius signi cum primis alterius. Itaq; hoc ipso ordine hinc atq; illinc singillatim progrediendo, Ptolemæus signa ipsa se uidentia putat æquipollere, hoc enim Græcum uerbum præ se fert. Cum igitur de præcipientibus atq; obedientibus præcepisset signis, statim subiecit: Rursum autem æquipollere inter se dicunt partes, ab utroq; signo tropico æqualiter distantes: quoniã Sol ad utrumuis eorum profectus dies diebus & noctes noctibus, interualla quoq; horarum ipsarum exæquatis temporibus efficit. Hæ autem & uidere se ipsæ dicuntur, propter ea quæ dicta sunt, & quod utrunq; ipsorum ex ijsdem oritur finitoris partibus, & inijsdem occidit. Videtis Ptolemæũ de partibus signorũ magis quàm de signis ipsis sentire, quæ partes in eodẽ collocatæ sunt parallelo, ac propterea ex ijsdẽ semper & surgunt & decidunt locis: quo fit, ut sese ipsa uideãt, & dies noctesq; sibi inuicem æquales reddant. Quamuis autẽ hic ipse Ptolemæus de signis audientibus in institutione sua nihil omnino præcipiat, sunt tamen & clari quidam uiri, atq; in ijs Porphyrius, qui tradant signa æqualium ascensionum, quæ diximus Græce uocari ἰσαναφόρα, ut Arietem & Pisces, Libram & Virginem, Taurum & Aquarium, Geminos & Capricornum, audire se inuicem, non autem uidere propter umbram terræ, eaq; ob hanc rationẽ æquipollere inter se putant. Quod igitur auditus quàm uisus aliquanto sit hebetior, atq; hanc ipsam æqualium ascensionum cognationem, & (ut ita dixerim) affinitatem hebetiorem ac minus ualidam existimarent, dixerunt signa ipsa sese audire, hoc est beneuolentia quidem inter se affici, non tamen tanta, quanta quæ uidere se dicuntur. Quocirca, ut diximus, hæc ipsa signorum cognatio, quæ ab ascensionum æqualitate proficiscitur, considerandæ est in ferendis sententijs. Cæterum quod propter terræ umbram se ipsa non uideant, nescio quàm sit probandum. Primum quod umbra terræ eò cœli non ascendit, ut ad fixas stellas penetret: deinde quod inter Pisces & Arietem, Virginem ac Libram continuata inter se signa umbra obijci potest nulla, quinetiam si lineam à quouis Piscium gradu in quem libuerit Arietis gradum extenderis, terræ corpus nulla parte intercipies: Cum uideamus Lunam stellarum omnium citimam tunc solum in terræ umbram incidere, cum ab ea ad Solem protracta linea terra media intercipitur, neq; alia ratione posse eam deliquescere, tenebrasq; obducere sit cõpertũ, Itaq; anile putandũ est, qd' ab ijs hac in parte

de

de terræ umbra dicitur. Quamobrem ad alia transeamus. Qui igitur aspectus, atq; configurationes, & quot etiam sint, quæ partes se inuicē uideāt, quæue præcipiant, aut obediant, hactenus dictum sit.

De signis alienis & inconiunctis. Cap. XXI.

QVæ uero signa neq; ex oppositis locis, neq; triangulariter quadrangulariterue, neq; è sexangulo sibi cōfigurantur, adhæc quæ neq; præcipiunt, obediūntue inter se, item quæ se nequaq̄ uident à partibus æquè distantibus, neq; etiam audiunt, ea cum nulla inuicem familiaritate atq; societatis genere coniungantur, Aliena dicta sunt, atq; inconiuncta, quodq; se non uideant, Auersa, Græcè sunt, ut dixi, ἀσύνδετα.

De Decurijs, seu Decanis. Cap. XXII.

SVnt & aliæ quædā familiaritatis atq; coniunctionis species, de quibus deinceps dicendum relinquitur, & primo quidem de Decanis, ut Græci uocant. Omnis enim hæc cōstitutio eò spectat, ut singillatim de planetis, id est, quid singuli planetæ singulis in signis, signorúmue partibus collocati portendant, sentētia ferri possit. Cum igitur una & eadē domus pariat in ciuitatibus coniunctionē eam scilicet per quam qui ex eadem domo sunt, domestici dicuntur & familiares: hanc etiam ad similitudinē planetæ ipsi dicuntur habere domos proprias, id est, signa quædam adeò sibi conuenientia, ut in ijs constituti, perinde ut patres familiarum in domibus imperent proprijs. Est igitur inter signa & erraticas stellas etiam genus hoc coniunctionis præcipuum quidē, maximeq; obseruandum. Ac nihilominus quoniam permixtæ qualitates sunt, quemadmodum inter ciues ipsos aliæ atq; aliæ sunt coniunctionis ac beneuolentiæ species, sic etiā inter signa planetasq; usuuenit, ut alias quoq; ob causas simul concilientur. Atq; ut in ciuitatibus, quoniam & ipsæ quoq; distributæ in partes sunt, tum uicinia eadem, decuriaq;, tum etiam tribus deuincit ciues inter se, eodē pacto singula signa distribui placuit in regiones treis, ut singulæ decem essent graduum, unde sunt δέκανοι à Græcis appellati. Nobis placet appellare Decurias, tum ne peregrino utamur nomine, cum habeamus nostrum, quanquam & illud uideri nostrum potest, tum ut ciuilem constitutionem sequamur. Nā & urbs Roma non in centurias modò, uerumetiam Decurias fuit diuisa, unde à Decurijs dicti Decuriones. Singula igitur signa cum sint in treis Decurias distributa, singulæ quoq; Decuriæ habebunt Decurionē suum, cuius distributionis hic ordo atq; hæc tradita est à maioribus regula, de qua Ptolemæus in libris Apotelesmatiā nullam, ut ego uideo, tradit præceptionem, tametsi de ipsis Decanis mer-

tionem non semel fecit. Arietis primos decem gradus, primamq; decuriã Marti ascripserunt, secundam Soli, tertiam Veneri. Sunt igitur in Ariete ut tres Decuriæ, sic etiã tres Decuriones, id est Decanorum domini: sic de inceps per signa cætera, quo cœptum est planetarũ atq; Decuriarũ ordine progredi oportet. Nam prima Tauri Decuria est Mercurij, qui Venerem sequitur, secunda Lunæ, quæ post Mercurium fertur, tertia Saturni, à quo rursus ordo cõtinuandus est. Ex hac igitur Decuriarum distributione per signa singula fit mixtura, & communitas quasi quædã planetarũ inter se. Quod item fit in ciuitatibus, quæ licet Reges suos habeãt, qui ciuibus uniuersis, ac reipublicæ imperant, tamen singuli domos, prædia, uillasq; proprias sub eodem Rege possident. Quibus è rebus miscentur inter se, & coniuncti dicuntur. Dominatur autẽ Tauro Venus, nihilominus Mercurius, Luna, & Saturnus sub Venere tanquã sub domino Decurias habent, non aliter quàm qui prædia possident in agris, qui agri nihilominus domini imperio subiacent. Est & hoc magnum utiq; coniunctionis uinculũ, magnaq; ad propriã cuiusq; autoritatẽ accessio. Etenim planeta in suo Decano positus maiores Decani sui præsidio uires concipit. Atque ut agelli proprij possessor suam in illo iurisditionẽ exercet, sic planeta in Decuria propria collocatus. Quæ autẽ mixtura cõmunicatioq; sequatur, ubi aliquis planeta in Decano alieno repertus fuerit, exemplo hoc aperiemus. Sol ea potissimum significat in nato, quæ ad animũ pertinent: quocirca si in prima Decuria fuerit Arietis inuentus, qua hora quis nascitur, cũ ea sit Martis propria, mutuabitur ab illa quæ sunt secundũ Martis naturã. Quocirca nati illius animo inerit uirilitas quædã, & tum belli, tum armorũ studiũ, quæq; alia sunt Martis propria. In secunda Decuria inuentus, quæ sua ipsius est Solis, uiribus suis multum addet. Itaq; natũ illum excitabit ad claritudinẽ, & titulis atq; honoribus illustrabit, efficietq; ambitiosum, & gloriæ percupidum. In tertia quæ Veneris est Decuria, positus mutuabitur à Decuria ipsa ea quæ ad Venerem referũtur, eritq; natus ille procliuior ad lasciuiã, ad mollitiem, ad corporis uoluptates. Fit igitur planetarum significationibus ex Decuriarum societate tum magna accessio, ubi planeta in sua fuerit Decuria constitutus: tum etiam permixtio & temperatio, ubi in aliena Decuria collocabitur. Harum autẽ rerũ obseruatio ipsa magistra fuit, quippe quæ non Decuriarũ modo distributiones inuenerit, uerumetiam finium ac partium. Siquidẽ quinq; stellæ erraticæ singulis in signis certos fines possident, de quibus suo quidem ordine disseretur.

De finibus signorum. Cap. XXIII.

GRæci uocant ὅρια, maiores nostri fines. Nanq; ut in distributione terrarum atq; agrorum Thusci, Vmbri, Campani, singuli item

item populi fines habent suos, in quibus iurisditionẽ liberius exercẽt: sic ad hanc fermè similitudinẽ singulæ stellæ erraticæ singulis insignis fines habent distributos, in quibus ipsæ positæ potentiores efficiuntur. Qua de re diuersæ ueterũ fuere sentẽtiæ, quibus tamen minime repudiatis Ptolemæi potius opinionem sequimur. Is, ut scripta eius indicant, uidetur de finibus non parum dubitasse, cum nonnullorũ scriptorum rationes parum probet. Refert sese tandẽ in codices uetustissimos incidisse, quanq̃ magna ex parte carie exesos, ac uetustate consumptos, explicantes tamen ipsorũ finium ordinem ac numerũ, ex obseruatione diuturna præteritarũ geniturarum collectũ: quæ res in disciplinis coniecturalibus præcipue sequẽda est, ut in medicina, in augurali, in militari, ut in hac ipsa disciplina, quæ quidẽ ex obseruatione potissimũ quibusdam sumptis principijs pòst in præcepta atq; instituta relata est. Ac primũ quidem Soli Lunæq; fines attributi sunt nulli. Nam cum regnare inter planetas uideantur, quid opus fuit certos eis fines decernere? cum significri totius imperiũ penes ipsos esse intellegeretur. Etenim ut illorum naturas ad hominũ res componamus: Luna corporũ atq; humorũ est domina, Sol sensuum atq; spirituũ. Vtriusq; igitur dominatus in hominibus talis est. Ad fingendũ igitur corpus hominis, uitalibusq; instruendũ spiritibus, quæ Solis ac Lunæ officia sunt, sicuti ducibus atq; imperatoribus militũ opera ministerijsq; opus est, ita Soli ac Lunæ quinq; erraticarum officijs. Quocirca quemadmodũ militibus attributa sunt loca sua in agmine, in acie atq; in ipsis castris, sic erraticis quinq; tanq̃ militibus loca quædam sunt decreta, singulis insignis, perinde ut in castris atq; in agmine, cum duces ipsi pro arbitrio huc atq; illuc progrediantur, nec ullis sese certis locis contineant. Quando autẽ signifer totus constat partibus trecentis ac sexaginta, ratione finiũ attributæ sunt Saturno septem & quinquaginta, Ioui nouem & septuaginta, Marti sexagintasex, Veneri octoginta nouem, Mercurio septuagintasex: quæ simul coactæ summã uniuersam duo decim signorum explent, conueniuntq; cum annis maioribus, quos singuli planetæ conferunt. Singulorũ autem signorũ distributio ac distributarum partium numerus talis est. Arietis primæ partes numero sex, Iouis finibus decernuntur, quæ statim sequuntur octo Veneris sunt finibus attributæ, quæ deinde sequuntur septem Mercurij, quæ post has quinq; Martis, reliquæ quatuor Saturni finibus annumerantur. Tauri octo partes quæ primæ quidem sunt, Veneris finibus ascribuntur, quæ deinceps septem sequuntur Mercurij, quæ item alteræ septem Iouis, post has quatuor Saturni, reliquæ itẽ quatuor Martis. Geminorũ septẽ primæ partes sunt in Mercurij finibus collocatæ, quæ deinde septẽ Iouis, aliæ deinceps septẽ Veneris, quæ dehinc quatuor Saturni, reliquæ numero quinq; Martis. Cãcri primæ par-

tes numero sex Martis finibus ascriptæ sunt, septem quæ has sequuntur Iouis, post has alteræ item septem Mercurij, ad hæc aliæ quoq; septem Veneris, tres ultimæ Saturni, Leonis quæ primæ sunt sex partes ascribuntur Saturno, quæ sequuntur septem Mercurio, quæ post has numerantur sex Veneri, quæ alteræ sex Ioui, quæ reliquæ sunt quinque Marti. Virginis fines hoc ordine ac numero distinguuntur, primæ septem partes annumerantur Mercurij finibus, sex quæ statim sequuntur Veneris, quæ dehinc quinque Iouis, quæ dehinc sex Saturni, quæ reliquæ sunt sex Martis. Libræ primæ sex Saturni, quinque statim insequentes Veneris, quæ subsequũtur octo Iouis, quæ post has sequuntur quinque Mercurij, reliquæ sex Martis. Scorpij sex primæ sunt Martis, insequentes octo Iouis, quæ post sequuntur septẽ Veneris, quæ deinceps sex Mercurij, tres ultimæ Saturni. Sagittarius partes suas hac planetis ratione distribuit, primas octo Ioui, sex quæ statim sequuntur Veneri, quæ deinde sequuntur quinque Mercurio, sex insequentes Saturno, ultimas quinque Marti. Capricorni partes diuiduntur hoc modo, primæ sex dantur Veneri, alteræ sex Mercurio, septem subsequentes Ioui, quæ has sequuntur sex Marti, reliquæ quinque Saturno. Aquarij primæ sex sunt Saturni, alteræ sex Mercurij, octo insequentes Veneris, quinque Iouis, reliquæ quinque Martis. Piscium primæ partes octo numero sunt Veneris, sex insequentes Iouis, alteræ sex Mercurij, aliæ itẽ sex Martis, quatuor reliquæ Saturni. Atq; hic quidem ordo ac numerus diuidendorum per singula signa finium à Ptolemæo proditus ac probatus est. Nos rem hãc ut difficilem nec satis notam aperire enucleatius tentabimus. Atq; eo magis, quod alijs ampliores, arctiores alijs fines ascribuntur, ut nõ satis æqua uideri distributio ipsa queat. Si enim æquis è partibus facta esset inter quinque erraticas stellas finium diuisio, sex tantũ partes cuiq; in sortem cessissent: quod secus quidem accidit, cum uideamus nũc pauciores partes, ut quatuor, ut quinque, nunc plures, ut septem, ut octo, alij atq; alij distributas esse.

Ratio de numero & ordine finium. Cap. XXIIII.

IN omni ciuilis iustitiæ distributione ea esse solet regula, ut singulis ciuibus eadem mensura metiendum non sit, siquidẽ & ætatis & familiæ, & rerum gestarum ratio habẽda est. Quocirca gradus quidam honorum ac magistratuum constituti sunt. Neq; enim ciuilia munera debentur omnia omnibus, uerum alijs alia, & ijsdem ipsis alio atq; alio tempore. Similis tum ratio tum regula diuidendorum finiũ seruata mihi uidetur inter planetas, cum & altitudinis & triangularitatis, & domicilij ratio prorsus sit habita, præferaturq; altitudo

tudo triangularitati, & utraq; simul domicilio, ac planeta, cui in eodem signo duarum prærogatiuarum sors obtigisset, anteponatur ei qui una tantum utatur prærogatiua. Qua è re factum est, ut pro seruanda prærogatiuarum æquabilitate, finium ipsorum inæqualis numerus sit in distribuēdo seruatus. Neq; enim aliter iuxti atq; æqui recta ratio teneri poterat. Exquiramus igitur primo loco fines Arietis, hoc signum Martis domus habetur: eiusdem signi triangularitas est Iouis, triangularitas autem præfertur domui, quoniam ea trium simul signorum amicitiam & fœdus coniungit. Iure igitur Marti Iupiter præponitur, iure ut honoratiori primus finium locus conceditur, præsertim cum sit natura Iouis benefica & salutaris, contrà Martis noxia & perniciosa. Datur hinc secundus locus Veneri, quoniam post Arietem Taurus incedit. Sunt enim tria simul signa capienda, uidendumq; quam quis prærogatiuā in tribus his signis, aut in ipsorum aliquo retineat. Tauri domina est Venus, eadē etiam domina est Taurinæ triangularitatis, quocirca secundus finium locus iure Veneri concessus est. Cur autem Ioui sex, Veneri octo partes ascribantur, prætereundū non est. Nimirum Ioui sex debentur propter æquabilitatē distributionis. Singulis enim quinque planetis in signo quolibet sex debitæ sunt partes: quinquies enim sex ubi produxeris, triginta partes, id est signum unum æquis portionibus constitues. Huic pars una addenda esset, propter triangularitatem, septem ut essent partes. Sed Venus quæ statim sequitur, duplici munita præsidio domus ac triangularitatis, eripit ei partem illam quam sibi ipsa iure uendicat, duæ nanq; prærogatiuæ uni præseruntur. Venus igitur ut una è quinq; erraticis accipit sibi partes sex, ad quas addit partes duas iure domus ac triangularitatis, quarum alteram Ioui eripit habenti unam tantam prærogatiuam. Habet igitur ob has ipsas causas Iupiter partes sex, Venus octo. Sed cur non Venus sicuti partium numero præcellit, ordine etiam Ioui antefertur? An quia Iupiter cum Arietinæ sit triangularitatis dominus & maxime beneficus, ordine præferendus est Veneri? quæ nec adeò benefica est, & triangularitatis iura in Tauro subsequenti signo exercet, non aūt in Ariete. Est enim in suo quàm in alieno prætorio magistratus quisq; honoratior. Quia uero post Taurū sequūtur Gemini, in quibus Mercurius duplicē habet domus ac triangularitatis prærogatiuā, idcirco tertius finiū locus Mercurio attributus est. Ad sex igitur partes illi debitas, ut uni è septē erraticis addita est pars una, ut essent Mercurij fines è partibus septē. Præfertur ei Venus & ordine & numero, quia Taurus cuius Venus est domina, Arieti cōiungitur, connexius aūt uinculū est uicini quàm tribulis. Præfertur ipse Ioui numero partiū ob duplicē prærogatiuam, Iupiter ei ordine, quia beneficus & triangularitatis Arietinæ domi-

nus est. Sequũtur Martis fines, quoniam in Ariete domesticam habet iurisditionẽ. Præferuntur autẽ ei Iupiter, Venus, & Mercurius, quoniã triangularitas præfertur domui, & duæ prærogatiuæ uni anteponuntur. Quocirca Mars una tantum prærogatiua ornatus quartum locum retinuit, amisit autem è sex partibus, quæ illi debebantur ut planetæ, unam, quam sibi Venus asciuit prærogatiuarum & beneficentiæ titulo. Vltimus locus relictus est Saturno ut planetæ, ac nihilominus habenti triangularitatis iurisditionem in Geminis, quod signum est ab Ariete tertium: hic de iure suo partes duas amisit, quarum alteram Mercurius, alteram Venus sibi arrogauit, cum duplici præsidio munirentur. Restat etiam quærere, cur de Saturno & Ioue potissimum fiat partium ademptio, nec minus etiam de Marte, cũ raro admodum de Venere Mercurioq; partes auferantur? Nimirum Saturnus ac Iupiter planetarum omnium tardissimi sunt. Mars quoq; quàm inferiores longe tardior est. Veneri igitur ac Mercurio, quod breuiori tempore singula signa peragrant, plures partes attribuere placuit, ut quod auferatur eis temporis, pensetur in partibus: contrà à Saturno, & Ioue adimere, quippe cum diuturniori tempore in signis ipsis atq; in partibus immorentur. In hoc enim ipso ratio quoque habita est æqui iuxtiq;, ut plus habeat partium qui minus immoratur, rursus minus partium qui immoratur diutius. Quæret hic aliquis, cur in finibus distribuendis habita sit ratio solum trium quæ insequuntur signorum, nec ad quartum sit facta progressio? An illa est causa, quod annus ipse in quatuor diuisus est tempora, ipsa uero tempora in signa tria, id est in menses tres, perinde ut signorum orbis diuisus est in quadras quatuor, quarum singulæ tribus tantum signis constent? An, quod non minus rationabile uidetur, quia quartum quodque signum est male amicum ob aspectus hostilem irradiationem? quocirca neq; præsidium ab eo loco neq; autoritas quærenda esset.

De finibus Tauri. Cap. XXV.

SEd Arietis finium distributione explicata, Tauri quoq; distributionem exequamur, eadem ratione tertium ab eo signum perquirentes, ut intellegamus quis domicilij, quis triangularitatis atq; altitudinis prærogatiuam in tribus ipsis signis obtineat. Cum igitur (ut dictum est) domicilij ac triangularitatis huius Venus sit domina, duplicis prærogatiuæ ratione duas ad sex illas sibi debitas partes adiunxit: quinetiam quod benefica est, iure in signo suo præsta est Mercurio, ac primum locum sortita. Iure etiam secundus locus concessus est Mercurio, cum in secundo & succedenti signo domus ac triangularitatis teneat prærogatiuam, quamobrem ad sex illas unam sibi arrogauit,

gauit, ut Veneri octo, Mercurio septem sint partium fines ascripti. Tertiũ sibi locum uendicauit Iupiter, quoniam in Cancro, quod tertium signum est, altitudinis ius habet, unde unam sibi partem ascripsit, septem partibus sibi uendicatis, præponuntur tamen ei Venus & Mercurius, cum duabus uterq; eorum prærogatiuis utatur, in signis Cancrum antecedentibus. Quartus locus permissus est Saturnõ, quoniam in Geminis habet triangularitatis prærogatiuã, Marti quintus ob idem triangularitatis ius in Cancro. Post habitus autem est Mars omnibus, quoniam Cancer tertium & ultimum signum est in Taurina distributione examinanda. Iupiter uero prælatus est Saturno & Marti, quoniã altitudo præferenda est triangulo. Ad hæc cum Venus, Mercurius ac Iupiter quatuor sibi partes prærogatiuarũ iure arrogauerint, relinquitur, ut tam à Saturno, quàm à Marte, qui unam ac parem inter se prærogatiuam habent, fiat ademptio. Quocirca è sex illis partibus utriq; debitis ut planetis, duæ à Saturno, alteræ item duæ auferantur à Marte.

De finibus Geminorum. Cap. XXVI.

PLacet dehinc explicare Geminorum de finibus distribuendis causas. Ac primus quidem locus datus est Mercurio, duplici domus ac triangularitatis suffragio, unde parte una arrogata fines sibi partium septem uendicauit. Secundus Ioui locus è partibus itẽ septẽ duplici suffragio, et altitudinis in Cancro, qui Geminis succedit, & triangularitatis in Leone, qui sequitur Cancrum. Quã ob causam unã sibi partẽ arrogauit, & Veneri prælatus est. Cui tertius est locus attributus partium etiam septẽ, ob iurisditionem Cancrinæ triangularitatis, in qua Venus autoritatis plurimum habet. Quartus locus datus est Saturno propter iura triangularitatis in Geminis. Præfertur autem hac in distributione Saturno Mercurius propter duplicem prærogatiuam, Iupiter propter altitudinem: nam & duæ prærogatiuæ præferuntur uni, & altitudo antecedit triangularitatem. Nec uerò prætereundum est, cur Saturnus Veneri prælatus non fuerit, cũ Gemini in quibus habet Saturnus triangularem iurisditionẽ, præcedant Cancrum, in quo Venus quoq; triangularem habet iurisditionẽ? An quia natura Veneris benefica est, contrà Saturni malefica? Etenim in bene constitutis ciuitatibus probitas ac benefaciendi studiũ præfertur improbitati ac malitiæ. Retinuit aũt sibi Saturnus partes tantũ quatuor, Mars uero quinq;, cui ultimus finiũ relictus est locus. Et à Saturno quidem ablatæ sunt partes duæ, quoniam tardioris est motus, à Marte uero una. Quæri autem iure potest, si in tertiũ quodq; signum progrediendum est, cur nõ Ioui primus datus est locus? si enim in Leonẽ pro

grediemur, ius triangulare in eo Iouem habere inueniemus. Itaq; & propter altitudinem, & propter triangularitatem in hac ipsa distributione uidetur præferendus. Prælatus tamen est Mercurius, quoniã eius iurisditio est in Geminis, quorum est hæc finium distributio, cum iurisditiones Iouis considerentur in Cancro & Leone subsequentibus signis, quam ob causam Saturnus quoq; prælatus est Marti.

De finibus Cancri. Cap. XXVII.

IN distribuendis uero Cancri finibus primus Marti concessus est locus, cum sit Cancrinæ triangularitatis dominus, retinuit tamen sibi partes tantum sex: Ioui secundus, quoniam dominus est triangularitatis Leonis, qui Cancrum sequitur, habetq; in Cancro ipso altitudinem, uendicauitq; sibi propterea partes septẽ: tertius Mercurio, quoniam tertio loco Virgo sequitur, in qua domicilij atq; altitudinis ius habet Mercurius, atq; ob eam rem partes etiam septem sibi uendicauit: quartus Veneri ob iurisditionem triangularem, cum in Cancri na triangularitate plurimum ualeat, ob qualitatem atq; conditionem, unde partes quoq; septem sibi asciuit, priuilegio etiam beneficentiæ ac celeritatis. Vltimus locus è tribus tantum partibus relictus est Saturno, nullam in Cancro, Leone & Virgine prærogatiuam habenti. Quocirca tres ei sunt partes ademptæ, quarum singulas Iupiter, Mercurius ac Venus sibi arrogauerunt. Quæri potest hac in Cancri distributione, cur Mars præferatur Ioui, ac Mercurio, cum uterq; duplici utatur prærogatiua, ipse tantum una sit fretus? An propter Lunam quæ est Cancri domina? cui cum fines attributi sint nulli, ob eas quas diximus rationes, placitum est prærogatiuã Lunarem Marti concedere, iure domestico in eum translato, atq; ad triangularitatis ius adiuncto: qua è re primi loci tantum sibi prærogatiuã uendicauit, nõ tamen ut quàm sex plures sibi partes asciuerit: ut si ob Lunæ rationem præfertur in ordine, uincatur tamen partiũ numero, ratione triangularitatis atq; altitudinis, & quia maleficus est.

De finibus Leonis. Cap. XXVIII.

EAdem ratione primæ sex Leonis partes attributæ sunt Saturno, iure Solis, qui Leoni dominatur in Saturnũ tralato, nõ tamẽ ut plures sex ei partibus ascribantur. Satis enim uisum est ob Solis suffragium locum ei primum conferre. Secundus locus tributus est Mercurio, propter succedentem Virginem, in qua domiciliũ atq; altitudinẽ sibi constituit, uendicauitq; propterea partes septem: tertius Veneri propter Libram insequentẽ, in qua domiciliũ habet, retinuit tamen

tamen partes tantum sex, quoniam in Virgine Venus deijcitur: quartus Iouj, iure triangularitatis, quod habet in Leone, quam ob causam uidetur Veneri anteferendus. Etenim triangularitas præfertur domui: nihilo tamen minus Venus ipsa triangulare ius exercet in Virgine. Sunt enim Virgo & Taurus ex eodē triangulo. Ipse etiam Iupiter sex tantum partes sibi è Leonis desumpsit partibus. Vltimus locus è quinq; constans partibus relictus est Marti, cui pars à Mercurio ablata est una propter ius altitudinis & triangularitatis eodem in signo. Quid autem causæ est cur in domo Lunæ Marti, in Solis uero domo primus Saturno concessus est locus? An quia Mars & Luna sunt nocturnæ conditionis, Sol & Saturnus diurnæ? quæ è re non parua familiaritas conciliari uidetur.

De finibus Virginis. Cap. XXIX.

VIrginis primæ septem partes ascribuntur Mercurio, ut qui domum illic habeat & altitudinem: sex insequentes Veneri, quoniā est triangularitatis huius domina & Libræ, quæ statim sequitur. Ad sex autem partes nullam arrogauit, quoniā ipsa in Virgine deijcitur. Ioui ascribuntur tantum quinq;, ut qui nullam in tribus his signis Virgine, Libra & Scorpio iurisditionem exerceat, unde facta est ab eo partis unius ademptio. Post Iouem Saturnus uendicauit sibi partes sex, quoniam altitudinē ac triangulare ius habet in Libra, quam ob causam partem unam Ioui eripuit, tametsi Iupiter ordine prælatus est ei, ob naturalis beneficentiæ priuilegium. Vltimæ sex Martis sunt, est enim Scorpij dominus, cui etiā Iupiter prælatus est, nullū in his signis ius exercens, sed ob naturalem, ut dictum est, beneficentiam. Hāc autem ob causam ultimus semper locus maleficus relinquitur in distributione finiū singulis in signis, præterquàm in Cancro & Leone, propter Solis ac Lunæ maiestatem, aut ubi plures prærogatiuas habent, ut in Libra & Scorpio. Ab ipsa enim natura bonū malo præfertur, & à ciuilibus institutionibus probitas improbitati, temperantia immoderationi.

De finibus Libræ. Cap. XXX.

EXercet in Libra Saturnus altitudinis ac triangularitatis iura, quocirca primæ illi partes ascribuntur, non tamen plures quàm sex, cum sit maleficus atq; omnium tardissimus. Secūda iura sunt Veneris, tum propter domum, tum etiam ob triangularem iurisditionem succedentis Scorpij, in quo magnam sibi Venus autoritatem uendicat: retinuit autem partes tantū quinq;, Ioui unam insequenti concedens, sola quidem prælationis prærogatiua contenta. Vnde sibi Iupiter partes octo uen-

dicauit, cum in Sagittario tertio à Libra signo & domus & triangularitatis prærogatiuam exerceat: cui tamen prælata Venus est, quoniã Libra & Scorpius antecedunt Sagittarium. Post Iouem quinq; partiũ locus datus est Mercurio, quoniam habet in Libra triangularitatis prærogatiuã, cui à Ioue pars adempta est una, cum sit duplici munitus præsidio. Vltimo loco sunt partes sex Martis propter domesticam prærogatiuam, quã habet in Scorpio succedenti statim signo.

De finibus Scorpij. Cap. XXXI.

Iusdẽ Scorpij partes sex quæ primo loco numerãtur, Martì sunt attributæ, propter iura domus ac triãgularitatis. Quæ post has octo numerãtur, Ioui debentur ut maxime benefico, & habenti in Sagittario, qui statim succedit, triangularitatis ac domicilij iura: est autem prælatus ei Mars, quoniam iura Martis sunt in ipso Scorpio, Iouis autem in succedẽti signo. Post fines Iouis, partes septẽ Veneri decretæ sunt, ut beneficæ ac retinenti triangularem iurisditionẽ in Capricorno, qui est à Scorpio tertius, succeditq; Sagittario. Post Veneris fines partes sex Mercurio ascriptæ sunt. Post has Saturno decernũtur quæ tres sunt reliquæ, cum sit Capricorni dominus, cui tamen prælatus est Mercurius ob naturæ suæ communitatem. Eripuit autem Saturno Iupiter partes duas, ob duplicem prærogatiuam: Venus unam, ob prærogatiuæ suæ dignitatem. Etenim triangularitatis domui antefertur. Ad hæc utraq; stella benefica & salutaris est.

De finibus Sagittarij. Cap. XXXII.

Sagittarij partes octo quæ primæ numerantur, Ioui sunt attributæ, propter domum ac triangularitatẽ. Sex quæ statim insequuntur partes Veneri, propter ius triangularitatis, quod habet in Capricorno, qui succedit Sagittario. Quinq; deinde Mercurio, propter triangulare ius in Aquario, qui succedit Capricorno. Sex post insequentes Saturno, ut Capricorni & Aquarij domino, quamobrem nulla facta est ab eo partium ademptio, ut tametsi ob ius trianguli sit ei prælatus Mercurius, integrum tamen ipse retinuerit partium numerum, quem Mercurius non retinuit, satis habẽs quod prælatus illi fuerit. Vltimæ partes quinq; numero Marti ascribuntur, habẽti in Capricorno altitudinem: ob quam Saturno præferendus esset, nisi ius ipsum Saturni gemi naretur, cum & Capricorno & Aquario imperet: esset etiam Mercurio præferendus, sed communis Mercurij natura Martis maleficentiæ antefertur. Siquidem Mercurij insita uis ad bonum quàm ad malum non minus est accommodata.

De fi-

De finibus Capricorni. Cap. XXXIII.



Capricorni partes sex quæ primo numerantur loco, Veneri propter triangularitatẽ signi eius attributæ sunt: Mercurio item sex propter trianguli prærogatiuã, quam habet in Aquario statim insequente: Ioui septem ut Piscium succedentiũ domino. Præferuntur ei Venus & Mercurius ordine, propter trianguli prærogatiuam: illis ipse numero partium, quoniam maxime salutaris. Marti sex propter altitudinem, ob quam nihil ei est ademptum, tametsi posthabitus est, ut maleficus. Saturno quinque partes reliquæ, ut domino signi, à quo pars una est adempta, quod signi dominatus postremo habetur loco, & ipse maxime tardus est.

De finibus Aquarij. Cap. XXXIIII.



Aquarij primus locus sex cõplexus partes debetur Saturno, ut signi ac trianguli domino: secundus qui è sex item constat partibus Mercurio propter triangularitatẽ: tertius qui partes octo complectitur, Veneri, propter iura trianguli atq; altitudinis insequentium Piscium: quæ quidem prælata est Saturno numero partium propter prærogatiuã altitudinis, quæ potior est triangularitate: item Mercurio, quia duæ prærogatiuæ uni anteferuntur. Rursus illi ordine ipso præferuntur Veneri, quoniam Aquarius antecedit Pisces. Quartus locus quinq; partes continens Ioui habenti solum domesticum dominatum in Piscibus. Vltimus qui similiter est è quinq; partibus, Marti habenti domesticam prærogatiuam in Ariete, qui est ab Aquario tertius. Facta est ab utroq; ademptio propter prærogatiuarũ inferiorem autoritatem, quodq; Pisces & Aries sequuntur Aquarium.

De finibus Piscium. Cap. XXXV.



Prima Piscium distributio è partibus octo concessa est Veneri, propter altitudinis ac trianguli iura: secunda Ioui è partibus sex, quoniam est Piscium dominus Arietinæq; triangularitatis: tertia Mercurio è partibus item sex, quarta Marti ex eodẽ partiũ numero, quinta è quatuor reliquis Saturno. Est aũt prælatus ambobus his Mercurius ut maleficis, Saturno Mars, quoniã Arieti dominatur, qui Piscibus succedit. Ad hæc Saturnus nullũ sibi ius in tribus his signis Piscibus, Ariete & Tauro uendicauit. Fuimus hac in parte & in hoc de finibus tractatu aliquanto longiores, dum ignoratam à recentioribus scriptoribus rationem persequimur, & corruptam à posterioribus ueterum traditionem emendare tentamus, Qua in parte peccari

uix à quoquam poterit, si ubi de quo signo quæritur, primũ contemplatus fuerit, qui è planetis quinq; in eo, atq; in duobus insequentibus signis pluæreis potiores sq; prærogatiuas habeat, deinde beneficorum maleficorumq; delectum habuerit, ac quibus addendum, quibus auferendũ sit, meminerit, si rationem Solis ac Lunæ in Cancro & Leone, si Mercurij communẽ naturam intuebitur, si deniq; intellexerit altitudinem triangularitati, & hãc ipsam domui præferendam, atq; in tribus continuis signis primũ secundo, secundum tertio fore anteponendũ. Hæc autem tum decuriarum tum finiũ cõstitutio uidetur mihi nullis certis rationibus nisa, quamuis obseruatione ab ipsa, magna utrisq; autoritatis facta sit acceßio, in utrãq; felicitatis atq; infelicitatis significationẽ. Qui tamen primi & Decurias et fines statuere, uidentur id secuti, quod natura ipsa secuta est in cõstituendo hominis corpore, dum multitudine uenarum ac uarietate sparsim, & quasi per lineas quasdam illud figurat, neruorumq; textu artificiosiore connectit, quã è figuratione & nexu totum quidem secum integratur, habileq; & efficax ad mouendum, atq; ad sentiendum redditur: ut singulis itidem in finibus decurijsq; suas inesse uires facultatesq; arbitrati, pro naturis planetarum illas distribuerent, perinde ac per membra singula, partesq; ipsas corporis proprias uires ac uirtutes natura partita est, pro qualitate uenarũ, neruorũq; contextu. Quamuis autem de finibus à Ptolemæo probatis, deq; illorum distributione ratio sit à nobis reddita, nihilominus constitutionem quoque Aegyptiorum subiungemus, quam pleriq; sequuntur, & in ijs Iulius Maternus. Cuius quidem cõstitutionis ratio nec probabilis ulla ab illis redditur, nec cur probanda sit, per seipsa apparet. Itaq; qui illa sequuntur, uidentur solam prorsus Aegyptiorum scriptorum autoritatem secuti. Ipsa autem constitutio, finiumq; distributio, huiusmodi ab illis traditur, ut Arietis partes sex quæ ab illius principio numerãtur, sint Iouis: quæ subsequuntur alteræ sex sint Veneris, quæ post eas octo Mercurij, quæ deinceps quinque Martis, quæ reliquæ sunt quinq; Saturni. Tauri partes octo quæ primæ numerantur Veneris, quæ statim sequuntur sex Mercurij, quæ deinceps octo Iouis, quæ post eas quinq; Saturni, quæ tres reliquæ Martis. Geminorũ partes sex quæ primæ Mercurij, quæ statim subsequũtur alteræ sex Iouis, quæ post eas quinq; Veneris, quæ deinde septẽ Martis, quæ ultimæ sex Saturni. Cancri quæ primæ sunt septẽ numero Martis, quæ post sex Veneris, quæ inde alteræ sex Mercurij, quæ deinceps septẽ Iouis, quæ ultimæ quatuor Saturni. Leonis primæ numero sex Iouis, quæ post sequuntur quinq; Veneris, quæ post eas septem Saturni, quæ deinde sex Mercurij, quæ reliquæ sex Martis. Virginis partes septẽ quæ primo loco constitutæ sunt Mercurij, quæ statim post has numerantur decẽ Veneris, quæ deinceps

deinceps quatuor Iouis, quæ post has septem Martis, quæ duæ sunt ultimæ Saturni. Libræ quæ primæ sunt sex Saturni, quæ post eas octo Mercurij, quæ deinde septem Iouis, quæ deinceps alteræ septem Veneris, quæ duæ sunt reliquæ Martis. Scorpij quæ primæ sunt partes septem Martis, quæ post eas quatuor Veneris, quæ statim octo insequuntur Mercurij, quæ post quinq; Iouis, quæ ultimo loco sex Saturni. Sagittarij quæ duodecim primæ numerãtur Iouis, quæ post quinq; Veneris, quæ deinde quatuor Mercurij, quæ deinceps quinque Saturni, quæ reliquæ sunt quatuor Martis. Capricorni quæ primæ sunt septem Mercurij, quæ post alteræ septem Iouis, quæ deinde octo Veneris, quæ post has quatuor Saturni, quæ ultimæ sunt alteræ quatuor Martis. Aquarij septem quæ primæ sunt partes Mercurij, quæ deinde sex Veneris, quæ deinceps septem Iouis, quæ post has quinque Martis, quæ ultimæ sunt alteræ quinq; Saturni. Piscium partes duodecim quæ primæ numerantur Veneris, quæ statim sequuntur quatuor Iouis, quæ post illas tres Mercurij, quæ deinde nouẽ Martis, quæ duæ sunt reliquæ Saturni. Quapropter ad ea quæ restãt transeamus. Ac primo quidẽ de triangularitatum dominis, de quibus toties supra mentionẽ fecimus, disseremus.

De dominis triangulorum seu triplicitatum.

Caput XXXVI.

TRiangularitas, ut dictum est, è tribus constat signis, ea Græce est τρίγωνος, unde Latine etiam triangulus dici potest, recentiores triplicitatem dixere, à tribus quibus ipsa composita est signis. Prima, ut iam diximus, tribus è signis constat igneis, masculinis secũ maxime consentientibus ob qualitatis conditionis q; similitudinem, & configurationis beneuolam irradiationẽ. Huic dominari Sol ac Iupiter dicuntur propter qualitatis conditionis q; consensum. Sol enim ac Iupiter calidi sunt, masculini ac diurni: & Sol quidem cũ sit lucis ac dici autor, die magis dominatur: noctu uero Iupiter, quippe qui Soli cesserit, maiestatem illius ueneratus. Adhæc Sol in Ariete altitudinẽ, Iupiter autẽ in Sagittario, & idem ipse Sol in Leone domesticã habẽt prærogatiuam. Secunda triangularitas est è Tauro, Virgine & Capricorno, fœmininis ac nocturnis signis, cui Luna & Venus imperant, cum ipsæ quoque nocturnæ ac fœmininæ sint, noctu tamen Luna, cum luminare nocturnum sit, potiores sibi in imperio partes uendicat: utraq; autẽ in Tauro suã habet prærogatiuam, domicilij Venus, altitudinis Luna. Quæ sequitur triangularitas è Geminis, Libra & Aquario, ascripta est Saturno & Mercurio, cum signa ipsa sint masculina & diurna, cuius conditionis est Saturnus qui sibi Mercurium socium asciuit, tum quia mediæ conditionis est, tũ quia domesticã habet in Geminis prærogatiuã: retinuit tamẽ ipse sibi principa-

tum diurnũ, & quia diurnus, & quod altitudinem habet in Libra, ac prærogatiuam domesticam in Aquario, nocturnum uero Mercurio permisit. Vltima triangularitas è Cancro, Scorpio & Piscibus fœmininis ac nocturnis signis, Martis dominatui permissa est, cũ sit & ipse nocturnæ cõditionis, atq; in Scorpio domesticum ius exerceat, asciuit tamen sibi socias, atq; in partem dominatus Lunam ac Venerem propter nocturnam fœmineãq; conditionem, cum Luna etiam dominetur Cancro, & Venus habeat in Piscibus altitudinem, in nocturno tamen principatu Veneri prælata est Luna, cum sit luminare nocturnum, & corporum atq; humorũ domina. Fuit autem à primi trianguli principatu Mars exclusus, tametsi domum in eo habeat, quod esset nocturnæ conditionis, Saturnus uerò à principatu secundi, quod diurnæ: rursum Venus à dominatu tertij, quod noctis sequeretur conditionem. adeò in principatibus triangulorum constituendis conditionem diei ac noctis sequi placuit, quam multi è scriptoribus secuti, & in ijs maximæ autoritatis uir Dorotheus singulis in triangulis tertium etiam dominum statuere, qui esset dominatus totius particeps. Quocirca prima in triangularitate Saturnum, ob diurnam conditionem, Soli ac Ioui collegam addidere. Fuere qui Martem, propter domesticã in Ariete iurisditionem, in secunda item Veneri ac Lunæ Martem, quod nocte pariter lætarentur. Sunt qui Mercurium quoq; in Virgine ipsa adiunxerint, in tertia Saturno ac Mercurio Iouem, quod ipse quoque esset diurnus & masculinus. Est autem Saturno præpositus Iupiter in primo triangulo propter domum, Ioui Saturnus in tertio propter domum atque altitudinem. Quocirca in hominũ genituris, ubi genituræ ipsæ diurnæ fuerint, primo Solẽ, deinde Iouẽ, ultimo loco Saturnũ: at cum nocturnæ, Iouem primo, Solem deinde, postremo Saturnum considerandum iubent in Arietino triangulo. Verũ de triangularitatũ significationibus, earũq; effectionibus sparsim multa à nobis dicentur. Græci hos ipsos triangulorum dominos uocant τριγωνικράτορας, à nobis fortasse non inconcinne Triangulatores dicentur, qui non in genituris modò hominum, uerumetiam in urbium & in annorum conuersionibus summo studio uidendi sunt.

De signis & uentis. Cap. XXXVII.

VIc parti quoniam in aëre & sæpius & manifestius stellarũ uis cernitur, subijcienda statim uidetur de uentis explicatio: qui cum ex aspiratione terrestri, ac maxime arefacta constẽt, dubium non est à Sole potissimum eam aspirationem cieri. Ipsi aũt uenti cũ à quatuor spirent cardinibus, ipsorũ quoq; cardinũ qualitates accipiunt. Etenim partem eam mundi quæ ad ortum est, cum Solem qui

qui caloris est autor, singulis ad nos diebus afferat, calidam quidem, & quia Sol inde assiduus uenit, siccam quoq; esse par est: aduersam uero huic aduerso modo humidã atq; frigentẽ, quod Solẽ ipsum terris auferat, è cuius habitu frigus necesse est seq, cuius rei nox ipsa indicio est. Atq; ut à calore diurno siccitas, sic nocturno à frigore humiditas sequatur oportet. Subsolanus igitur qui ab oriente flat cardine, siquidem flatus ipse, ut Aristoteli placet, quædam aëris est impulsio redundantisue aspirationis commotio, perinde erit affectus, ut dies ipse, ut regio à qua fertur. Huic contrarius Fauonius, quod noctis naturam, quod occasus qualitatem sequitur, erit contrario modo affectus. Vt enim aduentus Solis ac præsentia calorẽ, sic recessus atq; absentia frigus parit: atq; ut illius increscentis comes est siccitas, sic huius humiditas est socia: atq; ut duo hi aduersi cardines sunt, sic dies & nox, sic calor & frigus, sic caridum & humectum, contrarij effectus, contrariæq; qualitates ab eis manant. Vt autem cardines hi mundum ab ortu atq; occasu æquis diuidunt partibus, ducto per ipsos circulo, sic qui summum atque imum cœli uerticẽ duo cardines à dextra atq; sinistra illorũ secant, paribus quoq; partiuntur interuallis, quorum alter, id est septentrionalis cardo ab utroq; cardine surgentis atq; cadentis Solis singulas tantum qualitates sibi conuenientes assumit. Nam si ab eo Sol abest cardine, frigescere admodum illum necesse est, nimij autem frigoris siccitas comes est. Ergo ab orientis Solis cardine siccitatem, ab occiduo frigiditatem mutuabitur: ut enim humiditatem ab hoc capiat fieri non potest, cum siccum atq; humidũ simul coire natura minime patiatur, quocirca & uenti qui ab hoc flant cardine, aridi, atq; frigentes sunt. Ad oppositum uero huic cardinem, id est meridiei plagam, cum Sol sit ei maxime familiaris, ob hanc ipsam Solis familiaritatem plaga uehementius concalescit, unde spirantes inde flatus à finitimo cardine, atq; ã Solis uicinia calorem accipiunt. Quamobrem non temere Aristoteles affirmat subsolanum libenter transire in notum, hoc est in meridianum flatum, ob ipsam qualitatis calidæ similitudinem. Cũ autem parte ab altera hæc ipsa plaga meridialis declinet in occasum, ab ipso quoque occasu mutuatur humiditatem, unde flatus ipsi illinc calidi, hinc humidi sint oportet. Quamobrem ut uenti septentrionales frigidi sunt atq; aridi, sic ex aduerso meridiales calidi atq; humentes sint necesse est. Horũ socij ut ad hunc quàm ad illũ cardinẽ magis declinant, sic ex hac q̃ ex illa qualitate plus minusue mutuantur. Tanta aũt uentorũ atq; aëris mutatio cũ aliunde fiat, necesse est ut ad planetas atq; ad cœli referatur signa. Verũ Soli ac Lunæ cum nulli certi flatus attributi sint, siquidem Sol autor ac parens horum est motuum, & spiritus ipse est uel aëris impulsio, uel redundantis humoris commotio, cui Luna dominatur, inter quinque uaganteis stellas

distributio hæc flatuum uidetur potissimũ facienda. Quemadmodum obseruatio ipsa disciplinæ huius magistra iam docuit. Est igitur Saturno subsolanus, Marti fauonius omnino familiaris, Veneri auster, Ioui septẽtrio addictus. Hinc prima triangularitas uentos excitare septentrionaleis magis creditur, propter Sagittarium, quæ domus Iouis est, hinc etiã septentrionalis dicta est, nihilominus occiduũ quoq; uentum, cui nomen est Caurus, propter Arietẽ Martis domũ prouocat. Quocirca flatus occiduus qui in septentrionẽ declinat, facile in boream conuertitur, quando, ut Aristoteles tradit, & ipse cũspirat, boream mouet. Si igitur subsolanus propter diurnam conditionẽ Saturno addicitur, cuius quidẽ cõditionis dominus est Sol, non immerito fauonius addictus est Marti, propter nocturnã, cui Luna præsidet, conditionem. Vt autem Solis conditionẽ Saturnus, sic Lunæ Mars sequitur, unde & Mars in occasu fœmininum, hoc est Lunarem assumere naturam dicitur. Secundam uero triangularitatem austris maxime familiarem esse, unde austrina dicitur, satis compertum est, propter Venerẽ Tauri dominam, quæ hunc flatum excitare creditur. At nihilominus triangularitas ipsa subsolanum sæpe euocat ab exortu, propter Capricornum, cui Saturnus dominatur. Quæ res efficit ut auster subsolanusq; non raro misceãtur, qui uentus Græce est εὐρόνοτος. Nec mihi satis placet quod Ptolemæus tradit, gigni à Venere austrum, propter calorem humorẽq; : Ioui enim potius cõueniret, à quo tamen septentriones gigni ipsemet affirmat. Quid aũt minus consentaneũ, quàm ut Mars qui calidus & siccus est, humidum tamen & frigentẽ flatum suscitet? Quocirca exciendorum uentorum ratio non à qualitate frigidi calidiue, aut sicci, humentis ue ducenda mihi uidetur, sed à conditione potius & alia quadam ui, quod obseruatio ipsa docuit. Forsitan & illa Ptolemæum mouit ratio, quod ut suo posi dicemus loco: cum orbis hic noster in quatuor distributus sit cardines, Saturnoq; ortus, Marti occasus, Ioui septentrio, Veneri meridies addicatur, ex eo uenti ipsi cardinales à cardinis præside excitentur. Tertius triangulus habet subsolanum sibi admodum peculiarem, propter Aquarium Saturni domum: qui quoniam è masculinis signis est, & Saturnum habet dominum, diurnũ quidem ac masculum, nonnunquam sibi aquilonem adiungit, nam & Iupiter eiusdem quoq; conditionis est, unde fit subsolani ac septentrionis mixtura quædam. Hunc uentum Ptolemæus βορραπηλιωτικόν uocat, Latine hic ipse uentus suo nomine est aquilo. Vltimus triangulus fauonij suscitator dicitur, propter Martem ac Lunam, & quas ante posui causas, libenter tamen propter Venerem etiam à meridie flatum euocat, est enim Venus tum eiusdem trianguli domina, tum etiam nocturnæ conditionis: unde Africus huic ipsi triangulo perquàm familiaris est, quem à Ptolemæo uideo notoli-

notolibycum uocari. De Mercurij autem ſtella in ſuſcitandis uentis præcipere hoc poſſumus, quoniam uerſatilis ſit, & luminarium naturam ſequatur, eam nunc nocturnam, nunc diurnã conditionem ſuſcipere, ac pro ipſa conditione nunc in hunc, nunc in illum uentum proniorem eſſe. Quocirca huius ſtellæ natura Solis ac Lunæ conditionibus accommodanda eſt, ut de uentis ac uentorum diuerſitatibus certius ferri iudicium poſſit. Hæc autem in hunc quidem modum, fortaſſe etiã breuius quàm res ipſa exigit, cum nõ tantum diuerſa, uerumetiam contraria inter ſe rerum harũ ſcriptores & dicant & ſentiant, hac in parte dixiſſe ſatis, ac pro loco fuerit. Poſt uero cum de ſignifieri partibus præcepta ſingillatim per fines ſigni cuiuſq; tradentur, & plura, & accommodatiora, magis q; appoſita à nobis referẽtur. Itaq; quoniam diximus de Decurijs, de Finibus, & eorum diſtributione, de Ventis quoq;, reliquum eſt de Simulacris etiam ut aliquid dicamus.

De ſimulacris, quæ cum ſignis ipſis oriuntur. Cap. XXXVIII.

AD eam igitur partem, in qua de Decurijs agitur, adiungenda uidetur ſimulacrorum eorũ explicatio, quæ cum ipſis oriuntur Decurijs, unde Græcè dicuntur παρανατέλλοντες, à recentioribus Latinis uocantur imagines. Singulis itaque cum Decurijs ſingula enaſcantur ſimulacra, quæ ſeptem quoq; planetarum naturas ac uires ſequuntur. Horum ſimulacrorum enarratio, quod recentiorum autorum ſcripta declarant, anilia multa continet. Nos eam partem, quantum in nobis fuerit, expurgare aliquãdo tentabimus, de qua ſcripſiſſe fideliter ac diligenter apud Porphyrium inuenio Teucrum Babylonium uetuſtiſſimum Mathematicum, deq; Decanis ac Paranatellontibus ſignificationes ſententiasq; ſingillatim protuliſſe, ſed eius libri maiorum incuria temporumq; iniquitate hodie omnino extant nulli. Ipſorum autem ſimulacrorum uidetur ea uis eſſe, quoniam cum ipſo naſcuntur horoſcopo ut imaginariam uim eius qui naſcitur, pro qualitate ac natura ſua afficiat, & quodammodo affectã imprimat, qua ex impreßione cupiditas & ſtudiũ quoddam in anima nati ingeneretur ad eas arteis ſequendas, ad quas à ſignis planetis q; ipſis ac planetarum occultis uiribus impellitur, atque ab ipſius ſimulacri peculiari ui trahitur. Ab his etiam ipſis ſimulacris manant ſecretæ quædam appetitiones, naturaliaq; nonnulla oblectamenta, & inſitæ in animis ipſis ad res alias atq; alias propenſiones, nõ ab electione aliqua, ſed ab ipſa natura profectæ. Ipſa uero ſimulacra ſequuntur tum planetarum naturas, tum ſignorũ ac decuriarum, cum quibus oriuntur, ut dixi. Sed nec minus & ipſa quidem per ſe ſignificationes ac potcſtates ſuas habẽt: unde non temere formas illis, atq; effigies quaſdam effinxere, à quibus ſimulacra

imaginesq; dicuntur. Quarum explicatio otij est diligẽtiæq; maioris, atq; ob eam rem in aliud à me tempus differtur. Hæc tamen interim quæ dicemus, obiter explicasse, neq; ineptum sanè, neq; intempestiuum fuerit. Generando in homine satis constat cor primum gigni, ab eo mox suo tempore atq; ordine reliquum corpus, utpote à principio: insunt enim corde in ipso ab initio generationis atq; ab insita ui partes illæ quidem omnes, quæ postmodum progressu suo perficiunt corpus. An eodem hoc fortasse modo in cœli parte prima, in ipsoq; principio de quo constitutio corporis tota deducitur, usuuenit? Atq; uti à uirtute uigoreq; cordi insito sensim reliquũ constituitur corpus, sic ab ascendentis cœli parte prima, signiq; exorientis de curia in genitura indiuuntur, & tanquam imprimuntur nascentibus uires, quædamq; facultates aut propensiones potius ad alia atq; alia, resq; ad diuersas. Neq; enim ita omnia referẽda erraticas ad stellas sunt, ut cœli ipsius continentis obliuiscamur, in quo quidem insunt, & à quo etiam defluunt rerum omnium semina. Vt enim cor hospitium est sanguinis, ex quo cuncta corporis statuuntur membra, sic cœlum ipsum hospitium est syderum, quorum opera ministerioq; ac motu quoq; cũ primis suo cuncta moderatur & efficit. Quo fit, ut quæ de simulacris his traduntur, cõtemnenda nequaquã sint, licet quæ Punicos apud scriptores leguntur, aniliter tradita uideãtur.

De aspectibus dextris ac sinistris. Cap. XXXIX.

Aspectibus quoq; planetarũ & configurationibus tum quadrangularibus triangularibusq;, tum sè è sexangulo intuentibus subij cienda uidetur ratio, per quam qui dexter, qui sinister sit aspectus intellegi ualeat. Permultum enim refert à dextró ne an sinistro latere locus ipse aspiciatur, ac nũ sequatur, num antegressus sit planeta qui locũ aspicit: cum in ipso quoq; homine quid dextrũ quid sinistrum sit, nõ parum referat. Quippe cum sinistra manus fœminea quodammodo & imbecilla, hebesq; sit, dextra uero mascula, robusta, & maxime agilis. Quod idẽ usuenit in cõfigurationibus. Si cui enim Aries ascenderit, is q; in Leone Martem, in Sagittario Mercuriũ habuerit, cum horoscopus eius triangulariter hinc à Marte, illinc à Mercurio irradietur, nimirum à Mercurio dextrum obtineri latus in configuratione affirmabimus. Vniuscuiusq; autem signi quæ dextra, quæ sinistra irradiatio sit, hac uia intellegemus, si ubi signũ ipsum in horoscopo collocauerimus, quæ signa prægrediantur, quæ etiam sequantur, statim inspexerimus. Sit igitur signum ipsum, cuius latera quærimus, Aries, quem si de Capricorno stella aliqua intuebitur, dextro eum è quadrangulo intuebitur: sin de Cancro è sinistro, simili modo è sinistro sexangulo aspiciet stella quæ de Geminis

Arctē aſpexerit, dextro quæ de Aquario. Hoc ipſum etiā aliquanto apertius oſtendamus. Collocato in orienti cardine ſigno eo cuius dextras ac ſiniſtras configurationes quæris, uide nū quæ ſtella in medio cœlo ſit poſita, qui decimus locus dicitur: qua inuenta dices ſtellā illam è dextro quadrangulo ſignum illud aſpicere, è ſiniſtro eam quæ in imo cœlo, id eſt in quarto reperta eſt loco. Item quæ ſtella collocata fuerit in loco undecimo, qui ſuccedit medio cœlo, eam è ſex angulo dextro intueri dices, è ſiniſtro quæ in tertio loco inuēta fuerit. Omnis igitur cœli configuratio cū duodecim ſit in loca diſtributa, ſex loca inferiori occupantur hemiſphærio, id eſt primus, ſecūdus, tertius, quartus, quintus, & ſextus: reliqua loca, hoc eſt, ſeptimus, octauus, nonus, decimus, undecimus ac duodecimus hemiſphærio ſuperiori continentur. Stellæ igitur poſitæ in hemiſphærio ſuperiori dicuntur aſpicere horoſcopū dextra irradiatione, ſiue ea hexagona, ſiue tetragona, aut trigona fuerit, rurſus ſiniſtra, quæ in hemiſperio collocantur inferiori. Locus igitur nonus dextro è triangulo horoſcopū aſpicit, ſiniſtro quintus. Locus decimus dextro quadrangulo, quartus ſiniſtro. Locus undecimus dextro è ſexangulo, tertius ſiniſtro aſcendentem locum intueri dicuntur. Quo fit, ut quoties ſigni alicuius quocunque cœli loco poſiti dextrum ſiniſtrúmue latus quæris, eo ſigno in horoſcopo collocato dicas dextrum eſſe quodcunq; ſignum in hemiſphærio ſuperiori compereris, ſiniſtrum quodcunque in hemiſphærio inferiori. Atque hac ratione dextras ſiniſtrasq; irradiationes facile intelleges. Cur autem dexter aſpectus ſit ſiniſtro ualentior, primum ea ratio eſt, quod planeta in nono, decimo aut undecimo collocatus citius ad horoſcopum motu ſuo progreditur, quàm qui in tertio, quarto, aut quinto loco repertus eſt: ille enim accedit ad horoſcopum, & tanquam properat ſua ſponte, hic abit, ac longius recedit: deinde quod ſuapte natura locus decimus præfertur quarto. Etenim cœli medium quod terris ipſis imminet, immo ualentius eſt, undecimus præfertur tertio, ſiquidem decimo ſuccedit: nonus uero antefertur quinto, quando nonus ipſe, id eſt planeta illic poſitus inceſſu ſuo ad horoſcopū properat, ac terris ipſis imminet: tertius uero, id eſt planeta illic poſitus motu ſuo recedit ab horoſcopo, ac ſub terris latitat. Hinc itaque fit, ut dextri aſpectus iure ualētiores habeantur, imbecilliores qui ſiniſtri ſunt.

De triplici genere aſpectuum & configurationum. Cap. XL.

QVinetiam aſpectuum atq; cōfigurationum ipſarum tria ſunt genera, ab integris partibus, à ſignis ipſis tantū, et ab aſcenſionum temporibus. Partilis aſpectus dicitur, cum à ſtella ad ſtellam numerantur tot cœli partes, quot configurationem

ipſam conſtituunt. Etenim ſexaginta partes integræ ad conſtituendã ſexangularem configurationem numerãdæ ſimul ſunt, nonaginta ad quadrangularem, centum uiginti ad triangularem, centum octoginta ad oppoſitam regionẽ, tot enim ſunt ſingulis in configurationibus ad conſtituenda latera partiũ interiectarũ numeri. Aſpectus qui eſt à ſignis tantum, quem Græce πλατυκὸν dicunt, tum exiſtit, cum ſigna quidem ipſa ſe aſpiciunt. Plures tamen aut pauciores partes inter ſtellas ipſas ſtatuuntur: exempli gratia, Cancrum Aries quadrangulariter aſpicit, ſtella tamen in uigeſimooctauo gradu Arietis poſita, ſtellam in decimo Cancri gradu collocatã partiliter non aſpicit, complures enim deſunt partes ad implendũ aſpectum eum ſcilicet, quem partilem dicimus. Rurſus ſtella in primo Arietis gradu collocata nequaquã partili intuetur quadrangulo ſtellam in uigeſimooctauo Cancri gradu conſtitutam, ſiquidem longe plures interiectæ ſunt partes quàm quæ partilis quadrãguli latus aſtruunt. Quocirca aſpectus hic imbecillior uidetur propter partium ipſarum aut defectum, aut exuperantiam, unde communis ac generalis uocatus eſt aſpectus. At configuratio quæ ex aſcenſionum temporibus conſtituitur, alia ratione quærenda eſt, neq; enim aut communis eſt, aut partilis, quales iam oſtendimus: quæ tamen ipſa ſit, hac ratione colligitur. Leo, Virgo, & Libra in exortu ſuo amplius horis ſex occupant, ſex horæ quartam diei partem implent, at quarta pars diei eſt quarta etiam circuli portio, quæ uero quartam circuli portionẽ continent, quadrangularem figuram ſtatuunt. Quocirca planeta in principio Leonis poſitus non ſexangulariter iuxta ſignorum numerum, ſed quadrangulariter ſecundum aſcenſionũ tempora planetã in ultimis Libræ partibus collocatum intuetur: & hic quidem aſpectus magnarum eſt ſignificationum, quẽ & Antigonus nobilis Mathematicus, & Ptolemæus, et poſt eum Porphyrius, & alij quidam non ignobiles autores obſeruandum præcipiunt. Quo fit, ut in ſignis obliquis, pauciorumq; aſcenſionum ſtellæ, quæ ſecundum numerum ſignorum uidentur triangulariter ſe aſpicere, ſi ad numerum aſcenſionum tempora ipſa redigas, quadrangulari potius irradiatione ſe aſpiciant. Sed aperiatur hoc etiam expreſſius. Eſto Sol in Arietis gradu primo, Iupiter in Leonis gradu ſexto, Mars in eiuſdem leonis gradu undecimo: conſtituamusq; quo in loco ac terrarum parte ſint hæ ſignorũ aſcenſiones, tribuamusq; primum Arieti unam & uiginti, deinde Tauro quatuor & uiginti, poſt geminis octo & uiginti, deinceps cancro quatuor & triginta aſcenſiones: hac ratione Arietis, Tauri, Geminorum & Cancri aſcenſiones omnes ſimul coactæ tempora centum ac ſeptem pariunt: quibus ſi addideris ſeptem etiam Leonis tempora (ſiquidem ſex eius gradus ſeptẽ occupant aſcendendo tempora, uolumus enim Leonem habere aſcenſiones quinq;

quinq; & triginta) fient omnino tempora centũ quatuordecim. Implendis autẽ centũ uiginti temporibus, quod latus eſt æquilateri trianguli, ſex deſunt tempora. Fit igitur ex hac ſupputatione, ut Sol quidem & Iupiter è ſigno ſe tantũ aſpiciant, quando aſcenſionũ tempora integrũ trianguli latus non implent, Sol uero & Mars utroq; modo & è ſigno & temporaliter, hoc eſt ſecundũ plena aſcenſionum tempora ſe conſpiciant, cũ undecim Leonis gradus, in quibus Mars inuenitur, tredecim illa tempora quæ ad implendũ latus deerant, ſubminiſtrent. Hæc igitur ſunt tria configurationum genera, quæ maximã tum amicitiã conſenſionemq;, tum ſimultatẽ diſſenſionemq; inter ſtellas comparant. Qua in re illud quoq; prætereundũ non eſt quod cũ è duabus ſtellis ſe intuentibus, altera nonnunquã in ſeptentrionem longius euecta ſit, altera in meridiem humilius declinauerit, efficitur hac uia, ut latus ipſum trianguli nonnunquam longius quàm par eſt producatur: quæ res uires, authoritatemq; aſpectus ipſius non parum imminuit. Aſpectus igitur qui eſt ex integro nequaquam partium numero, neq; ex perfecta graduum dinumeratione conſtat, uerum aut pluribus aut paucioribus è partibus, qui Græco nomine dicitur πλατυκὸς, è ſignis tantum eſſe perhibetur, debilis quidem atque imperfectus: quem fortaſſe non inconcinne tum remotiorem, tum laxiorem uocabimus, quoniam ab integro perfectoq; intutu propter deficientes aut exuperantes partes plusculum diſtent. Remota enim dicũtur quæ à nobis diſtant. Qui uero ex integris conſtat partibus, cuiq; plurimũ uidetur tribuendũ, iure Partilis uocatur, quem admodũ Iulio Materno placere uideo, rerũ cœleſtiũ diligentiſſimo ſcrutatori. Illũ autem qui ex aſcenſionibus, aſcenſionumq; temporibus colligitur, non improprie Temporalem uocabimus, ut ex ipſa cognominatione aſpectus, cuiuſq; qualitas differentiaq; appareat.

De duodenarijs ſignorum. Cap. XLI.

NEc uerò me fallit ueteres quoſdam ſcriptores ſigna ipſa non ſolum in decurias ſinesq;, uerumetiam in minutiores multo partes diuiſiſſe, ad ſignorum ipſorum numerum: ut ſigno quoque in duodecim partes diſtributo, duas partes & item ſemis alterius Dodecatemoriũ uocarent, nos duodecumanã & duodenariam uocare poſſumus: ſingulas autẽ duodenarias ſingulis planetis attribuebant. Fuere etiã qui nouenas, ſeu malis nonarias conſtituerent, ijſq; dominos etiam ſuos decernerent. Nos huiuſmodi diſtributiones ambitione, aut potius uanitate quadã, magis quàm ratione, aut ipſo rerũ uſu cõquiſitas ab hac noſtra inſtitutione explodimus, deq; ijs ut conſilio rationeq; repudiatis nihil omnino tradimus.

De duodenarijs planetarum. Cap. XLII.

NE autẽ genus aliud Dodecatemorij, hoc eſt duodenariæ duodecumanæ uidemur contẽpſiſſe uideremur, ſubdemus eius rationẽ. Græci uocauere δωδεκατεμόριον, quod pars una duodecies multiplicaretur. Ipſum aũt Dodecatemorion hac ratione colligitur. Collocato Ioue aut Saturno, aut quouis planeta in tertio gradu Arietis, illũ ipſum tertiũ gradũ duodecies produces, quo producto ſummam omnẽ colliges, ac deinde ab Arietis ipſius principio numerabis, tũ quo in ſigno, quaq; in parte ſumma ipſa deſierit uidebis. ſiquidẽ is erit Dodecatemorij ipſius locus. Tres igitur partes duodecies productæ, gradus ſex ac triginta cõſtituũt. Horũ graduũ ubi ſuos Arieti attribueris, inuenies Dodecatemoriũ, id eſt planetæ duodenariã in ſextũ Tauri gradũ incidere. Qui locus ubi bene affectus atq; illuſtratus fuerit, bonũ: rurſus malũ, ubi male affectus atq; infeliciter irradiatus fuerit, obnũtiabit. Hæc igitur eſt duodenariæ planetarũ ſingulis in ſignis ratio. Oportet autẽ nõ integrã modò partẽ in qua planeta collocatus eſt, duodecies producere, uerũctiã particulas minutas, deq; ijs omnibus ſummã unã colligere, collectãq;, ut dixi, ab initio ſigni in quo planeta ille collocatus eſt, per ſigna ſubſequentia æqualiter diſtribuere, & in qua ſigni parte, aut in minuta particula deſinat, illic duodenariã ſtatuere. Iulius Maternus, de quo facturi ſæpius mentionẽ iure ſumus, tradit ex Dodecatemoriorũ obſeruatione atq; efficacia, finiũq; in quibus inuenta ipſa fuerint, poſſe omnẽ cœleſtiũ ſignificationũ uim explicari: quicqd enim in genituris cæletur, ex Dodecatemoriorum & finiũ cognitione indicari, ideoq; Babylonios in Dodecatemoriorũ ſignificationibus cœleſtiũ decretorũ ſummã ſtatuiſſe. Nos etſi Babyloniorũ, & tanti uiri autoritatẽ ſequendã ducimus: nihilominus idẽ ipſe Iulius dicit Ptolemæũ antiſcijs ſolũ ſummã autoritatẽ tribuiſſe. Et antiſcia quidẽ manifeſta naturaliq; admodũ uinxa ſunt, cũ ex ipſarũ partiũ æqualitate ſimilitudo & cognatio quaſi quædã, ut iã docuimus, ingeneretur. Quid enim magis ſecundũ naturã, quàm ut ſimilia cõueniant ſimilibus? Præſertim cũ ea conuenientia ſit & tẽporis & intercapedinis à punctis ſolſtitialibus, quæ duo cœleſtibus ſignificationibus plurimũ cõferunt. In Dodecatemorijs autẽ nihil phyſicũ ineſſe intellego, nec aliã eſſe cauſam, præterquàm quod cõputentur duodenario numero, qui ſignifẽrũ cõficitẽ ſignis duodecim. Quàm aũt in rebus phyſicis numeri ipſi repudiẽtur ab Ariſtotele, norũt omnes qui naturalẽ ſcientiã tractant. Verũ cũ à Iulio Materno autore maximo ac doctiſſimo, & à Babylonijs hæc ut obſeruatione diuturna cõprobata tradãtur, non poſſum eorũ ſententiæ non accedere. Nec me ignoratio cauſæ deterruerit, dũ obſeruatio, atq; euentorũ uſus ita eſſe docuerit: cũ diſciplina hæc ab obſeruatione cœperit, atq; in rebus cõpluribus effectus pateãt, eorũ tamẽ cauſis ignoratis.

IOAN.

NI AD ACTIVM SYNCERVM Sannazarium, De rebus cœlestibus Lib. Secundus.

PROOEMIVM.

RERVM esse naturæ æternitatem Syncere Acti, sunt qui opinentur, & quidē non pauci: Contrà qui principium earum atq; ortū tradāt, causasq; utriq; suas afferant. Siue autem ex æterno ipsæ constiterint, siue aliquando forte suoq; aliquo tempore primum cœperint, cōsuetudo certe atq; obseruatio explicandis atq; inuentēdis illis primas sibi omnino partes uendicarūt. Tametsi à consuetudine profecta uidetur obseruatio. Medicinā enim hæc ipsa obseruatio repit, Nauigationē cōsuetudo, Bellicā disciplimā usus, Rhetoricā omnē facultatē exercitatio peperit, ut assiduitas Agricultu ram. Cū primis dūt stellarū motū, atq; significationes eadē docuit obseruatio. Quanquā natura ipsa cōparatum esse arbitror, in tot annorū ac seculorū millibus, ut unū quandoq; aliquē interiectis uidelicet multorū temporū interuallis protulerit, ac tandē etiā aliquando sit in lucē prolatura, posteaquam res ipsæ obliteratæ seculorū uetustate ab hominū memoria excederint, ut quidē & sæpius excidere, & etiā excident, qui cœli secreta diuino quodā afflatu, maioreq; quàm homuntionū impulsu reserauerit, situq; suis etiā seculis reseraturus, ad quæ neq; obseruatio antea penetrauerat, neque cōsuetudo, quamuis diuturna, uiam monstrauerat obseruationi. Sed ferant utraq; merito laudē suā, dum tamen præclara quorundā hominū ingenia, rationēq; ab illis summo labore studioq; perquisitatā, suosq; in numeros ac præcepta redactā laudibus etiā suis minime fraudemus. Hæc igitur ipsa obseruatio cū perspexisset, res easdē quoties idē ipse stellarū motus incidisset, rursus effici, haberetq; planè animaduersum & cognitū, nihil omnino à præteritis præsentia quæ tunc essent, differre, cuiq; motui, cuiq; etiā tum erraticæ tū fixæ, quas multas in unā etiam formā & corpus quasi quoddā figurauerat, certā illā propriamq; significationē attribuit, cuius in orbem suosq; per circuitus esset reditus, ac peculiaris effectio. Quinetiā, quod Poëtæ faciunt, ut hominibus nomina affixerint pro illorū uirtutibus ac uitijs, signa ipsa & stellas etiam singulas diuersis, sed suis tamen nominibus uocauere: atque illis maxime nominibus quæ quandam per similitudinem aut animalium aut rerum, signorum ipsorum proprietates indicarent, effectionesq; quandam per imaginem referrent, & constituendis hominum corporibus, & animorum applicationibus indicandis. Qua potissimum

ratione & uia duodecim signorũ Zodiaci orbis, cæterorumq; quæ cœlo rẽ liquo distributa feruntur, à primis illis obseruatoribus suo tempore progreßimq; notata sunt nomina, ac cum ipsis illis nominibus etiam significationes, potestates ac decreta. Quibus quidem nominum inditionibus, decretorum ac potestatum notis ornamenti plurimum attulere Poëtæ, dum commentis suis illã quoq; cognitionis partẽ, quæ ad stellas pertineret, intactã ĩornatãq; relinquere noluere. Neq; ab re igitur, neq; per iocũ indita fuere stellis ac cœlestibus signis nomina, neq; dicendi aut fingendi lasciuia cõparata, quando ea commenta est obseruatio rationi coniuncta, atque illius socia, quo & naturam proprietatemq; cuiusq; indicaret, quandamq;, ut dictum est, per similitudinem transferret ad posteros, & alterum ab altero signum propria ac sua cuiusque appellatione distingueret. An non idem quoq; ab hominibus ipsis seruatum est imponẽdis notis, appellandisq; suo nomine rebus singulis? quibus hominum cœtus uteretur, ac sine quibus constare humana societas nulla ratione posset. In quibus id præcipue animaduersum est, ut notæ ipsæ rerum ab effectionibus potißimũ proprietatibusq; deducerentur, ut Mamæ à manatu lactis dictæ, ut à papando Papæ, quæ deinde factæ sunt Papillæ, ut etiam Mamillæ, ut à lambendo labia, à lingendo lingua, à fundendis aquis fontes, à fundendis quæ usui domestico opportuna essent, Fundi, à suppetendo supellex. Iam uero quibus in rebus agricultura uersatur, artesq; ipsæ manuum tam uariæ ac multiplices, earum rerum appellationes quoque sunt quam appositißimæ: ut laudi quoq; dandum sit Astrologiæ inuentoribus, si hoc idem seruarunt, dum occultißimas signorum ac stellarum significationes uocibus insigniuere perquàm accommodatis, quod à medicis itidem in plerisque herbis, medicamentisq; fuit familiarißime usurpatum. Sed reuertamur iam ad obseruationem, quæ inde habet originem, quod homini insita est à natura sciendi cupiditas, eaq; à cœlo proficiscitur, è cuius motu & gignuntur homines, & illa ipsa proueniunt, quæ aßiduis uicibus & generantur & corrumpuntur cuncta. Neque enim cum primum natus est homo, membra singula, quæ tuendo corpori natura fabricata est, sic affecta sunt, ut exerceri statim possint administrandis illis ad quæ à natura ipsa fuere comparata. Tempore igitur opus est, dum interim & paulatim perficiuntur, & sensim etiã meditantur quod suum cuiusq; futurum est munus, ut pedes, ut manus, ut lingua. Eadem quoque illorum est ratio, quæ ad comparandam sunt scientiam necessaria. Itaq; cum primis tempore, atq; ipso etiam longiori opus est, dum quæ animo famulatur mens, ea progressim instruitur. Omnis autem mentis instructio corporeis à sensibus ortum ducit, qui dum gustando sapores, uidendo colores, olfaciendo odores, audiẽdo sonos ac uoces, tangẽdoq; cum durum, molle,

molle, asperum, lene offerunt animo, ibi mens muneri satis suo ut faciat, cogitat diutius, uersatq; illa secum, exquirendo causas, contemplando rerum naturas, hæsitando in dubijs, componendo multa simul ac diuersa, pensitando q; & quæ contrà offerantur, & quæ etiam adiumento sint: quibus postea diu multumq; pensitatis, introrsusq; perspectis, & tanquam cõcoctis, ea tandem probat è multis, quæ undiq; sibi constare, ac rata esse intellexerit, unde ratio est nominata. Qua inuenta tum animus ipse meritò post labores plurimos conquiescit, quodq; exercitus dux atq; imperator etiã facit, post tot erumnas ac pericula uictoria parta, ipse quoq; sibi indulget animus, cõquiescitq;, post enuntiati aut quæstionis eius quam ignorabat, scientiam comparatam. Quo in negotio nõ aliter, meo quidem iudicio, sese habet ignorantia, quàm informanda in materia priuatio, siue eam maluerimus appellare carẽtiã, de qua tam multa dicũtur à physicis. Cũ autẽ mens ipsa plurimum nitatur similibus, atq; illis maxime quæ aut sunt, aut certe uidentur eadem, ipsaq; similitudines non qualitatũ modo sint, uerumetiã motuum ac temporum, his tanquam medijs quibusdam usa, similitudines eas simul comparat: quarum è comparatione ubi omni è parte unà conuenerint, enascitur comprobatio atq; consensio illa, quæ mirificam in se uim habet & ad conijciendum, & ad decernendum. Mens igitur comprobationem hanc, similitudinumq; inter se consensionem secuta, ea repræsentat animo, per quæ uiam illi monstrat, & tanquã iter insternit nunc ad ea quæ rationis ipsius sunt, nunc ad illa quæ coniecturæ: quæ si non omnino certa ac necessaria sunt, plerunq; tamen euenire, atq; ita sese habere sunt solita. Omnis igitur rerũ cœli, stellarumq; cognitio partim ratione constat, partim cõiectura. Ratione quidem constat ea quæ Astronomia dicitur, siquidẽ cognitionem ac certitudinem secum habet motuum, temporum, numerorũ. Illa uero quæ uocata est Astrologia, parte è quadam rationalis est, quoniã à natura, rebusq; naturalibus minime recedit. Cum enim à Mathematico pronuntiatur Saturnum aut Martem pestilentiam inducturum, an aliud pronuntiatur, quàm motu suo humores corporũ, continentemq; aëra corrupturum, indeq; infecturum sanguinem, uniuersamq; concretionem, qua ex infectione necessitate quadã naturæ pestis sit oboritura? Parte etiã è quadam coniecturalis, ut cum à Mathematico prædicitur, bellũ à Marte portendi: nam nec semper inferiores hæ, hoc est, humanæ causæ cœlestibus cum causis usq; consentiunt, quippe cum potentiores nonnunquam hæ quàm illæ sint, hominumq; quorum in manu est bellum mouere, uoluntates ac consilia hinc atq; illinc uariẽt. Quamobrẽ significationibus prædictionibusq; nonnullis ratio comes adiuncta est, uel dux illis potius præposita, in quibusdam uero coniectura locũ magis obtinet. Atq; hæc quidem Syncere Acti,

in hanc ſententiã prolocutos nos eſſe, nec alienũ eſt ab inſtitutione hac noſtra, & naturæ ipſi rerum, de quibus præcipimus, maxime conſentaneum.

SVperiore libro quæ ſigna eſſent Cardinalia, cur etiam nomine hoc appellarentur, qui item mundi Cardines, quotq; eſſent planè expreſsimus. Cum autem propter cœli orbicularitatem, ſignorũq; ſucceſſionem cõtingat diebus ſingulis nunc hoc, nunc illud, inde aliud atq; aliud ſignum Cardinum locis ſuccedere, conſentaneum uidetur de cardinibus ipſis, deq; uniuſcuiuſque ſignificationibus explicatius diſſerere. Itaq; cardines ipſi, locaq; cardinalia quatuor omnino ſunt, ea Græce ſunt κέντρα, à noſtris autem uocantur tum ortus occaſusq;, tum oriens atque occidens: item cœli medium ac ſummum, quod alio nomine tum culmen, tum cacumen uocamus: eſt & imum huic aduerſum, quod etiam infimum (ſummo enim opponitur) recte dici poteſt. Græce ſunt ἀνατολή, δύσις, μεσουράνια, ὑπόγειον. Quin Meſuranema ipſum inuenio etiam Apogeon uocari, quod medium cœli locum ſupra teras occupet, cuius contrarium ſub terris teneat Hypogeon. Recentes etiam rerum cœleſtium ſcriptores neq; inepte, neq; inſignificanter uocant angulos. Loca quidem hæc in omni rerum inueſtigatione, ſiue genituras inſpiciemus, ſiue futurum aliquid ſcitamur, ſeu quippiam inchoamus, aut faciundum decernimus, cum primis inquirenda ſunt, unde etiam à recentioribus principalia ſunt cognominata. Quæ uero loca cardines ipſos ſtatim ſequuntur, à nobis dicuntur ſuccedentia. At quæ præcedunt, atq; ab his declinant, & tanquam decidunt, tum declinantia, tum cadentia à re ipſa nominata ſunt. Cardo ipſe cœli exorientis atq; angulus à Græcis ὡροσκοπος, à recentioribus Latinis aſcendens dicitur. Verum ut de cardinibus hac in parte alia quadam ratione loquamur, regio quidem ipſa quæ cardinẽ unũ conſtituit, complectitur & antecedentem, & ſuccedentem cœli portionem in diuidendo Zodiaco. Quocirca treis in partes ratione hac cardo diſtribuitur. Ac prima quidem diſtributio, hoc eſt cœli pars prægrediens à Græcis dicitur ἀποκλιμα, quod ab ipſo declinet, cadatq; horoſcopo, à nobis proprie dici poteſt declinatio: & gradus ipſos Horoſcopum antegredientes (ſi latinum uerbum ducere Græco è uerbo uolumus) Declinantes recte quidem uocabimus. Nec eſt cur recuſemus etiam deſcenſum aut deſcenſionem uocare. Siquidem hæc ipſa diſtributio conſtat è declinatione, aſcenſione neq; ac medijs gradibus inter utranq; interiectis, qui medium locum conſtituunt: & hic quidem cardo ſigna tria, id eſt quartam cœli partem complectitur. Cardo item, apexq; medij cœli, quod eſſe diximus Meſuranemę, in partes quoq; diuiſus eſt tris. Et prima quidem pars in Apoclimate poſita

eſt,

est, quam tum descensionem, descensum q; tum declinationem uocari Latine posse diximus, eaq; à quibusdã Cadens pars agnominata est, quinetiã tum deculminatio, tum decacuminatio dici à nobis recte potest. Etenim si cœli medium culmen, cacumenq; appositissime uocatur, pars ab illo decidens et decacuminatio & deculminatio etiã appositissime uocabitur. Nam & rerũ agri scriptores nõ recusant uti uerbo decacumino, quod quidẽ sine ulla ueterum scriptorum autoritate, studentibus nobis uendicare disciplinam hanc à scriptorum quorundam barbarie concedendum esset, ne uideamur uerborum inopia laborare, quibus etiam abundamus. Eadem partitio est occidui cardinis atq; imi, quorum alter horoscopo, culmini alter opponitur. Quæ tertia est pars in ipsa distributione, sequiturq; cardinis cuiusque partis medias, ea Græco nomine est ἐπαναφορὰ, nos subsequentiam, successionemq;, graduq; ipsos tum subsequentes, tum succedentes uocare recte possumus, quod statim medios ipsos subsequantur, mediæq; ipsi parti continuo succedant. Atq; ipsi quidem cœli cardines ratione hac quadrifariam trina tamen per signa diuiduntur.

De quatuor cœli quadraturis. Cap. I.



It autem, ut cum signa duodecim signiferum constituant, duodecim quoq; cœli loca, siue duodecim, ut hodie à nostris uocantur, domus constituendæ sint. Omnem igitur cœli orbiculationem ab horoscopo progressi, cõdemq; regredientes in loca duodecim partiemur. Quod autem inter medij cœli apicem, gradumq; horoscopantem spatij interiacet, tum quadram, tum quadraturam, quadrantémue uocabimus. Quo fit, ut signifer ipse quatuor etiam in partis ratione hac distribuatur, unde Quadræ sunt dictæ. Eæq; aliam quàm quæ de cardinibus tradita est, rationem sequuntur: siquidem singulæ quadræ ab altero in alterum protenduntur angulum. Nec uero propter Signiferi obliquitatem, inæqualemq; signorum ortum quadræ ipsæ ex æquo ubique diuiduntur. Quanquam quadræ sibi oppositæ quæ paribus semper è gradibus, siue pluribus, siue paucioribus cõstant, simul utiq; congruunt. Quadra etenim quæ inter ascendentem cardinem, atq; imũ cœlum interiacet, ubiq; numero partium aduersæ, quadræ quæ inter occasum & culmen locum obtinet, respondebit: ut si ea nonagintasex è gradibus constiterit, totidem aduersa illa è gradibus constet: sin è partibus octogintaquatuor, totidem & illa contenta sit. Eadem ratio est, idemq; responsus quadræ illius quæ est ab imo cœlo ad occasum, & eius quæ à medio cœlo pertinet ad orientem cardinem, quæ sibi è regione aduersantur. Contingit autem inæqualitas hæc propter Signiferi obliquitatem, ac terrarum, ut

diximus, ſitum ſeptentrionẽ uerſus propius aſſurgentium, aut in meridiẽ declinantium, non tamen ut computato omni quadrarum ac ſignorum numero (quod enim quadris duabus demitur, alteris adijcitur) aut ſuperſit aliquid, aut deſit gradibus ipſis, qui ſigna duodecim, cœlumq; uniuerſum complectuntur. Actametſi ab ortu ad occaſum centum atq; octoginta partes ſemper interiacent, nõ tamen nonaginta ſemper partes, hoc eſt numeri totius media ſumma inter occaſum & culmen, ac rurſus inter culmen & aſcendentem cardinem æquis portionibus interlabuntur. Quod item in hemiſphærio inferiori ab occaſu ad imum, ab imo ad horoſcopum uſuuenit.

De diſtributione ætatis ac uitæ hominum. Cap. II.

VT autem quatuor ſunt anni tempora, quibus de motu Solis annus conficitur, ſingulaq; tempora tribus conſtant è menſibus: ſic ipſa hominum uita quatuor in partes diuiſa, proinde ut quatuor ſigniferi orbis cardines tribus è partibus conſtãt, & ipſa quoq; treis in partes diſtribuitur. Atq; ut menſes ipſi conſtant diebus, uita hominis annis, ſic cardines quoq; partibus quiſque ſuis, ex æquo quidem triginta, cæterum pluribus, aut paucioribus, pro ſignorum ipſorũ, Zodiaciq; rectitudine aut obliqtate. Quocirca & ipſi cardines ut anni tempora, hominisq; item uita (ſiquidem hæc ab illis deducta uidetur) triplici diuiſione partiendi ſunt. Singula autem uitæ, ut anni tempora, & principio, & medio, & fine conſtant. Finis itaq; cardinis ætatis illius finem, medium item eiuſce medium, quod præcedit, quodq; in apoclimate collocatũ diximus, ætatis eius principiũ deſignat. Non iniuria igitur hoc quoq; præſtandum à nobis uidetur, ut diſtinctius atq; appoſitius hæc ipſa intelleganꝰtur. Cœli pars aſcendens genituræ tempore, qui ὡροσκοπος Græce dicitur, primam nati ætatem indicat: culmen, id eſt cœli medium, ætatem nati eiuſdem mediam, occaſus ipſe ultimam, imum mortem, uitæq; ipſius exitũ, quiq; poſt mortem futuri ſint honores aut opprobria. Recte quidem atque appoſite hæc omnia. Etenim ſi cœli ac ſtellarum motus orbiculatioq; cauſa ſunt omnium quæ in parte hac mundi tum generando tum corrumpendo fiunt, & eſt aliquod, ut quidem eſt, uitæ principium, quemadmodum homo in lucem uenire, hoc eſt in uitã dicitur, quo tempore utero matris prodit: ſic cœli pars ipſa quæ ſupra terras tunc exit, comitaturq; motu atq; aduentu ſuo prodeuntis hominis ex utero motum, uidetur primæ huius commotionis, primæq; ætatis ius, indiciumq; penes ſe merito quidem aſſumere: quæ uero ei opponitur occidẽs cœli pars, obitus atq; corruptionis. Vnde à nobis in Vrania noſtra non temere dictum uideri poteſt:

Vita tibi, motuſq; animi quærendus ab ortu,

Vnde

Vnde etiam toto lux ipsa effunditur orbe.
Surgit ab occasu mors importuna maligno,
Qua tenebræ, qua nox nigrantibus aduolat alis.

Perinde etiã ut cœli mediũ, summusq; cœli uertex eorũ quæ in media contingunt ætate, significationẽ præ se fert: amplitudo enim & honores ipsi cũ in uita ciuili de summi boni genere habeantur, iure summo à cœli loco indicantur: sic infimus cœli locus illi aduersus, quæ post mortem futura sunt, eorum omnium significationem habet. Vtq; cœli medium amplitudinem, deiectionemq; uenientis in lucem hominis, pro qualitate felicis infelicisq; configurationis designat, sic imum honorationis inhonorationisq; post lucem obitam, itemq; opprobrij commẽdationi sue indicationem perhibet. Quin etiam ut non est dare corpoream corruptibilemq; substantiam aliquam animatam scilicet quæ accidentibus non sit, uarietatibusq; subiecta: sic non est concedendum, quod quidem singulis in hominibus cernitur, siue ad salutẽ, siue ad perditionem spectet, accidere aliquid, cuius non in cœlo uestigiũ appareat. Homo enim cum sit à natura, hoc est à cœlo, stellisq; ita constitutus ut honores, ut quæ bona existimantur ciuilia suopte instinctu appetat, an non in cœlo inesse dicemus, ut substantiæ, qualitatisq; corporeæ, animatiq; corporis, sic eorum quæ animato corpori accidunt, significationem? siue ea prospera, siue aduersa sint, siue in uita contingant, seu post mortem atque in ipsa etiam morte eueniant: eadem enim horum omnium ratio est, quamuis pro qualitate configurationum locorumq; diuersa. Ad hæc cum homini possessio contingat rerum plurimarum, quæ è terris, aëre, atq; aquis constant, ex ijsdemq; proueniunt, ex ijs enim enim uiuimus, ijsq; aut egemus aut abundamus, atq; ad eas appetẽdas conquirendasq; natura impellimur, sintq; hæc ipsa omnia tam subiecta quàm sunt stellis, stellarumq; orbiculationibus, id quod apertißime cernitur, scilicet non in cœlo ipsorum quoque accidentium signa, significationesq; inesse dicemus? cum horum ipsorũ possessio in uita ipsa, et postquam in lucem prodijt, cõtingat homini: neq; enim matris ex utero secum hæc deuehit, sed appetitionem tantummodo secum illorum defert: unde externa dicta sunt bona, quæ etiam fortuita, ut fortunæ ipsi, id est cœlestibus motibus exposita, non tantum à plebeis hominibus, uerumetiam à sapientissimis uiris cognominantur. Sunt igitur perinde ut uitæ, ut corporeæ constitutionis, animatæq; substantiæ in cœlo & stellis notæ: sic eorum quoq; quæ homini ipsi ex anima constanti & corpore accidunt, significationes in cœlo repositæ, quod tot seculorum obseruatio minime quidem fallax & docuit, & quotidie etiam docet. Age consideremus generatim bona ipsa, quæ felicitatem constituunt: ea profecto sunt aut corporis, aut animæ, aut de genere externorum. Ac primũ quidem bona ipsa

corporis, ut robur, ut celeritas, ut sanitas, aliaq; huiusmodi, quæ corpori insunt, & à cuius compage existunt, cum ipso simul corpore ingenerata sunt, atq; ab illius conglutinatione ducũtur, neq; enim extra corpus sunt posita, uerum corporis ipsius prorsus texturam sequuntur, corpus autem generationi atq; corruptioni utiq; subiectum est. Atqui dictũ etiã & comprobatũ est, quicquid generationis corruptiõis q; in orbe hoc euenit, à cœlo stellisq; proficisci. Ergo & bona hæc corporis, cœli, stellarumq; commotionibus sunt exposita, à quibus & sunt & cientur. Nam quanquã sani esse semper cupimus, non tamen ubiq; ualentes sumus, & uires ipsæ nostræ tũ consenescunt, tũ multis grauibusq; interim accidentibus infirmantur, quæ quidẽ omnia à cœli, stellarumq; quæ cœlo feruntur agitationibus proueniũt. Mutatur siquidẽ aër, mutantur etiã corpora, quæ aëre cõtinentur, & illũ spirãt: mutantur annorũ tempora, mutantur quoq; & hominũ ætates, & corporũ temperaturæ: sentiunt elementa tum diuersitatẽ, tum etiã uarietatẽ superiorũ cõmotionũ: eandem etiã uarietatẽ sentiũt corpora, quæ ipsis ex elementis constant, & ab illis atq; ex illis uiuũt. Quid suauius Vere, quid hilarius adolescentia, quid tristius hyeme, quid æruũosius senectute? Vini, olei, tritici prouentus tales sunt, quales aër terraq; cõcinnant. Aëris aũt terræq; cõcinnatio à cœlo, atq; è stellis prouenit: quis hoc negauerit? quod natura docet, agricolæ confitentur, quod res ipsa comprobat. Aniculæ quoque ex aëris & stellarum prognosticis ac signis hæc ipsa pronuntiant, & rerum terræ tum inopiam, tum copiam prædicunt. Sed ne longiores hac in parte simus, quæ per se ipsa nota satis est, redeamus ad externa bona, de quibus paulò ante tametsi multa diximus, pauca tamen quædam adiungenda necessario uisa sunt. Numerantur autem in externis bonis ædes, prædia, armẽta, nauigia, domestica supellex, aurũ, argentũ. Quid his ipsis magis expositũ est cœli motibus, stellarũq; agitationibus? Videmus enim agris flauescẽtibus segetes ipsas repentinis tũ hymbribus, tũ grandinibus persæpe concuti, ac fœtu suo spoliari, domos nunc fulminibus, nunc terræmotu quassari ac dirui, armenta gregesq; modò à torrentibus rapi, modò à morbis corripi, nauigia aliâs fluctibus mergi, aliâs scopulis impulsa lacerari, familiarẽ quoq; supellectilẽ sæpenumero cõflagrare incẽdio, nõ raro alijs atq; alijs casibus corrũpi ac dissipari, aurũ atq; argentũ furto surripi aut ui extorqueri, fraudeue auferri, atq; hæc quidẽ nonsemel, utinamq; nõ tam sæpe re ipsa cernerẽtur, ut ea fortasse non tã dici possint temere contingere, quàm ordine quodã suo, causisq; suis prouenire, accidunt tamen homini & quidẽ præter spem ac uoluntatẽ, quæ quoniã cœlestibus excitãtur à motibus, nullo pacto diffitendũ est, horũ signa cœlo esse insita, eaq; ordine ac serie sua futura, pro nascẽtis hominis cõfiguratione ac cœli statu. Di-

ces,

ces, quis hæc docuit? Obseruatio, qua nihil est in hominũ rebus antiquius: docuit experientia, quæ est hominũ magistra: itẽ disciplina, quæ tũ obseruatione, experiẽtiaq;, tũ ratione ipsa constat, qua una nihil est in homine ipso, neq; in hominũ rebus diuinius. Veniamus hinc ad animi quæ dicũtur bona: ea sunt, ni fallor, aut animi ipsius actiones, quæ hodie operationes dicũtur, aut ex ipsis animi operationibus existunt. Nolumus partẽ hanc subtilius discutere, sed crassa, ut dicunt, & populari agere Minerua. Animi actiones hæ aut solius sunt animi, aut sine corporis præsidio adminiculisq; esse nequeunt. Si animi solius sunt, quoniã præceptio nostra de illis ipsis solũ est quæ corporis, elementorũq; naturã sequuntur, earum considerationem disciplinas ad alias, aliamq; cognitionem in præsentia relegamus: Sin ut animi cum corpore simul, corporeaq; per instrumenta agentis, concedendum est, ad hanc potissimum præceptionem spectare earum indagationem, deq; his nos debere, & uelle quærere. Non est igitur animi solius, ut arbitror, uersus facere, neq; enim omnes qui animo utuntur, uersus faciunt, sed hominis ipsius ex animo & corpore existentis. Atqui perpauci etiam homines faciendis uersibus dant operam: cum tamen quidam quasi diuinitus informati ad hos ipsos pangẽdos uideãtur. Vnde hoc igitur? an à cœlo, stellisq; hæc ipsa semina in ipsa procreatione ac genitura miscendis, &, ut ita dixerim, fermentandis humoribus, indita sunt? Vnde nõ minus uere quàm præclare dictum est à doctissimo Poëta:

Sedibus ætherei spiritus ille uenit.

Nec uero semper Poëtæ arbitrij ac iuris est carmen ipsum fundere, quin expectandus motus est, qui humores illos, seminaq; ipsa concitet, à quibus uisa ipsa, quæ phantasmata dicuntur, ueluti è somno expergescantur, pro quorũ etiã qualitate ac temperatione alius Lyricum pangit, alius Elegiacum, ille Iambicũ sequitur, hic Heroicũ, ut nihil prorsus nisi bellicũ personet, adeò seminum ipsorum diuersæ sunt qualitates ac naturæ, quæ quidem neq; in animo solo, neq; in hominibus singulis fata perspiciuntur, sed in mixturis corporum, & in hominibus quampaucissimis. An nõ uinum idem cuius etiam una uis est, in ebrijs pro qualitate potoris hæc eadem præstat? cum alius in risum diffundatur, in lachrymas alius, hic choreas agitet, ille in furorem actus lapides, truncósque proijciat, ut non unum esse omnino genus ebrietatis appareat. Si igitur à cœlo existunt hæc & à stellis, à quibus semina ipsa humoribus immixta induuntur, num erit tanta quispiam peruicacia, dicere ut audeat, cœlestibus hæc configurationibis tribuenda non esse? quando ab illis & principio manant, & pòst nisi ab illis excita, & tanquam fota uix fructus suos cum laude ferunt. Nullus euasit bonus Poëta, cuius in genitura Venus Mercuriúsque in signis accom-

modatis, in locis idoneis, in appositis configurationibus inuenti non fuerint. Nanq; ab ijs potissimũ stellis Poëtæ formãtur. Maluimus de Poëtis loqui, licet nec medicus, nec artifex ullus perfectus euadat, ne duces quidẽ ipsi belloꝝ ũ, exercituumq;, nisi à cœlo genitalibusq; cõfigurationibus ducant facultatis excellentiæq; suæ originem atq; causas. Nos qui hæc scribimus, nullo à præceptore, aut ad carmen componendum, aut ad philosophiam ediscendam, aut ad cœli significationes intellegẽdas instituti sumus. Sola enim natura, insitaq; animi uis, ac ueterũ scriptorum lectio assidua, ad hæc ipsa nos traxit, quorum & pater auusq; ignorantissimi fuere, & mater satis habuit lanificio ac telæ intenta esse. Ad cœlum igitur stellasq;, quando ab illis quidem manant, iure hæc uidentur referenda. Atq; ut corporum mixturæ qualitatesq; à cœlo stellarumq; posituris ac configurationibus proueniũt, sic eorum quæ corpori accidunt, quæ homini, qua è corpore existit, qua corporeis instrumentis utitur, quæq; aut insunt, aut eueniunt, aut qua elementaribus è partibus ipse constat, quaq; ipsis ex elementis uictitat, quæ quidem ex elementis tam multa proueniunt, eorum, inquam, causæ cœlo, et ijs quæ cœlo feruntur syderibus tanquam sua ad principia relegandæ sunt, è quorum motu cuncta & gignuntur, & corrumpuntur, aut in alia ex alijs conuertuntur. Sed iam ad ea unde digressa est oratio redeamus.

De quatuor cardinibus, eorumq; distributionibus. Cap. III.

Constat primus cœli cardo, ut dictum est, horoscopo, ad quem ipsorum corporum substantiæ constitutionisq; qualitas referenda est, & ætas item hominis prima. Cum autem tris in partes illum distribuerimus, quæ pars horoscopum antecedit, ea indicium & significationem habet eorum, quæ nato ante ortum, dum matris utero fouetur, contingunt: dolorum item, ærumnarumq; & accidentium aliorum, quibus matres ipsæ, dum grauidæ sunt, dum fœtus gestant, afficiuntur. Quocirca tempora illa ad eam quæ antecedit horoscopi partẽ, accommodanda sunt. Ea pars in ipsa cœli declinatione tota quidem constituta est, quæ horoscopum quidem prægreditur, quamq; ἀπόκλιμα Græce uocari diximus: horoscopus autem ipse partum, quæq; post partum tempora infantem consequantur, infantiæq; ipsius euenta enuntiat. Qui sequitur conscensus, cœliq; acclinatio atq; successio horoscopo continuata, reliquũ primæ ætatis, ultimaq; illius significat tum tempora, tum euẽta. Quo fit, ut hæc prima distributio, hoc est ascendens, quæq; illud antecedit cœli declinatio, quæq; coniuncta insequitur acclinatio atq; successio, tempora nati ipsius omnia complectantur, scilicet ex quo fœtus ipse conceptus, uteroq; matris

matris mensibus suis gestatus, indeq; in lucem editus, ac pedetentim ab infantia in pueritiam, ex eaq; ad ephebos transiens, ætatis primæ fines transgressus fuerit. Quemadmodum autem fœtus ipsius conceptio principium est proditionis eius in lucem, à conceptione enim natiuitas prouenit, atq; à tenebris, ut ita dixerim, fœtus in lucem exit: eodem modo pars illa declinantis cœli quæ statim præcedit, uidetur quodammodo ad se rapere mediam illam partem, quæ horoscopum constituit, perinde ac subterraneis è locis in aperta & clara illam euocet. Atq; ut hæc ipsa cœli pars ascendens consequentes atq; acclinantes gradus secum rapit, in quibus ultima primi cardinis constituitur pars: sic etiam & illa quæ primæ ipsius ætatis ultimũ terminum constituunt, tempora cuncta complectitur. Quod si principio, primisq; locis debentur prima, quæq; illis sortito obtingunt, & medio quoq; quæ media sunt, quæq; ipsi medio, iure quodam naturæ, motusq; ratione spectauerint, ascribenda uidentur. Quocirca cœli medio, quod culmẽ libenter uocamus, tanquam medio cardini mediam ætatem dedicamus, ab eoq; mediæ ætatis euenta portẽdi, temporaq; delabi non iniuria credimus, & in ipsius quidem apoclimate descensuq; significationes rerum earũ quæ in primis mediæ ætatis temporibus euenturæ sint, collocatas esse dicimus. Omnis enim ætas initiũ, terminum & statum, sic enim hodie uocamus spatium ac moram eam, quæ inter principium & terminum media interlabitur, ac si stare ipsa inter utrunq; uideatur, simili ratione complectitur. Itaque mediæ ipsius ætatis medium tempus ab ipso culmine indicium & pronunciationem deducit eorum quæ nato id temporis sint euentura. Quæ uero cardinis huius ultima pars est, quæq; in acclinatione annexaq; cœli subsequentia collocatur, ultima ætatis mediæ tempora, quæq; illis ipsis in temporibus casura sint, indicat. Quoniam autem exoriens cœli pars uitam, primamq; uitæ hominis ætatem denuntiat, iure locus ei aduersus, hoc est occidens contraria quidem illi significauerit. Primæ itaq; ætati cum opponatur ultima, contrariorumq; sint contrariæ actiones, hic ipse locus ultima uitæ tempora, perinde ut uitæ principium oriens indicabit: utq; ab illo uenitur in lucem è tenebris, sic contrà ab occasu itur è luce in tenebras. Significatio igitur temporum euentorumq; quæ in medijs ultimæ ætatis spatijs futura atq; casura sunt, ab ipso occidentis cœli situ manat, & quodam quasi è fonte deriuatur. Nam quæ in primis ætatis ultimæ temporibus contingũt, à prælabente declinatione occasusq; apoclimate deducuntur. In ultima uero ætatis ultimæ parte qualia casura sint tempora, ipsa cœli subsequentia, acclinatioq; occasui coniuncta præmonstrat. Quocirca ut apoclima declinatioq; horoscopi, quæ partum antecedunt, natiq; ipsius in lucem aduentum planè significat: sic quæ huic opponitur pars, hoc est occidentis cœli

declinatio, quæ uitæ ultimos terminos, atq; in tenebras abitionem prægrediuntur, denunciat. Atq; ut horoscopi subsequentia & acclinatio, quæ in ipso uitæ primæq; ætatis uestibulo tempora accidunt, præ se ferat: ita & occasui coniuncta cœli acclinatio, quæ in ipso uitæ termino ultimisq; actibus euentura sint, indicat. Imus & subterraneus cœli situs, nati in tenebris ac sub terras abitionẽ, id est mortẽ, quæq; mortẽ ipsam statim aut antecedunt, aut sequuntur, portendit. Declinatio enim præcedens temporũ significationem habet, quæ mortẽ prægressura sunt. Imũ ipsum mortẽ ipsam: quæ subsequitur acclinatio tempora quæ mortem insecutura sunt, annunciat. Horũ igitur locorum ac cardinũ quatuor situs, tris in partes distributus, totius uitæ, quæq; ante ortũ etiã in utero fuerint, quæq; post obitũ tempora futura sint præsentiaq;, ac futura pro quaq; ætate complectitur, genitarumque ipsarum inspectoribus indicat. Quo fit, ut quatuor hæ cœli distributiones in cardines quatuor cum suis quæq; acclinationibus, declinationibusq;, id est epanaphoris apoclimatibusq; diuisæ, omnia natorũ tempora, uitámque omnem perinde ut duodecim signorum, quæ Zodiacũ constituunt, circuitũ complectantur. Placet aũt Ptolemæo, cæterisq; disciplinæ huius institutoribus partis quinq; horoscopũ prægressas ipsi horoscopo attribuere, atq; inde proficisci donec triginta graduũ numerus compleatur: idq; etiã cæteris in locis è triginta simul partibus statuendis seruandũ tradunt, etsi propter signorum obliquitatem rectitudinemq; loca ipsa nunc pluribus nunc paucioribus è gradibus statuantur. Quod non temere institutũ uidetur, siquidem natus ipse non momento nec puncto tempore (ut Lucretianis utar uerbis) uerum spatio quodam, moraq; prodit ex utero. Eoq; censent non gradũ eum tantummodo ab Astrologo notandum, quo natus infans terrã attigerit, uerumetiã antegressos quinq; gradus, quo quidẽ temporis spatio quaq; immoratione luctatur ut prodeat, perinde ut socios laborũ, ac fœtũ ipsum in lucem prouocantes. Etenim rostra longarum nauium cienda in pugna, quanquam ipsa quidem triremes extra uidentur extare, nihilominus quanto præsidio sint, res ipsa docet, quando & à rostris ipsis rostratæ sunt dictæ. In militaribus quoq; conflictibus de antecursoribus, ferentarijsq;, quiq; primi pugnam capessunt, aut ad certamen prouocant, ea à ducibus, imperatoribusq; ratio haberi solet, ut ex illorum successu pugnam reliquam aut detrectent, aut prosequantur. Quid autem est aliud fœtũ ipsum exire in lucem, quàm in certamen prodire, tot laborum ærumnarumq;, tot etiam præmiorum successuumq;, quibus aut felicitas comparatur, aut felicitati contraria miseria? Sed iam ad reliqua nostræ huius institutionis explicanda progrediamur.

De

De duodecim Signiferi locis. Cap. IIII.

HAnc cardinum distributionem iure sequitur duodecim etiã lo corum Zodiaci distributio, quibus è locis generalis quædam oritur obseruatio rerum earum, quæ uitã comitantur, ac sine quibus uita ipsa esse nequeat. Quoniã autẽ qui utero matris prodit, is in lucem, id est in uitam prodire dicitur, cœliq; pars ascendẽs sub terraneis è locis cum eo non secus quàm è tenebris in lucem atq; in apertũ prodit, iure primo huic loco nati uita tribuitur, illiusq; corporaturæ & animalis constitutionis ratio ab eodem quæritur: quippe quæ signi ipsius quod locũ primũ occupat, qualitatẽ sequitur, necnõ stellæ signi ipsius domi næ, quæq; signũ etiã ipsum irradiat, pro natura etiã irradiationis, signiq; à quo irradiat. Vnde Ptolemæus rectè præcipit, quæ corporia accidũt, quæq; hodie dicuntur corporis accidentia, ab ascendente loco quærenda. Generalis itaq; uitæ nati obseruatio, corporeæq; cõstitutionis atq; animalitatis primo ascribitur loco, primæq; ascendentis cœli domui, quando significrum omnem in duodecim domos locaq; distribuere maioribus nostris placuit. Et quoniam nec uita consistere, nec corpus officio suo fungi absq; alimentis potest, secundus locus obseruandam sibi sumpsit qualitatem census, peculij atq; supellectilis, quæ domestica substantia uocatur à quibusdam, quod ea & corpus alitur, & uita ipsa consistit. Quid autem accommodatius, quàm ut secundus locus habeat eorum significationem atq; indicium, quæ uitæ corporiq; alimoniam submiſtrẽt? Locus hic habitus est ab antiquis piger ac deiectus, sic enim uideo appellari cum à Materno, quod nulla cum horoscopo radiatione iungatur, quimetiam penè infami eum notauerunt nomine, Infernam portam appellantes. Ac nihilominus ascendentem statim locum continuateq; subsequitur, subitq; illius uicem atq; autoritatem, ut si eũ neq; aspiciat, neque irradiet, ei tamen succedat. Itaq; nec mirum est, nec irrationabile, si pro comparanda re familiari, censuq; domestico tot obeuntur labores, molestiæq; tam multæ ac difficultates suscipiuntur, quando inde euenit, quod locus hic secundus primo loco, nullo prorsus familiaritatis coniungitur uinculo. Cumq; sit homo sociabile animal, neq; aliud fortasse tam ei sit ab illa insitum, quàm societatis studium, iure tertius locus fratrum sororumq; significationem sibi uẽdicauit. Quæ enim aut prior aut potior quàm fratrũ sororũq; societas atq; coniunctio dari à natura potest? Siquidem uxor nec ijsdẽ existit è parentibus, nec pueris opus est re uxoria, quippe quæ suscipiendæ prolis gratia in adulta iam ætate sit instituta: cũ tamẽ societatis præsidio & pueri indigeant, eaq; mirũ in modũ natura duce capiantur, & ætas reliqua tali egeat præsidio, neq; arctior societas esse queat, quàm quæ ijsdem è parentibus, atque uno eodemq; constet è sanguine,

Appositißime igitur ut secundus locus primo, ut alimonia uictui corporeo quo uita conseruatur, statim connectitur, sic prima societas tertio ascribitur loco, qui prima cum ascendente cœli loco societate, primaq; cum illo irradiatione coniungitur, primamq; constituit inter nascentes cognationis societatem. Habet etiam locus hic significationem non mediocrem amicitiarum, familiariumq; consuetudinum, cum sit homo, ut dictum est, sociabile animal, tamen à fratribus nomen cœpit, quando fratrum societas natura ipsa prima est. Habet etiam peregrinationis nõ tenue indicium, quando et peregrinatio comparauit inter homines hospitia, peperitq; hospitalitatem arctißimum coniunctionis genus. Hunc ipsum locum sua à bonitate Deam nominarunt, sicuti nonum locum Deum. Discreuerũt autem maris fœminæq; appellatione, quod nonus locus esset maioribus uiribus atq; autoritate præditus: siquidem de hemisphærio superiori horoscopum amica intuetur radiatione. Dei itaq; ac Deæ appellatione nobilitauerunt utrunq; locũ quod Deorum sit proprium benefacere. Consequitur quartus, id est imus ordine suo locus, à quo exurgere cœlum ipsum, & ex infimis ad superna progredi pedetentim incipit: quando antecedentis partes hic ipse locus sursum atq; in apertum impellendo cogit, autor quasi quidam horoscopi supra terras citatu suo protollendi. An non pater ipse autor est prodeuntis in lucem, hoc est in uitam filij? Vt autem non est dare liberos sine patre, nec suo absq; autore principium, sic non prodibit supra terras primus Arietis gradus, nisi Cancer imum cœli locum tenens motu atq; detrusu suo gradus illos Arietis in altum propellat, extollatq; in apertum. Est igitur ut Cancer autor quasi quidam prodeuntis Arietis in apertum angulari suo impulsu, sic pater proditionis in lucem filij. Cum igitur pater sit autor filij, recte fratrum locus patris loco coniungitur: nam & fratres ab eodem patre proueniunt. Iure etiam quartus locus nascentis filij cardinem, de cardine genitoris irradiat. Iure etiã quæ patris sunt, ab eodem ipso loco quæruntur. Habet etiam locus hic significationem patrimonij, rerumq; paternarum, facultatum etiam domesticarum, quæq; patrimonium ipsum, domesticasq; facultates etiam occultas constituunt. Cum autem maxima atq; arctißima in hominum genere, filiorum ac patrum coniunctio sit, iureq; prima & dicatur & habeatur societas, iure etiam loco maxime sociabili attribuitur, qui ordine suo in orbe signorum aspectu cum primis sociabili horoscopo coniungitur, quocirca cum huiusmodi quintus sit locus, filijs meritò dedicatur. Nam si tertius locus addictus est fratribus, propter primam aspectus coniunctionisq; cum horoscopo societatem, quæ tamen societas ali quanto imbecillior est, cur non quintus locus filijs addicetur? Quandoquidem ut nulla est arctior quàm filiorum ac patris coniunctio, ordine ac lege

naturæ,

naturæ, sic nullus cœli aspectus, nulla signorum coniunctio, quàm quæ est è triãgulo, arctior ac propinquior inuenitur in serie atq; orbicularitate progredientium ab horoscopo signorum. Merito autem uidentur inter prima naturæ bona liberi, cum ex ijs genus ipsum hominum propagetur: quippe cum sola hæc causa sit generis conseruandi: aliter enim speties ipsa funditus atq; in uniuersum interiret. Præterea ut liberorum quæ prima naturæ dona sunt, locus hic significator est, sic etiam & donorum quæ tum ab amicis, tum etiam à principibus ac regulis conferuntur liberalitatis ac beneuolentiæ gratia. Quamobrem hunc ipsum locum à maioribus nostris bonã Fortunam agnominatam inuenio, ac propter naturalem beneficentiam Veneris syderi dedicatum. E contrario sextus locus ut deiectus ac piger nullã cum horoscopo societate, nullis prorsus connectitur uinculis. Quid igitur inde boni uenienti in lucem puero puellæ ue defluere aut subministrari poterit? Siquidem deserta loca & ab hominum frequentia quammaxime remota non fera tantum animalia, uerumetiam uenenosa gignunt, nec minus etiam stirpes & herbas plurimas succi quamnocentissimi. Non aliter itaq; sextus locus feracissimus est, & quidam quasi fomes ægritudinum, malorumq; plurimorum, quæ corpora infestant, uitamq; labefactant: unde malæ Fortuna ab infelicitate sua agnominatur ab antiquis, locusq; ipse Martis stellæ propter insitam maleficentiam attributus. Etenim si in orbe signifero loca sunt è quibus gaudia, uoluptates, salutariaq; adiumenta, ac diuersa bonorum genera portendantur hominibus, danda etiam sunt eodem in orbe loca, è quibus ægritudines morbiq;, & item mala tum animi, tum corporis indicentur, cum homo ipse mortalis sit genitus: huiusmodi sextus est atque duodecimus locus propter situs ipsius malitiam, auersamq; naturam. nihilominus possunt ab hoc ipso etiam loco bona etiam felicitatesq; manare, quoties de medio cœlo benigna stella collocatã in eo stellam triangulari radiatione respexerit. Ad hæc quoniam in orbe ipso nihil est superuacaneum, & qui locus ab uno aliquo disiungitur, alij atq; alij loco familiariter cõiungitur. Cumq; sextus hic secundum locum, qui est alimentorum, reiq; familiaris, beneuola societate complectatur, triangulariq; inuicem se foueant atq; intueantur aspectu, seruos utiq; nobis, seruiliaq; animalia denuntiat: sunt enim hæc omnia rei domesticæ adminicula: ut etsi seruus atq; herus sibi inuicem aduersari propter dominatum ac seruitutem uidentur, tamen cũ res familiaris abs q; ministris familiaribusq; administrari nequeat, hoc quoq; è loco præsidia domesticis rebus, familiariq; alimoniæ innuũtur. In hac igitur genitalis figuræ constitutione uidere licet quàm loca hæc omnia sibi quadrent, de fratrum, patrum, filiorum, itemq; seruorum societate. Cum autem ad cõstituendam rem familiarem desit uxor, sequitur septi

mus locus à quo nobis ea indicatur, opponitur autem locus hic horoscopo cumq; alter feratur sursum, atq; impellat, alter declinet atq; deijciatur, qui motus contrarias habent qualitates, aliter enim agit, patitur uero aliter, iure suo ab hoc loco uxor portenditur: siquidem uir agit, uxor patitur: hæc paret, ille imperat. Ad hæc cũ uterq; angulus sit in figura primarius, uterque etiã uir & uxor rem familiarem simul administrant, domesticamq; supellectilem: ille tamen ut primaria ui, actiuaq;, ut ita dixerim, autoritate præditus, hæc ut secundam quandam prærogatiuam in uiri sui domo retinens. Nec uero mirũ est in re sua communi & familiari inter uirũ atq; uxorem lites plurimas excitari, quando hæc ipsa locorum, atq; angulorũ inter se connexio aduerso conciliatur aspectu. Nam etsi naturalis est ipsa maris fœminæq; copulatio, nec genitalis uis ius suum exercere absq; agente ac patiente ualet, atq; hæc quidẽ coniunctio ab ipsa existit natura: actio tamẽ & passio naturaliter sibi inuicem aduersantur, seseq; aduersis etiam frontibus impugnant. Quocirca ab hoc ipso etiam loco contentiones portenduntur, atq; simultates, damnaq; ex ijs prouenientia: agnominatus tamen est à nuptijs ac re uxoria propter domesticam constitutionem. Octauum ab horoscopo locum inuenio de maioribus nostris à morte cognominatũ, & quidẽ iure, quando nulla cum horoscopo familiaritate coniungitur, nullis illũ radiationibus illustrat, nec illustratur ab eo, quinimò locis maxime nocentibus cõnectitur, triangulo quidem duodecimo loco, de quo pòst dicemus, sex angulo uero ægritudinis ac morborum, quem locum sextum esse diximus. Ad hæc cum locus hic succedat septimo, id est occasui, qui Solẽ ac diem sub terras præcipitat, qua è præcipitatione nox tenebrarum mater subsequitur, nec alia ratione mors uitæ, cuius ipsa priuatio est, succedat, appositissime quidem locus hic agnominatus est mortis. Atq; ut secundus locus huic ipsi sanè aduersus nati hominis substantiam, è qua uitam ducturus est, indicat, sic è contrario internitionem, corporisq; ipsius ac uitæ labem octauus hic portendit. Quocirca à bonis autoribus habitus est non modo piger ac deiectus locus, uerumetiam innatam ob malignitatem nocuus. Nihilominus quoniam angulo succedit occiduo, Luna nocturnis in genituris hoc in loco bene collocata, felicitatem decernit: quod ipse sæpius obseruaui, & à Iulio Materno non temere traditũ est. Ex hoc ipso loco non solũ mortis genus portenditur, siquidẽ de triangulo imũ cardinẽ, id est quartum locum respicit, quem nati in tenebras ac sub terras abitionem indicare paulò ante diximus, uerumetiã hæreditates, quæq; ad mortuorũ censum, occultasq; etiã facultates ac thesauros pertinent, indicantur. Qui locus non us est: huic de religione nomẽ est inditũ, nec iniuria, cum enim in hemisphærio superiori iungatur ascendenti dextro à latere, aspectuq; maxime familiari, & ascen-

dens

dens locus, ut dictum est, corporis temperationem, corporeæq; conglutinationis accidentia significet, uitæq; ipsius qualitatem, hic ipse locus non immerito nati aptitudinẽ, propensionemq;, & (ut ita dixerim) applicationem ad religionẽ indicat, pro qualitate quidem signi, itemq; signi ipsius domini, eiusdẽq; domini constitutione in figura. Cum autem prima quidem uirtus religio sit, quoddamq; quasi fundamentũ ad bonos mores, rectamq; animi institutionem, aspectus hic superiori è semicirculo & benignus & felix, quid benignius, quid felicius portendere nascenti potest, quàm ut ad religionem, quæ uirtutum mater est, à genitali eum principio ducat, & tanquam manu prehensum aris admoueat? Vt enim agricola in solo bene subacto semen iacit, talesq; postea fruges proueniunt, qualis natura fuit seminis, eadem uia in compage glutinanda corporis, loca ipsa, locorumq; domini, ipsorumq; dominorum constitutiones atque aspectus pro natura sua semen quasi quoddam ad uirtutem, seu ad uitium natis indunt, & quodammodo fermentant: quo è semine prognata germina in informandis animis, moribusq; constituendis fruges ipsas pro natura sua uel ad probitatem uel ad improbitatem, ad rectum uel ad prauum proferunt, præsertim ubi ad temperaturam bene seu male procreationis initio conglutinatam, proba improbáue institutio pòst accesserit. Nam & institutio in utranq; partem non exiguum confert. Meritò igitur locus hic pium ac uenerabile sibi religionis nomen uendicauit. Et profecto si substantiæ, si fratrum, si parentum, liberorum, ægritudinis, uxoris locus, ac rerum harum cuique suus in cœlo est attributus, cur non fidei, religioni, pietati, rectæq; animorum informationi, quæ hominem ipsum maxime spectatum efficiunt, locus etiam attribuatur suus? Accommmodatior autem quàm nonus attribui poterat nullus, tum propter triangularem situm ad horoscopantem partem, tum propter hemisphærij superioris dignitatem ac meritum: cum etiam locus ipse nonus Soli sit adiudicatus, qui religionis autor est & parens, atq; ab insita benignitate Deus cognomentum acceperit, eam ob rationem, quam tertio in loco attulimus. Habet etiam significationem sectarum, nec mirum, quando sectæ ipsæ religione comprehenduntur: item diuinationis, somniorũq;, habet & peregrinationis, legationisq;: quippe cum à puncto medij cœli hæc ipsa cœli pars digrediens, aliò proficiscatur atq; contendat, ab exortu enim profecta ad medium, atq; ab eo digrediens, uertit se in occasum. Huic locus honorum ac magistratuum meritò adiungitur, atq; ordine quidem suo, qui decimus est, atq; in summa cœli parte constitutus. Perinde nanq; ut honor inter mortales ac ciues ipsos maximũ quoddã habetur bonũ, quod etiam primũ inter homines existimatur, locus hic ipse decimus in altißima mundi parte, ueluti editißimo in solio constituitur. Cũ enim homo natura

sit sociabilis, primum natura ipsa duce societates colit, ac cœtus amat, qui è ciuibus constant: deinde cum sit etiam honoris appetens, inter ciues ipsos excellere nititur, quo fit, ut honoris, ut gloriæ euadat quam appetētissimus: certando enim animus magis ac magis efferuescit. Atq; ut numerus ipse decimus alios complectitur numeros, estq; cæterorum terminus quasi quidã, sic ciuilium bonorum primarius finis est honor & gloria. An non magistratus etiam ipsos, quiq; magistratibus præsunt, ut in populo eminentissimos, in edito atq; illustri sedere loco, nedum in urbibus, in quibus locũ habet humanitas, honoris q; delectus, sed etiam apud barbaras nationes cautũ & constitutum est? quorum maiestate nihil est apud gentes ipsas antiquius. Neq; indigne igitur, neq; irrationabiliter à decimo loco mediiq; cœli cardine magistratus atq; honores quæruntur. Quin merito etiam suo, ei bono quod maxime inter ciues expetitur, locus is in cœlo dedicatus est, qui honorum ipsorum denunciationem præ se ferat. Ad hæc idem hic locus & patriam, & actiones, artis quoq; ac uitæ genus, quimetiam animi propensiones, studiaq;, uirtutes item ac uitia indicat: tanta uis, autoritasq; propter cardinis maiestatem ei est insita. Vndecimo loco addicti sunt amici, consiliarij, suffragatores: assistit enim decimo, perinde ut consiliarij assistunt magistratibus ac principibus. Etenim ut ipsa sine amicis uita, sic magistratus absq; consiliarijs, principes ciuitatum sine asseclis ac clientibus, reges ipsi denique sine ministris tueri honores, magistratusq; ipsos gerere, ac subiectos moderari populos nequeunt. Suffragatur autem locus hic ascendenti tum è parte cœli ad culmen progrediente, tum aspectu sexangulo & amico, quando sine amicitia uita humana manca est ac destituta. A fauore igitur, à spe, à fide ac benignitate locus ipse latine bonus Genius, Græce ἀγαθὸς δαίμων cognominatus est, ac Iouis stellæ, quæ maxime benefica est, additus. Secus autem usuuenit in loco duodecimo: siquidē nullo aspectu ascendenti coniungitur, quin ab eo deficit, tanquam qui desciscat. Quocirca mœrorum, tristitiæ, ærumnæ, inimicitiarumq; cognomento nobilitatus est, insitamq; ob malignitatem ac nocendi potestatem, mali Dæmonis titulo notatus est, cum etiam morborum indicationem habeat, seruilisq; substantiæ, easq; ob res Saturni stellæ sit addictus, cuius qualitas est malefica. Hunc igitur in modum omnis duodecim locorum significri figura constitutioq; distribuitur, ut uix aliquid in uita boni aut mali, honoris aut opprobrij, uitij aut uirtutis, ualetudinis secundæ aut aduersæ nascenti sit euenturum, quod non ijs è locis, eorumq; statu ac dominorum situ constitutioneq; portendatur. Etenim loca ipsa licet illarum potissimũ rerum significationem habeant, quibus à rebus cognominata sunt, à singulis tamen locis aliæ atq; aliæ res, negotiaq; & indicantur & quæruntur. Quod etiam in magistratibus

tibus usuuenit: quippe cũ una tantũ è re nomẽ adepti sint, ijdem tamen cum pluribus negotijs & præsint, & prospiciant. Initio nanq; consules quod rei publicæ domi consulerent dicti sunt, ijdem tamen foris bellum gerebãt, & cum imperio prouincias administrabant, decq; recto & prauo, iusto atque iniusto iudicium ferebant. Eadem ratio Aedilium, Prætorum, Censorum, Dictatorum. Grammatici quoq; ipsi nominantur à literis, quæ Græce sunt γράμματα, Latine literatores dicti: non modo autem de literis & syllabis & dictionibus cognoscendis horum studium est, uerum & Poëtas interpretantur, & historias noscitant, decq; moribus adolescentulorum uitaq; instituenda præcepta tradunt. A singulis igitur locis pro qualitate rerum locorumq; plura ac diuersa inter inuestigandum, scisciteandumq; & exiguntur & denunciantur, quemadmodum suo tempore de singulis dicetur: ut nihil ferè maiusculum in uita sua nascenti contingat, cuius non ex ijs locis indicium sumi queat. Ac de duodecim locorum constitutione, ordine ac nominibus satis sit hæc nunc attigisse.

Nec uero reticenda sunt à nobis, quanquam scribendis his minime aut ambitiosis, aut superstitiosis, quæ de duodecim locis, atq; eorum siue dominis, siue patronis tradita sunt à Chaldæis Babylonijsq; autoribus: quæ quidem sic referentur, ut ne tanquam artis præcepta, institutaq; disciplinæ, & ut sic dixerim, postulata aut uideri, aut teneri ea uelimus, cum tamen probabilia appareant. Aiunt itaq; Saturni stellam & tenebrosam esse, & erraticarum omnium supremam ac primam. Quodq; infans è tenebris in lucem ueniat, ac primus Signiferi locus, hoc est prima è duodecim domus inferiori ab hemisphærio, æque ac è tenebris in lucem prodeat, nascente aliquo idcirco primum locum, ac domum primã Saturno dedicarunt: eò etiam libentius, quod ijdem ipsi autores sunt, Saturni sub dominatu esse, quàm diu matris in utero fœtus fuerit. Hac eadem ratione adducti, primum mensem generati in utero fœtus Saturno etiam ascripserunt: secundum autem & mensem & locum Ioui, quod secundo scilicet post Saturnum orbe feratur Iupiter, quodq; fœtus ipse post conceptionẽ alendo & perficitur & conseruatur, ortũq; infantis educatio confestim sequitur, onus educationis ipsius (quod ordo sic ferret sphæræ) Ioui in sortem ac patrocinium cessit. Qua è re & domus hæc, quæ census ac substantiæ dicitur, unde uitæ alimenta subministrantur, & educatio infantis, Ioui est attributa. Tertius ordine suo & mensis & conceptus, & signiferi locus ascriptus est Marti. Quocirca locus is quoniam propter generis propinquiorem agnominationem, sanguinisq; societatem appellatus est à fratribus, & fratrum & sororum significatio dedicata est Marti, sunt enim fratres post primum partũ à patre ipso tertij. Quartus mensis, itemq; signiferi quartus locus Soli ex ordine dedi-

catur, & quia locus is denominatus est à patribus, patrũ quoq; significatio in genituris Soli est adiudicata, habetq; Sol in genituris patris ipsius indicium, est enim formæ dator, quod patris quidẽ officiũ est in creanda prole. Et mensis & locus qui sequitur numero quintus, Veneri est attributus, quod quinto septem inter erraticas orbe fertur, quodq; hic ipse locus filiorum est ac prolis, congruitq; Veneris naturæ omni è parte, quippe quæ & genitalis est, & uoluptatis ac delitiarum dea. Mercurius quod sextũ à Saturno inter planetas orbẽ obtineat, sexti & mensis & loci patrocinium suscepit. Quodq; locus ipse nomen habet ab ægritudinibus ac mancipijs, munus quoq; rerum harũ significandarũ sibi assumpsit, quando motus eius Soli maxime addictus est, solaribus penè radijs semper oppressus, nec sui iuris, permultumq; repedando laborans, & tanquam languens ob assiduas uersationes. Luna uero quod sit in ordine hoc septima, locũ ei septimũ adiudicarunt. Quodq; Martis munus in generatione, ut patris Sol obeat, locum eum qui uxorũ esset, quod matres eæ ex connubio fiant, Lunæ dedicauere, cum septimo quoq; mense. Atq; inde fieri uolunt, ut septimo qui nascantur mense uiuant. Præstat aũt ut Sol patris uice formam, sic Luna in generando materiam. Octauus autem & mensis & locus in signifero redit suo ad Saturnum ordine, & quia mortis agnominatur locus, & quod Saturni stella exitialis est. Itaque dedicatio ipsa & loco congruit, & numini, quemadmodum rursus noni loci dedicatio Ioui. Nam & locus à religione nomen accepit, & Iupiter pietatis, fidei, cultus, rectitudinis, æquitatis, ueritatis q; est autor, & uitæ propter salutarem uim ei insitam conseruator. Et quia nono partus mense perficitur, Iouis est muneris hæc ipsa perfectio, propter stellæ temperamentũ. Et profecto si Zodiacus orbis generationi rerum locũ exhibet, si Sol qui mediũ illũ secat, ijs quæ nascuntur formã quidem, at materiã subministrat Luna, si reliquæ numero quidem quinque adminiculantur utriq;, an tibi uideantur quæ relata sunt à nobis, quæq; fundamenta quasi quædam iacta fuere priscis ab autoribus, ratione carere? & tanquam parum firma debere contemni? quibus obseruatio etiã astipuletur, ac rerum ipsarum euenta consentiant.

De locis peculiaribus planetarum. Cap. V.

PRimæ autẽ ad significandum partes sunt cardinũ, id est angulorum: hoc aũt loco cardines intellegi uolumus, non quatuor illas ternorum signorum comprehensiones, de quibus haud multò ante disputatum est, sed quatuor illas angulares cœli partis, Græco uerbo κεντρικὰς, & penè dixerim nostro Cuspides, in quibus erraticæ stellæ constitutæ ualentissimas ad agendũ uires nanciscuntur:

Perinde

Perinde ut principes, ut reges in solio constituti autoritatis plus obtinent ac uirium, & si cum principes, tum reges in sua quisq; ditione tum arces quasdã, tũ oppida peculiaria magis habent, in quibus & amplius delectantur, & iura sua libentius exercent. Quo fit, ut in hac ipsa duodecim locorum constitutione ob alias quàm quas diximus causas, Sol sibi nonum, Luna octauum peculiariter uendicauerit locum, Iupiter undecimum, Venus quintum, Mars sextum, Saturnus duodecimum. Quod cur ita comparatũ sit, ratio prætereunda non est. Primus igitur maximeq; propitius cœli ad ascendentem partem aspectus nono est à loco. Quocirca cum ascendens pars nati uitam, animatiq; compagem corporis sibi uendicet, sitq; Sol spiritus ac uitalitatis, ut ita dixerim, autor, idemq; pater, habeatq; inter planetas id iuris, quod inter corporis membra cor ipsum habere traditur, iure uitalitatis autori atq; cõseruatori locus est maxime beneficus attributus, in eoq; potissimum lætari atq; exultare creditus est, cum etiam Sol ipse sit lucis ac diei autor, perq; eum locum de die duntaxat feratur. Neq; enim locus subterraneus Soli erat dedicandus, cum luci tenebræ aduersentur. Iupiter etiam, cum sit stella eius maxime salutaris, ac luce gaudeat, sequaturq; diurnam Solis conditionem, undecimum sibi locum desumpsit, quo è loco felicibus radijs ascendentem partem & illustret & foueat. Nam cum uita è calido & humido potissimum constet, cui quidem qualitati Iupiter præsidet, mirificum irradiatione sua corporibus affert præsidium. Felix igitur stella felicẽ sibi locũ in quo gauisura peculiari quadã hilaritate esset, sibi uendicauit, quo è loco & ascendentẽ intuetur partem, & ad cœli mediũ progressura loco sibi tantopere accommodato magis ac magis lætatur. At Venus utpote nocturna propter qualitatem cui dominatur, itemq; ut salutaris & benefica, quintũ sibi delegit locum, quo è loco maxime benenuolo aspectu ascendẽtem intueretur cœli partem: appositissime hoc quidẽ, nam & de triangulo aspicit, id est benefico è loco, cum sit ipsa benefica, & cum propter humectationem nocte gaudeat, locus ipse quintus ut subterraneus, naturam Veneris mirum in modum adiuuat. Adde quod genitalis cum sit, sobolis etiam locum sibi delegit, ut merito etiam suo gratum. Quando Iupiter quod lætarctur maxime actionibus, locum etiam actionibus appositũ sibi desumpsit. Maleficæ uero stellæ propter maleficentiæ similitudinẽ, & ut ita dixerim, societatẽ, loca nocentia, exitiosaq;, in quibus maleficiendo, & quorũ auxilijs nisæ lætarentur, sibi delegerunt, Saturnus quidẽ cũ sit diurnæ conditionis duodectmum, Mars uero sextũ, nocturnus enim quod esset, in locũ subterraneum conceßit. Cumq; Saturnus tristitiã, mœrores & carcerem inferat mortalibus, locũ his inferẽdis accõmodatũ sibi maluit: at Mars ut qui esset ægritudinum autor, locum ægritudinibus

ac morbis maxime idoneum. Neuter autem locus ascendentem ullo modo aspicit, sed ac si odio illum habeat, auersatur. Itaq; hic ille tanquam carceris ipsius custos ad fores excubat, gaudioq; ibi exilit: hic uero quasi quodã ex ergastulo seruos inde, id est morbos uitiaq; ad infestandos mortales emittit. Locus autem Mercurij in hac ipsa distributione non temere præteritus est ab antiquis autoribus: naturæ nanq; tam uersatilis cum esset, ut ad beneficium maleficiumq; facile conuertatur, nullus eiusmodi locus uisus est Mercurij naturæ idoneus. Etenim loca, de quibus dictum est, suapte positura ac situ aut aduersantur ascendenti, aut illud amice aspiciunt, aut etiam cum illo nulla prorsus societate iunguntur, neq; unquam situs ipsius qualitatem mutant. Quocirca recte in hac ipsa locorum distributione præteritus est Mercurius. Recte etiam Lunæ, quæ Solẽ non secus quàm in distribuendis domicilijs in huiusmodi quoq; locis partiendis comitatur, octauus attributus est locus: ut enim Cancer antecedit Leonem, sic locus octauus nonum. Ad hæc cum Luna sit corporũ ipsorum parens ac nutricula, materiæ enim præest, in hemisphærio superiori locus ei deligendus fuit, ne à Solis loco uiciniaq; recederet, cuius desiderio fomentisq; teneatur, perinde ut formæ cupiditate materia. Lætatur autem eo loco Luna, ibidemq; constituta gaudio exilit, nocturno scilicet tempore propter conditionis similitudinem. Nam & Iouem nocturno tempore, simile est ueri, in undecimo, quanquam suus est ipsius locus, propter conditionis dissimilitudinem non adeò exultare. Genialis igitur Lunæ locus est octauus, in quo noctis tempore Luna ipsa inuenta ad felicitatem plurimum confert, fota conditionis suæ beneficio: quippe cum diurno quidem tempore non tam delectetur loci ipsius situ, quàm diurna, sibiq; aduersante qualitate offendatur. Nullus autem cardo è quatuor angularibus cœli locis planetæ cuiquam peculiariter est attributus, quod uidelicet quocunq; in angulo planeta quiuis inuentus uires amplissimas ad agendum mutuatur, à loci ipsius potestate atq; excellentia. Nihilominus quidam ascendentem locum Mercurio ascripsere, quod eius stella hoc in loco potissimum exultaret: cum enim rationi præsit, uoluerũt hoc eum loco delectari, cuius esset significatio ac potestas in corporis animæq; compage. Cũq; eadẽ stella motu cũ primis gaudeat, lætari horoscopo, unde natus ex utero prodiens in lucẽ, atq; ad actiones ueniret, putauere. Hac eadem ratione adducti uoluere Lunam tertio loco gaudere, quod is locus peregrinationis significationem haberet, cuius est proprium mutare locos deq; regione in regionem proficisci. Idq; ratione non caret, nam & ascendentem locum aspicit è sexangulo, & cum sit nocturnum luminare, ac fœmineum, de inferiori hemisphærio intuetur horoscopum, perinde ac Sol, cum sit diurnum ac masculum de triangulo hemisphærioq; superiori. Quando quidem

quidem utrunq; luminare corpori ac uitæ præest. De Mercurio autem à Iulio Materno uideo hæc tradi, cæteras omnis stellas duodecimo in loco uires suas quadam cum pigritia exercere, solum autem Mercurium illic positum ingeniorum præstantiæ plurimum conferre, tum ad disciplinas ediscendas, tum ad forenses defensiones, causarumq; patrocinia magno cum successu tractanda. Nec sine causa prudentißimos scriptores hunc ipsum locũ notasse, tempusq; partitudinis cũ ipsa parturiente ibidẽ collocasse. Quocirca mihi neq; ascendens locus Mercurij gaudio ascribendus uidetur, nec Lunæ omnino tertius. Etenim primi illi rerum cœlestium exploratores in hac distributione conditionem diei noctisq; secuti sunt, ac diurnæ Solem, nocturnæ Lunam præfecere, & Soli quidem Iouem ac Saturnum socios addidere, Lunæ Venerem ac Martem, beneficas ac maleficas stellas partiti pro diurna nocturnaq; conditione, de qua statim dicemus. Mercurium uero præterierunt in hac distributione, cum sit eius natura tantopere uersatilis. Loca quoq; felicia in hemisphærio superiori attribuerunt Soli nonum, tanquam principi: Ioui undecimum, ut benefico, cum inde ascendens intueatur de sexangulo: Saturno autem duodecimum, cum is locus Saturni naturam sequatur ad diuersa maleficiorum genera. In hemisphærio autem inferiori quintum Veneri, ut beneficum locum beneficæ ac nocturnæ stellæ: sextum Marti, ut locum ei accommodatum ad maleficiendum, pro malefica ipsius irradiatione, lociq; natura. In qua distributione, ut dixi, Mercurius quoq; præteritus est. Quocirca qui recentiores scriptores ascendentem Mercurio locum attribuerunt, uidentur mihi maiorum instituta, consiliaq; parum considerasse, cum stella eius nec beneficis nec maleficis sit stellis annumerata, præterq; Solem & Lunam nulla sint alia luminaria, quæ dici noctiq; dominentur. Quod uero tertiam ad domum attinet, sicuti nonus locus maxime propitius ascendẽti in hemisphærio superiori datus est Soli, ut diurnæ conditionis principi, ita dandus erat quintus maxime propitius ascendenti in hemisphærio inferiori Lunæ, nocturnæ conditionis dominæ, tertius uero locus Veneri, stellæ salutari, quemadmodum Ioui undecimus. Quæ res indicat octauum Lunæ locum à priscis illis fuisse attributum, ne gaudij atque exultationis Lunaris locus distungeretur à Solari loco, perinde ut neq; altitudines neq; domicilia inuicem distinguntur. Sed sit suum cuiusq; hac de re iudicium, quando hæc neq; tanti facienda ducimus, ut propterea digladiandum uideatur. Neq; fortasse à mediocritate ipsa recesserit, siquis nocturnis in genituris octauum Lunæ locum, tertium in diurnis eidem ascripserit: tametsi ambitiosior fortasse ascriptio hæc, locorumq; partitio uideri potest. Ad hæc cum Luna matrem portendat in genituris, nescio qua ratione locus tertius ut peculiaris ac uoluptarius asscribi Lunæ debeat, cum

in eo constituta loco matrem aut ignobilem aut infamem significet, nihil de nic; boni hoc è loco suapte natura promittat. Ac de locis ipsis quibus tum felices, tum infelices stellæ, luminariaq; item ipsa gaudeant, hac in parte satis sit pauca hæc explicasse.

De conditione stellarum diurna seu nocturna. Cap. VI.

QVm autem tempus ipsum sit quædam quasi motus obseruatio diebusq; ac noctibus potissimum constet, omniaq; quæ ad generationem ac corruptionem spectent, suo fiant in tempore, stellæ quoq; erraticæ pro natura sua aliæ diurno tempore, nocturno aliæ magis delectantur. Quo fit, ut earum actiones in elementis rebusq; mortalium uehementiores cõtingant, ubi cũ tempore tẽporisq; qualitate congruerint: hæc autẽ ipsa cõuenientia, & quidã quasi consensus qualitatum, Conditio à maioribus nostris dicta est, Græce est ἀιρεσις. Itaque diurnis in genituris planeta diurnus bene collocatus plurimum quidem ratione conditionis uiribus suis adiungit. Sunt autem diurni planetæ, uidelicet qui Solis naturam sequuntur, Iupiter ac Saturnus, alter beneficus & salutaris, alter malignus atq; calamitosus planeta: nocturni uero Mars ac Venus, Lunæ enim qualitate delectantur, alter quidem maleficus, salutaris altera. Iupiter igitur, quod calidæ humescentis q; temperationis est dominus, quæ natura generationi maxime accommodatur, adhæc quod calidum ubi ab humido superatur, fit ad generandum remissius, uis enim ipsa genitalis à calore mouetur, idcirco die lætatur, quandoquidẽ inducẽdæ formæ studiosior est, noctem uero propter humidi exuperantiam reformidat, quocirca uires eius die maiores sunt ac uehementiores, noctu minores ac remissiores, propter caloris ipsius remissionem, humidiq; excessum. Saturnus autẽ propter insitam frigiditatem, quæ natura senum est, à calore Solis reuocillatus uires ad agendum potentiores suscipit, adaucta etiam siccitate, quæ ipsius est propria: cum utrunque etiam Solis sit & calefacere, & exiccare. Quinetiam aduersantis conditionis tanta uis est, ut sæpenumero stellæ ex hac ipsa dissimilitudine parum conuenientes sibi qualitates induant, & tanquam indignatæ contrarios etiam effectus inducant. Quod in hominibus ipsis etiam bene institutis usuuenit, ut cum secus quàm sua ipsorum institutio fert, aliquid moribus eorum aduersum tentetur, indigne id ferentes, ab insito naturaliq; ingenio nõ modo lõgius recedant, uerumetiã ad ea transeant, quæ ingenio aduersentur atq; institutioni, indignitate rei commoti. Illud autem mirum, quod naturæ feruentioris cum sit Mars, nocturna tamen humectatione capiatur. An fortasse quod calor ille diurno etiam calore magis ac magis incensus, & penè euandus factus dissipatur & effluit, nocturno uero

no uero frigore humectoq; in sese repressus, & tanquam intra uallum munitior factus uires suas in imũ colligit, & magis ac magis inualescit. Nam & fabri ferrarij ne ignis uis illa per flammas exhalata dispergatur, incensos carbones guttis frequentioribus sæpiusculeq; inspergũt, qua ex inspersione ignis ipse in sese collectus uires spiritusq; uehementiores assumit. Irati etiam dum nimio plus excandescunt, debilitãtur ita uiribus, ut in pedibus uix consistant. Ignis enim propter leuitatem ac siccitatem facile in aperto dissipatur, inclusus uero feruentior efficitur, sæuusq; exæstuat. Veneris autem stella cum sit genitalis, suapte natura humecta est, quocirca noctis umbra gaudet, recreaturq; similitudine, quod in amicitijs quoq; contingit, siquidẽ amici ipsi morum capiuntur similitudine. Quinetiam hac in stella illud idẽ usuuenit, quanquam disparili qualitate, quod in Ioue: ille enim reformidat, ne calor insitus nocturna uictus humectatione succumbat, hæc ne humecta uis diurno à calore superata relanguescat, cum sit ipsa per se apparãdæ materiæ appetentior. De Mercurij uero cõmuni uersatiliq; natura paulò ante dictum est. Ptolemæus autem putat Mercurium sequi diurnam conditionem, ubi matutinus fuerit, uespertinum uero atq; hesperium nocturnam. Quod ratione nõ caret, si quidem matutina regio propter accedentem atque insequentem solem incalescit, redditurq; aridior, quæ diei qualitates sunt, cõtrà uespertina propter Solis recessum efficitur frigidior atq; humectior, quod noctis est propriũ. Quod si præstare hoc regiones possunt, ut Ptolemæus uidetur existimare, propter qualitatũ similitudinem, nihil causæ uideo, cur non tempora ipsa, hoc est dies ac nox potius præsent, ut die diurnus, noctu uero Mercurius sit nocturnus: quorum profecto temporum hæ ipsæ qualitates sociæ sunt ac ministræ. An fortasse Ptolemæus, prisciq; Astrologi Soli hoc ascribere uoluerunt? ut cum Mercurius nunquam signo uno, eoq; non integro longius ab illo recedat, diurnam quidẽ conditionem assumeret, ubi ante Solem proficisceretur, contrà nocturnam, ubi illum insequeretur, uesperiq; post eũ occideret. Siquidẽ Iulius Maternus in illa mundi genitura quæ ab ipso traditur, dicit Mercurij stellam cõmunem fuisse habitam ab Aesculapio atq; Anubi, eorumq; sectatoribus, quod neq; Solem neq; Lunã de quadrangulo, triangulóue, aut ex opposito loco intueretur, delectari tamẽ de die, ubi matutinus fuerit, Sole, de nocte aũt Luna, ubi fuerit uespertinus, quod ille diurnæ, hæc nocturnæ cõditioni præsideat. Huius aũt tẽporalis cõditionis domini sunt Sol & Luna, & Sol quidẽ diurnæ, nocturnæ uero Luna. Cũq; uterq; generationi præsit, alteraq; mater iã præstet, uitã alter inducat, reliqui planetæ pro naturæ similitudine utriq; auxiliãtur, nũc ualidius, nũc remissius, qualitatẽ cõditionis secuti. Cui opinioni tot annorum ac seculorũ obseruatio astipulata est, doctissimorũq; hominũ

cõsenſio. Nec uero, quod ante à nobis abũde dictũ eſt, huiuſmodi qualitates corporibus ſtellarũ inſunt, ut ipſæ quoq; perinde ac elementa, corporũq; noſtrorum humores mutentur, quippe quæ agant, uiresq; ſuas exerceant in qualitatibus, quibus ex actionibus tales eas eſſe dicimus, qualis in elementis corporibusq; mſerioribus qualitates excitant. id quod generationis atq; corruptionis gratia maxime neceſſarium eſt. Neq; enim natura ipſa hac quoq; in parte receſſit ab artificio ſuo. Etenim cuiq; ferè rei propria ac peculiaria quædã ſorte ſua inſunt: idq; quanquã oculis minus cernitur, ipſæ tamen effectiones indicio nobis ſunt, quæ quidem maiores, minoresue exiſtunt, perinde ut alia quoq; adiumenta illis acceſſerint.

Mutari qualitates planetarum pro cœli regione. Cap. VII.

RVrſus item, occaſusq;, & ipſæ à media linea declinationes in auſtrum ſeptentrionemq;, à quibus diuerſarum quoq; qualitatum uentos flare iam diximus, nunc quidem augent ſtellarũ ipſarum qualitates ac uires, contrà nunc imminuunt. Etenim Saturnus in parte quæ eſt ad orientem de die conſtitutus propter calorem ſiccitatemq; regionis, inde nanq; dies exoritur, non parum hinc ſibi uirium adiungit, hoc eſt radijs eius uis inſita. Secus autem in regione, quæ eſt ad occaſum propter frigiditatem humectationemq; regionis, è qua nox ſurgit, quando humidum frigidumq; ob Solis diſceſſum unà increſcit, uiribus eius permultum detrahitur. Quod à ſolerti Mathematico in conciliandis ſtellarum effectionibus non minus quàm à medico in miſcendis potionibus remedijsq; adhibendis obſeruandum uidetur. Neq; enim tot ac tam inconſtantes rerum, morum, cuentorum, temporum diuerſitates contingerent, niſi ob tantam immutationem ac diuerſitatem qualitatum, motus, ſitus, aſpectus, configurationisq; cœleſtis: ut nulla meo quidem iudicio in cognoſcendis aut explicandis ſtellarum ſignificationibus maior exiſtat difficultas, neque ubi ſolertius adhibendum ſit ſtudium, quàm in illis perſpecte temperanterq; commiſcendis.

De erraticarum qualitatibus. Cap. VIII.

QVoniam autẽ dum de Zodiaci conſtitutione differimus, paulatim ſermo noſter ad erraticas peruenit, non inconuenienter deinceps de ipſis quoq; erraticis, idq; aliquanto diffuſius diſſerendum uidetur, quarum effectiones in elementis tam ſint, elementaribusq; corporibus manifeſtæ, ut ne nubecularũ quidem commotiones in aẽre præterquàm illis excitantibus fieri omnino cõtingat. Cõſtant

stant autem, ut ueri est simile, atq; ut Physici arbitrantur, stellarum ipsarum corpora ex concretiore orbium suorum parte, qui nec elementa quidem ipsi sunt, nec elementare quicquam continent, non calidum, non frigidum, non siccum, non humidum, sed alia quædam illarum siue natura, siue, ut hodie dicunt, essentia est. Nec cum dicimus stellas quædam esse corpora, perinde ut de elementaribus corporibus intellegi uolumus: siquidem appellamus eas corpora, quod dimensionem recipiant, quod suis circũ terminis scribantur, sed nec mutantur, ut nostra corpora, nec corrumpuntur, ut inferiora hæc, aut in alias ex alijs qualitatibus ac naturis transeunt, cœlestia sunt, atq; ut cœlum ipsum, cunctaq; cœlestia omnis prorsus corporeæ commutationis, elemẽtarisq; alternationis expertia: mouentur assidue, sed nec tamen ut inferiora corpora, aut perinde ut elementa ipsa, ex quibus constamus, uerum eo motu, qui cœli, cœlestiumq; corporum suus ac proprius est, rerumq; immortalium peculiaris. Quocirca nec Solis corpus calidum est, tametsi qualitas hæc ad inducendam formã est aptissima, nec Lunæ humidum, quæ natura est ad suscipiendam formam maxime idonea, nec cæterarum erraticarũ aut frigida aut sicca sunt corpora, aut alia atq; alia qualitate prædita, uerum sua quadam ratione dicuntur aut calida aut frigida, humida aut arescentia, uidelicet quod in elementis ipsis, elementaribusq; corporibus eiusmodi qualitates moueant, atq; alternis agant, non eadem tamẽ ratione & uia, sed quod unaquæq; stella pro insita moueat, excitet, afficiat. Sarnensibus in fontibus, quæ decidunt ac subsidunt frondes, ramuliq; lapides cunt certo quodam tempore: & quanquam alij etiam fontes, riuiq; illos aut superant aquarum cruditate, aut æquant, hoc tamen ipsum non præstant, adeò in rebus ipsis naturalis quædam uis est insita, qua multa quidem efficiantur. Quod si elementaribus ac passiuis in corporibus tanta inest uis, quid mirum in actiuis illis ac cœlestibus semperq; consistentibis inesse uim propriam & peculiarem ciendas ad qualitates, easq; motu atque irradiatione sua alternandas? Vt enim passiua hæc sunt ad patiendum nata, sic ad agendum illa, unde ab innata ad agendũ ui, atq; ab effectionibus sempiternis agnominata sunt actiua. Quocirca nõ quod qualitatibus eiusmodi prædita sint, id agunt, uerum quod à natura sic illis inest, atq; attributũ est. Vtq; ad rem ipsam propius accedamus, ferrũ ipsum frigidum est admodũ, à Sole tamen diutius percussum concalescit adeò, ut admota propius fomenta incendat, quod in speculis æneis liquido cernimus. Ergo & Lunæ corpus, quod frigidæ compactionis esse uolunt, à Sole percussum incandescat necesse est. A qua etiam igni admota feruescit. Igitur & Luna cum sit maxime humida, Solis tamen radijs percussa, eadem ratione ut efferuescat oportet: qua è re fit, ut Lunæ corpus crescendo magis ac magis ferueat. Nõ erit

igitur minus calida, quàm aut humida, aut frigida, præsertim cum Ptolemæus putet ab euolantibus è terra uaporibus hoc ei cõtingere, quod falsum esse supra ostẽsum est. Quin Lunam ipsam, cum plena est, tunc uel maxime calescere dicendũ esset. Quã ob rem Lunæ corpus nec frigidũ, nec humectũ putandũ est, siquidem affectiones eæ mortalibus, nõ cœlestibus contingunt corporibus, uerum ab insita ui frigido atq; humido dominari, quo rerum inferiorum generatio sequatur atq; alternatio, ac pro calore quem à Solis irradiatione radij eius concipiunt, nunc magis, nunc minus hoc ipsum præstare atq; efficere. Id quod de cæteris etiam erraticis dicendum est pro sua cuiusq; peculiari ad agendum natura, aliter enim rerum generationi pessime consultum esset. Etenim terræ corpus unum cum sit, regiones tamen eius nõ uno modo affectæ sunt, cũ alibi humor, alibi siccitas regnet, hic calor æstuet, illic frigus obtorpeat, suisq; etiam in locis sit maius quoddã elementorũ temperamentum, quædamq; æqualitas qualitatũ. Cœlum item ipsum unũ est, nõ uno tamen modo afficit subiecta sibi corpora, que passiua uocari diximus. Eadem etiã ratione stellæ afficiunt pro cõcretione sua, cœliq; situ, in quo ferũtur. Aliter enim tanta rerũ alternatio immutatioq; nullo modo cõtingeret. Nostro in corpore aures, oculi, nares, lingua, diuersa ratione afficiuntur, ac nihilominus uni eidemq; insunt corpori, quod licet unum sit, sensus tamen ipsi, hoc est instrumenta sentiendi ex una concretione nequaquam sunt, tametsi corporea è cõpage constant. Quod de Saturni, Iouis, Martis, stellarumq; omnium corporibus, quæ in parte generationis instrumenta quædam naturæ ad agendum sunt, dicendum atq; sentiendum censeo: ut mihi etiam uideatur idem esse ius Solis in cœlo, quod cordis in animaliũ corpore: idem Lunæ, quod cerebri ad mouendum atq; afficiendum. Atq; ut cerebrum à cordis fouetur calore, sic de calore Solis Luna, hoc est uis eius in actionibus proprijs: utq; à cerebro manat defluctio quædam humentior per membra partesq; corporis, sic à Luna demanat quidam quasi defluxus per corpora hæc orbi eius subiecta. A maioribus autem nostris uocata est defluctio, à fluendo, ut fluctus, quæ nunc à recentiorum plerisq; usurpatur tum defluxio, tum defluxus. Igitur quod nec frustra, sæpius tamen dicitur, stellarum corpora nullis sunt elementaribus qualitatibus addicta, sed omnino libera, eiusmodiq; ab alternationibus atq; immutationibus penitus uacua, quibus & ipsæ dominantur, et pro natura sibi insita eadem citant, alternant, moderantur, quippe quæ imperium in illis habent, earumq; commotionibus pro arbitro præscribũt: qua è re dicuntur eiusmodi earum esse corpora, cuiusmodi qualitates ipsæ stellæ in rebus ciẽt inferioribus. Est itaque Luna excitatrix ac fotrix humidi maxime, item frigidi, unde ipsa qualitatis

litatis frigidæ atque humectæ ab antiquis est habita, nihilominus radij eius à Sole calefiunt, qua è re adiuta per calorem sibi immixtum uapores sursum in ediam aëris regionem rapit, quod quidem est calidi, non humidi aut frigidi, quorum potius proprium est deorsum uehi, atque ad ima deferri. Eadem Luna procedit crescendo ac decrescendo per ætates, quatuorq; anni tempora: siquidem prima eius ætas dum à Solis coniunctione digreditur, apparetq; corniculata, humido plurimum abundat, quale uer, qualis hominum pubertas atque adolescentia. Aetas secunda quandiu ad plenitudinem accedit, prætumidoq; apparet corpore, multum in se caloris habet, uelut æstas, ac iuuenta: post plenitudinem, quæ tertia quædam ætas uidetur, declinat in siccitatem, ut autumnus, ut uirilis ætas, atque ubi iterum ad corniculationem redit, frigescit admodum, ut hyems, ut animalium senectus. Nec sentit tamen senectutem Luna, nec est unquam puella, uerum radij eius, dum noua est, humidum magis ac magis euocant: frigus uero, dum redit ad Solis coitum, & tanquam calore defecta consenescit. Nullum habet sibi insitum saporem lingua, nullum oculus colorem, omnes autem hic colores, cunctos illa sapores suscipit, passiuum utrunque corpusculum, comparatumq; à natura instrumentum ad sentiendum. Minus igitur mirum uideri debet, si Luna sydereum atque actiuum corpus, potissimumq; naturæ instrumentum ad generationem parandam, quas diximus qualitates alternationesq; mouendo atque afficiendo suscitat, & ex alia in aliam mutando conuertit. Saturni frigidam esse naturam cum primis uolunt, item & siccam, qualis est senectus, præcipue tamen dominari frigido, in eoq; permultum excedere, inde radios eius lethales esse, uitæq; admodum animalium aduersari. Vt enim motus ipse cœlestis & gignendi & corrumpendi causa est, corruptio autem inde proficiscitur, quod nihil in quo genitum est statu, permanet, sed in assiduo uersatur motu: sic stellæ ipsæ & generationis & corruptionis sociæ, uel quædam quasi instrumenta aliæ magis parandam ad generationem contendunt, ad corruptionem magis aliæ: perinde ut Saturni stella, quæ frigiditate sua uitalem calorem hostiliter petit, ut Martis, cuius uis est urendi magis quàm calefaciendi. Nanque ut genitalis ille calor uitalem uim fouet, sic feruor uitalem humectationem è contrario exurit, penitusq; exiccat: quod uidemus in segetibus, quas Sol quidem fouet, atque ad maturitatem perducit, ignis uero incendit, incensasq; omnino perdit. Siquidem Saturni radij quodam quasi ueneno frigiditate nimia uitalem uim conficiunt, Martis autem radij tanquam iniectis flammis exurunt, adeò in utriusq; radijs effectionibusq; nihil inest moderati. Quando & calidum & frigidum quoddam dandum est, quod sit etiam

ſua in qualitate temperatum: eſt enim & calidum quod foueat, & frigidum quod refrigeret, utrunq; autem uitæ animantium opitulatur. Cõtrà immoderatum, ac nimium deſtruit, uitalemq; fermentationem labefactat. Mercurij ſtellam alio tempore humectam, alio arefactam ac retorridam eſſe putant: retorridam quidem propter Solis propinquitatem, humectam uero propter orbis Lunaris confinia: & quia concitatioris eſſet motus, eandem quoq; uelocitatem concitationemq; in ipſis qualitatibus alternandis, quam uis inter ſe contrarijs retinere. Mihi quidem difficile admodum uidetur, parumq; omnino naturæ conſentire, quod illinc de propinquitate Solis, hinc de Lunaris ſphæræ orbita cõtingat tanta diuerſitas, aut aduerſitas potius atq; contrarietas, ut modò ſummum in modum ſiccus, modo humidus Mercurius ſit habendus. Quo nam enim modo Lunaris orbis exhalata aſpergine humectabitur? ſi ſumma illa & ultima aëris plaga, de qua ante etiam diximus, æſtuoſa tota eſt, & ſuffumigationũ, uſtarumq; aſpirationũ receptaculum, ac tanquam cella promptuaria. Cuius rei fideliſſimi teſtes ſunt cometæ. Atqui hac potißimum ratione arefcere Mercurium magis ac magis neceße eſſet. Contendunt etiam de Solis propinquitate hoc idem ei euenire: quod ſi eſt, utraq; de cauſa Mercuriales radij exareſcent. Qua igitur ratione & cauſa humeſcet, cum utraq; ex affinitate uehementius exuri ac duabus quaſi fornacibus ſupra infraq; par ſit excoqui? An fortaſſe ſtellæ huius corpus ſpongioſum eſt (licuerit autem aliquantulum iocari) cũ ſpongiæ propria ſit ariditas, quæ tamen aquis admota ſtatim turgeſcit, mox expreſſa plurimum liquorem effundit? Quod ut dem, nihilominus oſtendi mihi uelim, qui ſit ſpongiæ ipſius expreſſor. Nam Mercurius ſtellæ dominus, ut deorum nuntius deferendis ac reddendis literis aßidue occupatus eſt. Quia uero quæcunq; in hac diſputatione traduntur, ad Solis calefactionem referri uidemus, placuit & quid ipſi hac de re ſentiamus, & quid naturalis dictet ratio, aliquanto uberius explicare: non quod libenter aliorum maximeq; ueterum ſcriptorum opiniones inſectemur, ſed ne ueritas in obſcuro relinquatur, quæ cæteris rebus omnibus optimo eſt cuiq; præferẽda. Sequitur itaq; de Mercurio, & planetis alijs quæſtio.

IOAN

IOAN. IOVIANI PONTANI AD IOANNEM PARDVM, De rebus cœleſtibus Lib. Tertius.

PROOEMIVM.



NTER rerum naturæ indagatores liquidiſſime quidem conſtat Ioannes Parde, quæ cœlo ferũtur corpora, ea minime corruptibilis concretionis eſſe, omnis item alternationis expertia, corporeæq; cõuerſionis, nihil etiam elementare, nihil elementaris conditionis penitus in ſeſe admittere, quinimò corporibus his elemẽtaribus, ipſisq; elemẽtis omnino imperare, illaq; pro arbitrio afficere, & in alias atq; alias qualitates formas q; conuertere, inde etiam eorum quæ genita ſunt interitum ſequi, rerum mox aliarum generationem aliam atq; aliam: quibus ex alternationibus conuerſionibusq; illud quoq; iure effici, ut inferiora hæc corruptibilia & cenſeantur & ſint, contrà cœleſtia ipſa perpetua ſemperq; in ſeſe cõſiſtentia, quippe quæ alterius cuiuſdam, ſibiq; ubiq; conſtantis naturæ ſint, atq; eſſentiæ. Quam ob rem ſi corruptibilium propria ſunt corporũ ſiccitas humilitasq; caliditas item atq; frigiditas, ſi quod paulò ante calidum erat, occupatur mox à frigore, & quod aridum, ab humore, quibus ab immutationibus ſequitur tandem rerum interitus: nimirum ſtellarum corpora nequaquã hac afficientur atq; alternabuntur uia, incorruptibilia ſiquidem ſunt, nullisq; eiuſmodi immutationibus obnoxia. Nihil habet ergo Sol quod in ſtellariẽ corporibus calefaciat, quomodo ergo ſtellarum calefactio manabit à Sole? quomodo ab euaporationibus terreſtribus illarum humectatio? Ad hæc qualitates hæ generationis atq; corruptionis miniſtræ ſunt, ac penè dixerim nutriculæ. Nulla autem in cœlo generatio, cum nulla illic ſit corruptio. Quocirca ut nulla in cœlo generatio, ſic nullæ ſtellarum corporibus huiuſmodi qualitates aut accidũt, aut inſunt. Nec Sol igitur illorũ calefaciet corpora, nec illa de Solis calore cõcaleſcent. Quid quod, ut in his ipſis elementaribus uidemus corporibus, Solis calor concipitur de radiorum eius reflexione, quæ quidem ipſa fit in aëre, ac per aërem? At in cœlo nullus eſt aër, nihil omnino aërium, quia nihil omnino in cœlo corruptibile, nullaq; ex alia in aliam qualitatẽ tranſitio, nulla igitur illic de reflexione radiorũ Solis calefactio. Falſo igitur, ac ſine ulla uera naturaliq; aſſeritur cauſa, Mercurium de Solis propinquitate perareſcere, quam quidem areſactionẽ contendũt de finitima Solis regione proficiſci. Quid illud, quàm inepte, quàm

etiam desipienter ē stellæ qualitatem ab eius colore iudicari, ut Martis feruorem à colore illo rutilo, ac si qualis cernitur in aëre, talis omnino color insit eius stellæ corpori, ac non potius rutilescat in aëre, cū unus idēq; etiā color eandem semper qualitatem non indicet, ut in calce, niue, oßibusq; iudicari potest, quæ quidem albo colore pariter sunt prædita, neq; radij solares in occasu appareant, quales in ortu, quinetiam Martis, Veneris, Iouis, Saturni colores uariantur, & dum per regionem feruntur, quæ est ad ortū, & dum per eam quæ uergit in occasum. Nam & aër medius, & radiorum tum rectitudo, tum obliquitas, & eorum aut maior aut minor à terris recessus, aduentus etiam ad nos ac digressio à nobis, mutationes eiusmodi colorum ut afferant, necesse est. Quocirca syderis qualitas, seu calida seu frigida, non debet à colore iudicari: non tamen ut color ipse sæpenumero propriam rei qualitatem non indicet, sed quod etiam persæpe fallat. Ad hæc eadem lex esse non debet, nec esse omnino potest in cœlestibus elementariisq; corporibus. Non minus etiam inepte sentiunt, qui calefacere Solem ex eo arbitrantur, quod medius inter erraticas constitutus sit, ac si loca media calorem excitent, quia medij ipsius natura hoc ferat. Quod si detur, terra, quæ totius mundi medium tenet, esset omnīū corporum calidissima. Accidunt autem hæc, quæ de calefactione dicuntur, in aëre & per aërē. Quāobrem cum in cœlo nusquam sit aër, ne calor quidem illic excitabitur, perinde ut nullus excitatur strepitus ex tot uagantium stellarum, cœlestiūq; corporum orbiculationibus. Quod si in cœlo quærimus ea quæ ad oculos atq; ad aures pertinent, cur nō etiam ea quæ ad nares? nam & de calido odores etiam efflantur. Adde quod nec Sol medium ita tenet inter erraticas locum, ut tantundem à Luna atque à Saturno distet. Quod si medium aliquod iuxta Mathematicam dimensionem metiri uolūt, legant Aristotelem impugnantem in causis naturalibus numeros, numerorumq; potestatem ac regulam: cuius sententia cognita, satis scio, nihil eis quod cum ratione aduersus afferant, relinquetur. Nulli igitur colores insunt syderibus, uerum fulgores ac splendores potius, qui per aërem diffundentes sese, non uno quidem modo afficiuntur, tum pro natura corporis è quo splendor exilit, tum etiā pro natura aëris ipsius, aëriæq; regionis, ac pro rectitudine, obliquitateue radiorum: quam ad rem non parum etiam sua illorū imbecillitas confert, è remotißimis atq; altißimis orbibus defluentium. Itaq; neq; Sol in orbe suo calidus est, nec ipse stellarum corpora in cœlo calefaciendo afficit, uerum in feriora hæc corpora, quæ & à se, & ab illis mouentur, affectaq; in aliam atque aliam qualitatem ac temperationem transeunt. Nam si stellas Sol calore suo afficeret, perinde ut corpora, quæ ex elementis constant, afficit, & cœlum quoq; ab illo calefieret, de cuius cœli concretione stellæ existunt: unde &

de & hemisphærium hoc superius frigeret noctu, contrà inferius concalesceret: quod nihil esset aliud, quàm ut & cœlũ & stellæ, & ipsarũ stellarũ orbes eadẽ illa paterẽtur, quæ elementa ipsa, resq; elementares patiuntur, nunquamq; in statu suo consisterent: nihil etiã prorsus existeret in rerũ natura à corruptione atq; à morte tutum. Eadem profecto ratione nec Saturni frigida in cœlo stella, nec Martis ignea, nec Iouis ac Veneris temperata est, nec item Mercurij arida, Lunæ humida ac uaporosa. Sed in elementis ipsis, elementaribusq; rebus, eiusmodi qualitates stellæ ipsæ mouendo, atq; efficiendo moderantur, quo rerum elementarium prouentus sequatur, alternatioq; qualitatum, è qua generatio existit atq; corruptio. Quid autem mirum, stellas à natura sic institutas ad agendum pro qualitate orbis atq; concretionis suæ? quando quæ in terris, quæ in aquis, atq; aëre uitã ducũt, diuersa etiam ratione ad patiendum, recipiendasq; in sese illarum effectiones nata atq; instituta sunt. An non in nostro corpore pulmones, iecur, lienis, renes, cor, quorum ministerio & spiramus & uiuimus, diuersa ratione & mouentur & mouent? Absit igitur, cum de cœlestibus loquimur corporibus, quæcũq; iniuria. Quid enim ignominiosius dici, aut excogitari aduersus cœlũ, diuinamq; stellarũ maiestatẽ potest, quàm ut corruptibilibus, & nunquã in statu suo consistentibus qualitatibus prædita esse illa aut dicamus, aut existimemus? Iterũ dicam, absit tanta hæc, tamq; nefaria cœlestibus sempiternisq; à corporibus iniuria, deq; illis ut de immortalibus æternisq; corporibus, inferioraq; hæc moderantibus, pie rectéq; & sentiamus, & prædicemus. Habeat igitur Sol & Luna inter stellas, singulæ item erraticæ singulis in qualitatibus id iuris, autoritatisq; ad generandum, alendum, alternandumq;, quod cor, quod cerebrũ, in corporis animalitate (utar enim sæpius inusitato, sed fortasse non inconcinno uerbo) quod alia itẽ membra, quæ dicuntur primaria, &, ut hodie uocant, principalia. Atq; ut qualitates ipsæ plus minúsue mixtæ inter se uarias in corporibus temperationes faciunt, unde tanta diuersitas affectionum prouenit, eadẽ ratione stellarum radij mixti inter sese, atq; in unum conuenientes misceant, temperẽtq; uires atq; actiones suas, qua è re prouentus multiplex, ac tantopere uarius existat in elementis, atq; ex elementis, itemq; corporibus, ex eorũ commixtione cõflatis. Arbitrantur etiã Mercurij stellã maxime uentosam propter continuam motus sui seriem, quippe cum nunquam consistat, sed in assidua semper agitatione uersetur. Omnes enim erraticæ & cum regredi, rursusq; cum progredi incipiunt, dicuntur gradũ sistere, compluribusq; diebus eodem in momento stare, qua è re singulæ erraticæ binas dicuntur stationes facere. Solũ autem Mercurium uolũt etiã in stationibus constitutũ, nunquã adeò pedem sistere, ut non diebus etiam singulis, aliquot quamuis

tamen paucas breuis circuli sui partes emetiatur, adeò stella eius concitata est, assiduoq; semper motu gaudet. Ex hac igitur concitatione, perpetuaq; motus agitatione, cum etiam à Sole tanquam turbo quidam uolutetur, raptatusq; uersetur, uentos excitare contendunt, usi ea comparatione, quæ similis admodum uideretur. Si quis enim flagello quamuis tenui aërem uehementius uerberet, flabrũ profecto licet tamen tenue excitabit, cum eiusmodi uerberationes sibilũ saltem aliquem necesse sit excitent: qua de causa Mercurium uentos semper gignere, quoniam semper moueatur, existimãt, cum cæteri planetæ in stationibus uideantur quandoq; conquiescere, ac Sol ipse propinquus semper & moueat & calefaciat. Hi mihi quidem uidentur aliquid dicere, nequaquam tamen exacte, atq; ad appendiculum omnia: siquidem ut leuissimarum etiam frondiũ tenuissima commotio flabrũ cieat, flabrũ tamen ipsum, seu quædã quasi subobscura sibilatio ex aëris impulsione fit, quæ Græce est ῥοῖζος. Cum autẽ in cœlo nullus sit aër, uentusq; sit aëris quædã impulsio, seu redundãtis aspirationis cõmotio, quo nam modo Mercurius aut stationarius, aut incedens uentum excitet motu sui corporis aëre impulso, non uideo. Alia igitur ratio quærenda est, quæ ab illis quidem quæ paulò ante dicta sunt, originem ducit. Nam quæ dicuntur de Sole calefaciente, eodemq; circumraptante, ea sunt eiusmodi, ut astrum astro uim inferre credant, parum omnino uidentes ex illata ui corruptionem sequi necesse esse. Quocirca dicendum ac tenendum prorsus est, Mercurij stellam radijs suis, hoc est ab insita ui excitare aspirationes, fumidas illas scilicet, et tanquam fuliginosas, è quibus uenti existunt, ut qui aridas exustasq; terræ fumigationes per aërem perlatas magis ac magis moueat atq; afficiat, quarum ex agitatione uenti gignantur. Quam ad rem plurimũ etiam Solaris uis confert, dum radijs suis Mercurij radios fouet, illisq; adminiculatur, ad hauriendas subducendasq; è terris effumationes, quæ post per aërem exagitatæ impelluntur, eædemq; impellunt.

Quoniam autem in stellarum stationes, earumq; mentionem differendo incidimus, rei huius explicationem non minus libenter quàm necessariò exequemur. Quod erraticæ igitur moueantur, & certis atq; dinumeratis temporibus cursus suos peragant, non solum ex dimensione constat ac numeris, uerum oculis quoq; cernitur. Mouentur certe non modo per spacio sam illam longitudinem signorum duodecim, ad ortum ab occasu, qui suus ac proprius erraticarum est motus, uerumetiam per certam atq; unicuiq; præscriptam latitudinem, quæ hinc in boream protenditur, illinc ad meridiem: hæc tamen ipsa latitudo à media Solis linea per signiferum non una est planetarum omnium, uerum aliorum alia. Mouentur autem orbiculari ter, nam & earum sphæræ orbiculatæ sunt, & corpora ipsarum orbicula-

ta.

ta. Vbi uero tres superiores à Sole ita recesserint, ut inter ipsas & Solem quatuor interiaccant signa, hoc est cœli partes centum uiginti, paulò plus minúsue, retro pedem referre incipiunt. Ante tamen quàm earum apparere repedatio incipiat, ac si nullo pacto moueantur, compluribus diebus uidentur consistere, ac nullo modo progredi, eamq; quæ prima dicitur, stationem facere, tametsi nunquam adeò consistunt, ut non aliquantulum moueantur. Græci statum hunc uocant στηγμὸν, ac dehinc continuato cursu repedationes ac regressus, quam nunc retrogradationem libentius pleriq; uocant, antequàm recto progrediantur itinere, iterum consistunt, secundamq; stationem faciunt. Quo interim tempore tantum cœli Sol dimensus est, ut quatuor item signis, hoc est centum uiginti partibus, quod ante de prima statione dictum est, ab illis absit. Pleriq; autem ueterum autorum arbitrati sunt planetarum omnium regressum Sole ab ipso causam ducere, quod ubi planetæ quos diximus, Venus item ac Mercurius, certum ac decretum sibi spatium à Sole digressi essent, tanquam ab instituto itinere reuocati, retro ab illius radijs retraherentur, famulari quodam officio Soli addicti. Ego uero Solem ipsum inter stellas principem, ut sic loquar, esse duco, proprij luminis maiestate, tamen ut qui tyrannidem inter stellas exercere illum minime putem. Neq; enim hamatis Sol radijs utitur, ut tanquã unco atq; harpagone tractos à solito naturaliq; distrahat illos munere, cogatq; ueluti captiuos victoris ipsius catenas sequi. Num fortasse magnetino Sol præditus est corpore, erraticæ autem ferreo? Nam qui hæc opinantur, colorem suum erraticæ cuiq; tribuũt. Atqui nec Saturnus, nec Iupiter, nec Mars nec planetarum quispiam ferreo est colore, multo Sol minus magnetino, qui ne exustione quidem illa Aethiopica, cum quam rectissimis flagrantissimisq; utitur radijs, uel semiuncem lapillum è terra subleuare in aëra sursum potest. Num raptabit calore suo, qui in cœlo nullus est, retroq; ad se trahet ingentissima illa corpora? ac si obsessa externo frigore, pòst Solari irradiatione delinita, blandissimo illo tepore capiantur, captaq; proprij muneris sic obliuiscantur, ut, quod ebrijs accidit, sui nequaquam sint iuris. Atqui sponte sua mouentur quadrupedando testudines, rependo serpentes, natando ac lubricando pisces, aues uolitando, pedes alternatim protendendo homines, quadrupedatim pecudes, atq; ubi progressæ sunt, suopte arbitrio regrediuntur, ac pedem sistunt. Videmus aues nunc sursum, nunc contrà deorsum, mox ad dextram, sinistrámue uolatum facere, pisces item natatum, non raro etiam illas in aëre, hos in aquis sidere, sic enim à natura instituti sunt. Quid mirum igitur si erraticarum corpora per orbis suos peculiari motu, sibiq; insito mouentur, cursusq; suos nunc procedendo, nunc recedendo peragunt? interim etiam ita gressum retardando, ut oculis intu-

entium uideantur sidere, uniusquiusq; proprij cursus cum sit hæc natura? Nam si ab occasu mouentur in ortum, nulla tamen cœlo ui illata, quod quidem cœlum ab ortu fertur in occasum, ac nihilominus & cœlum illis, & illæ cœlo aduersis incedunt motibus, nulla Solari calefactione tracta, cur nō naturali insitoq; sibi motu stellæ quæ ex hoc dictæ sunt errantes, & procedant, & retrocedant, & stationes faciant, nulla à Sole ui illata, nullis externis uiribus illas cogentibus? Est enim alia cœli, quintæq; illius essentiæ natura, alia aëris, reliquorumq; elementorum. Sit igitur motus hic earum uel incedentium uel repedantium non uiolentus, sed naturalis: non coactus, sed suus & proprius: incedantq; pro arbitrio ac ui cuiq; insita, non trahantur ut captiui, alienoq; addicti imperio, sed numeros atq; ordinē sequantur sua sponte, naturali suoq; nunquā ab officio recedentes. Neq; enim alia ratione sempiternæ illæ res sempiternitate sua frucrētur. Quod si mortalia hæc ordinē suū, quiq; mortalitatis proprius est, tenorem seruāt, generando atq; corrumpendo, uimq; continua alternatione sibi inuicem inferendo, cur non etiam immortalia illa pro natura immortalitatis ordinē suū, suosq; numeros sequentia, ubiq; illū seruent, nulla externa ui, nulla forinsecus necessitate adducta? Quā doquidē in nostro quoq; corpore uis inest illa, qua & ipsum totū, & mēbra eius singula mouentur & gubernantur. Etenim ubi loquendum est, statim os seipsum nullis externis adminiculis adhibitis aptat instrumq; ad eloquendi officiū. Sed omittamus præstantiora quæ sunt corporis officia, ut oculorū, ut aurium. Patet uia gulæ qua cibus ac potus ad uentriculum defertur: spiritus aūt, ac uocis meatus, hoc est guttur, tanquam foribus quibusdam clauditur. Quoties itaq; cibus potioq; hauritur, canaliculus ille seu potius ductus qui uiam spiritui ac uoci facit, claudit: at contrà lingua ipsa sese attollente aperitur, quoties spirandū ac loquendum fuerit. Vesica quoq; ubi emittendum urinæ quid fuerit, sese aperit ac relaxat, qua emissa confestim sese claudit, quasi foribus seram obdat: nulla hic exterior adhibetur uis, sed ea tantum quæ corpori est à natura insita, qua corpus ipsum suis cū partibus ad actiones singulas singulaq; ministeria, ubi opus est, à semet, suaq; sponte afficitur, ultroq; ad illa affectum mouetur. Neq; enim de actionibus affectionibusq; cœlestibus perinde ut de nostris sentiendum est, quippe cum cœlestia ipsa corpora nullius externæ opis indigeant, nullis egeant adminiculis, perfecta quidem per se, suisq; uiribus integra. Quocirca non aliter mea quidem sententia tenendum ac sentiendum est, quàm ut cœlestia illa corpora motus suos suasq; orbiculationes sponte utiq; sua, peculiariq; potestate exerceant, nullis externis uiribus adiuta, nulla Solis calefactione retro ad eum tracta, sed sola prorsus natura ministrante. Miris tamen laudibus prosequendi mihi uidentur, qui etiam ἐπικύκλους (sic enim Græce uocan-

uocantur) commenti sunt. Quo enim haberent ubi intellectus beneficio sen sus conquiescerent, oculis quoq; exposuerunt minusculos illos circulos, quibus corpora planetarũ imposita, antrorsum retrorsumq;, sursum ac deorsum orbiculatim ferrentur, motus cuiusq; dimensione seruata. Quid autem in disciplinis utilius, quid ad docendum accommodatius, quàm ut sensus uires præsidiũq; intellectui sumministrent? & quod intellectus contemplando assequitur, ut oculis quoq; uidendũ exponatur? Quemadmodũ in horologijs, astrologicisq; machinulis ac tabellis usuuenit, ut diuina hæc potius quàm humana sint inuenta iudicanda. Verũ ut existimemus stellas ipsas impositas circulis, ac tanquã curriculis quibusdã suis uehi, omnino est absurdissimũ. Primũ circulos illos quis mouet? qui si moueantur suapte natura, cur non stellarũ quoq; corpora, sua etiam ui, naturaq; sic moueantur? quid enim opus exterioribus uiribus, ubi propriæ uires satis sunt? Deinde corpora stellarũ ipsa oculis cernuntur, quoniam è concretione orbis sui constant: quod si quod delatum est, cernitur, quoniam è concretione constat, circulos quoq; qui deferunt, è concretione constare par est, concretosq; oculis sese uidendos offerre: non cernuntur autẽ, quoniã re ipsa nulli sunt, sed cogitatione tantũ cõcipiuntur, docendi atq; cõprehendendi gratia. Etenim tot lineæ intersectionesq; linearũ re ipsa in cœlo quidẽ nullæ sunt, uerũ docendi ac demõstrandi gratia solertissimi uiri cõmenti eas fuerũt, quãdo uix ratione alia disciplina cœlestis, cœlestiũq; progressionũ cognitio tradi posset. Quid quod animaliũ sese mouentiũ nullũ externo instrumento, sed tantũmodo proprio sibiq; naturaliter indito mouetur? Insunt enim uolucribus, piscibus, hominibus, pecori sua cuiq; instrumenta: nullũ deniq; animal externo alienoq; instrumento, sed proprio, sibiq; à natura indito ad sese mouendũ utitur, motu scilicet eo qui suus cuiq; ac naturalis est. Multo aũt minus quàm animaliũ horũ corpora, externis adminiculis indigent cœlestia, quibus quidẽ neq; iumentis, neq; uehiculis opus est ad euagandũ. Itaq; & circuli & epicycli cum toto hoc genere habendi sunt imaginarij, non autẽ ut qui re ipsa sint in cœlo, sed inuenti prorsus atq; excogitati ad motus demonstrandos, eosdémque ipsos etiam oculis exponendos. Augures dum auium uolatus captant, aërem omnem lineis partiuntur, eumq; in regiones suis quamq; cum finibus diuidunt, anticam, posticam, dextram, sinistramq;. Qui terrarum spatium metiuntur, lineas etiam ab ortu ad occasum inter partes ipsas, & ea quæ dicuntur climata, quod in septentrionem ascendant, producunt, uentorum quoq; regiones lineis distinguunt: nullæ tamen in terris lineæ, nullæ in aëre, multo minus in orbibus sunt cœlestibus. Ostẽdat mihi uelim quantumuis acutis utatur oculis, qui uera illa existimat stellarũ obseruator, ubi linea quæ Arietẽ distinguit à Piscibus, quæ gradũ

à gradu, decuriam à decuria, quæ latitudinem Zodiaci à meridie septentrionem uersus, quæ obliquitatem eiusdem à Capricorno in Cancrum designat? Intueor ego stellas, contemplor earum motum. Lineas omnino nullas perspicio, nullas orbium distinctiones, aut circulorum curuaturas, quandoquidē nullæ sunt, neq; illis stellæ indigēt, quippe quæ sese ipsæ moueant, nullis externis adminiculis adiutæ, uel deferentium circulorum, uel uolutantium rotarum. Pictores etiam inertes lineas suas colore notant, quo distinctio ipsa appareat: inertissima ergo, ac sibi ipsi maxime auara fuit natura, quæ nullo prorsus colore, tanquam ei rubrica nulla esset, tot lineas, circulosq; tam sæpe sese intersecantes distinxerit, distinctasq; notauerit. Sint hæc igitur ad docendum demonstrandumq; diuina quadam uirtute cōperta, credamusq; ita quidem sese habere, donec oculis etiam ducibus in tabella, quæ de stellarum motibus scrutamur, perdiscimus, numeris q; ac dimensionibus comprehensa tenemus. Vbi uero mens abunde exacteq; illis imbuta fuerit, notioq; inhæserit animis, re ipsa lineas circulosq; ab Astronomis designatos multo minus in cœlo esse, quàm haruspicum in aëre iudicemus. Nam imaginarios eos esse illud planè docet, quod quæ oculis non cernuntur in cœlo collocata corpora, ea nusquam sunt. Siquidem ea sunt aut lucida aut opaca: si lucida, uidentur per se: sin opaca, claresc̄t in luce, quod probatur in corpore Lunari. Etenim circuli epicycliq; si ex opacis constarent corporibus, perinde ut Lunæ corpus, illustrarentur à Sole, aut ab eo sydere, quod epicyclo ipsi putatur insidere, aut etiam ab utroq;, nam lucida ea nequaquam esse obtūtus ipse noster indicat: corpus autem in cœlo constitutum, quod sit tertij generis, nullum est dare, sicuti præter diem ac noctem tempus aliud nullum, nec præter cœlum elementaq; tertij generis est aliud, quod quidem corporeum sit.

Sed iam ad erraticarum qualitates redeamus, quæ licet nullæ illis insint, tales tamē esse illas dicimus, quales in corporibus inferioribus ac pabiuis humores excitāt, excitatosq; moderātur. Opinātur aūt ut in Luna, sic in quinque erraticis usuuenire, ut eæ matutinæ, hoc est postquam à Solis coniunctione digressæ apparere iam incipiunt, in humectationem magis inclinēt, quousq; confecto itineris quodam quasi triente, cōsistere iam putantur, indeq; calfacere arbitrantur, donec uespertinæ repedando effectæ sunt: Ex hoc uero tempore, quousq; iterum consistant arefacere, frigus inde inducere, donec rursus cum Sole coëant. Quod enim in annuo Solis circuitu contingit, ut principio humectet, quæ ēre uer humidius prouenit, inde calfaciat, quo fit ut æstas sit ardentior, deinde siccet, quæ res autumnum sicciorem efficit, deinceps frigus inducat, unde hyems frigidior reddatur: idem quoq; in planetæ cuiusq; epicyclaris cursus conuersione contingere putauerunt.

uerunt. Nam & elementorum conuersiones eiusmodi sunt, & animalium ipsorum ætates hanc eandem seriem progrediendo retinent. Dictæ autem sunt matutinæ, quod mane ante Solis exortum, postquam à coniunctione eius recesserint, in ea oriantur cœli regione, quæ est ad Solis ortum. Quod ut manifestius fiat, exemplum statim subijciam. Sit Saturni Solisq; coniunctio in primo Cancri gradu, ex hac coniunctione compluſculis diebus Saturnus Solaribus radijs occultetur, à quibus ubi sese explicauerit, matutinũ facere exortum, quod ante Solem orientem mane appareat, dicitur. Vbi uero ad Leonem Sol transierit, antelucano Saturnus tempore, hoc est duabus ante Solem horis, plus minùsue, radios ab oriente cœli parte suos exercet. At postquam ad Virginem Sol transierit, nunc quatuor, nunc quinque ante Solem horis, aut etiam amplius intempesta nocte Saturnus sese ab exortu ostentabit. Tandem ubi Libram Sol ingressus fuerit, eamq; peruagabitur, ad mediam noctem Saturni ortus differetur: siquidem Cancro exoriente Libra imum cœli cardinem obtinet, in qua Sole tanquam demerso, media nox ut sit necesse est. Ex eo tempore, quoniam confecto itineris recti spatio repedatio incipit, sistit Saturnus gradum aliquot diebus, perinde ac sidat: sic Iuppiter, sic Mars eadem qua Saturnus ratione, pro cursu tamen uterq; suo, ac tandiu retro graditur, quandiu Sol Scorpium, Sagittarium, Capricornumq; permensus, Aquarium iam perambulat, id est alterum Zodiaci trientem progrediendo conficit: tunc enim iterum sistit gradum, seq; à repedatione ad rectam progressionem dirigens iter instaurat, donec confecto Signiferi triente tertio (non minus enim libenter trientem, quàm triangulum uocamus) Sol ipse iterum post annuum suum cursum cum Saturno coniungitur. Locuti autem sumus de Saturno, Ioue & Marte, quoniam Venus ac Mercurius cum Sole ab opposito, quadrangulo, triangulo aut sexangulari loco nunquam configurantur, sed sola tantum coniunctione, quæ corporalis dicitur, cum co familiaritatem ineunt. Quandoquidem neque Mercurius triginta, neq; Venus sexaginta gradibus plenis, quinetiam aliquot subductis à Sole longius recedunt. In media uero repedatione, cũ Sol ad Capricornum peruenerit, ipso Sole occidente, ac sub terras delato, Saturnus uesperi ab opposita, hoc est oriente cœli regione exoritur: utq; sex antè mensibus, quod mane oriebatur, à tempore ipso uocatus est matutinus, sic pòst uespertinus, quandoquidem post Solem occasum apparere iam incipit, noctuq; hemisphærio hoc superiori uidendus defertur. Constituerunt autem ut Lunæ cursus, sic etiam erraticæ cuiusq; ætates omnino quatuor: primam, quæ magis ac magis humectaret: secundam, quæ calefaceret: tertiam, quæ exiccaret: quartam, quæ maiorem in modum frigus induceret: secuti anni ipsius ex alia in aliam qualitatem transitionem, in hoc

etiã consentientes, ut cõmixte inter se & addant & demant plus minúsue pro natura commixtionis. Quantum autem mixtura ipsa qualitatum tum ad augendum, tum ad minuendum ualeat, cũ primis medici docent, quorũ proprium uidetur officium in adhibendis remedijs miscere ac temperare. Ex hac profecto commixtione unius atq; alterius, itemq; complurium inter se planetarum contingunt in corporibus inferioribus tam multa illa ac diuersa, quæ partim quidem cernuntur oculis, partim ingenio assequimur, ipsisq; ex effectionibus, quorum prorsus omnium causæ ad configurationes ipsas erraticarum referendæ sunt. Statuerunt itaq; primam erraticæ cuiusq; ætatem ab exortu matutino, quem Græci ἑῶον, ad primam usq; stationem. Ab hac ipsa statione ætatem secundam, usq; ad ἀκρόνυκτον, hoc est dum de nocte iam media Saturnus (ne ab exemplo quod posuimus, recedamus) ortum ab ascendente cœli regione facit, quod contingit Sole Librã ingresso, tunc etenim surgente Saturno, media, hoc est profunda nox, quod Græca dictio indicat, existit, Sole imum cœli cardinem iam tenente. Ab Acronycto, id est ab ipso exortu, quem nocte media facere primum incipit, ad secundam usq; stationem, tertiam planetæ ætatem esse uolũt. Quartam eamq; ultimam, quandiu erratica ipsa ab initio secundæ huius stationis ad Solem regressa ei cõiungitur, cuius etiam radijs oppressa delitescit, moxq; ab illius subradiatione liberata, mane exoritur, denuoq; efficitur matutina. Has igitur erraticarum quinque perinde ut Lunæ Solarisq; anni ætates quatuor, prisci rerum cœlestium scriptores statuerunt, in quibus stellæ singulæ utiq; quas diximus qualitates uehementius excitant, pro aliarum tamen stellarum mixtura plus minúsue, non tamen ut à seipsis suaq; natura omnino discedant. Dicimus autem mouere qualitates, easq; afficere libentius quàm elementa, quod hoc idem magis sibi placere Aristoteles ostendit cũ ait, E triplici compositione primã quidem cõstitui è primordijs ijs quæ à nonnullis uocentur elementa, quæq; ipse dicat terram, aquã, aërem, ignẽ, sed rectius fortasse dici posse ex elementorũ uirtutibus: appellat enim uirtutes frigiditatem, caliditatẽ, humiditatem, siccitatem, quæ materia corporũ sint compositorum, quas postea differentiæ sequantur aliæ, ut grauitas, leuitas, densitas, raritas, quæq; alia sunt generis eiusdem. Videre etiã oportet in quam cœli partem à media signiferi linea erraticæ magis uergant, in austrũm ne an in septentrionẽ? Præter Solẽ enim cæteri omnes planetæ ab ipsa linea deerrando spatio quodam suo declinant, & alius quidem magis alius uero minus. Fit igitur ex hac digressione per signiferi latitudinem ab eius medio, ut aliâs meridiales, australinæq;, aliâs septentrionales borealesq; dicantur stellæ: quæ è re uires cuiusq; erraticæ, in quã uergit partem, magis intenduntur propter radiorum propinquitatem ac rectitudinẽ, quod cum

primis

primis Mathematico in enuntiandis cœli decretis obseruandum uidetur. Declinare autem eas in austrum, nunc assurgere in septentrionem, atque aut magis, aliâs minus, non solum numerorum collectione, motusq; dimensione constat, uerumetiam oculis ipsis cernitur. Quid enim euidentius, quàm quotidianus Lunæ discursus? cũ hoc mense uideamus eam nunc Iouis, nunc Saturni, nunc Martis sociari aut Veneris corpori, in eodem latitudinis gradu. Siquidem nonnunquam accidit erraticæ corpus inter Lunæ cornua comprehensum uideri, insequenti uero mense compluribus gradibus per latitudinem ab illo distare, cum per longitudinem eodem in gradu copuletur. Quæ res manifestißime indicat erraticarum corpora, ut non nulli contendunt, cœlo ipsi infixa nequaquam esse: si enim cœlo infixa, ab eodem ferrentur, eandem semper latitudinem retinerent, quam minime retineri utiq; multa docent. Primũ enim in coniunctionibus corporalibus nõ semper sub eadem latitudinis cõiunguntur linea, quæq; stella priore in coiunctione fuerat australior, eadẽ in posteriore reperitur in boream ascendere, rursus in alia atq; alia, sic deinceps copulatur, ut corpora ipsa uideantur sese penè contingere, atq; in unum coire. Deinde ut de Luna, cuius cursus est maxime perspectus, expreßius loquar, in menstruis eius cũ Sole coitionibus, aut semper Solis deliquiũ fieret, atq;, ut Græco utar uerbo, ἔκλειψις, aut omnino nunquam. Rursus quoties Soli opponitur, aut eius defectus nunquam contingeret, aut in singulis quibusq; oppositionibus deliqueſceret. Vtrunq; autem falsum est, quando utriusq; contrarium uidemus contingere: idq; ob Lunæ peruagationem euenit per signiferi latitudinem, quæ quidem latitudo in eius menstruo cursu eadem semper esset, si cœlo infixa cum illo & ab illo tantum moueretur, perinde ut cum naui & à naui mouentur ea quæ nauis ipsius tabulatis affixa sunt: quinpotius Luna cæteraq; erraticæ sic mouentur, ut uectores, ut nautæ, qui & cum naui longius procedendo iter suum conficiunt, & per eam à dextro in sinistrum latus, rursusq; à sinistro in dextrum oblique discursantes officium suũ peragunt. Nam ut orbibus affixa sint suis, ab illisq; ut rapiantur, hoc idem est dicere, quod paulò ante de epicyclis dictum est. Cur enim ab orbibus suis potius quàm à seipsis ferantur, ratio nulla est, cum multo sint perfectiora, quàm nostra hæc corpora, nec ad mouendum exterioribus indigeant adminiculis quibus ne corporã quidẽ nostra, licet mortalia, minusq; perfecta indigent. Nisi fortasse ut infantulis instrumenta quædam natura parauerit, quibus sese ad incedendum instruerent: ac nihilominus tempus quoddam ijs constitutum est, quo decurso, infantes ipsi reiectis instrumentis sponte sua ac per se huc & illuc & eunt & redeũt. Nisi maluerimus cœlestiũ illorũ corporũ primã infantiã æternam esse, quæ in nobis breuißima quidẽ est, pera-

ſuaſumq; uelimus exterioribus inſtrumẽtis, quæ re ipſa nulla omnino ſunt ea perpetuo indigere, ijſq; uti: dũ diſſerẽdi ſtudio, atq; argutijs hoc ipſum pertendimus. Sint itaq; orbes ipſi imaginarij, quando cœli moles continua tota eſt, & ad docendum, ipſisq; oculis exponendum repræſentandumq; ſtellarum motum diuina quadam inuentione comperti, quo intellectus habeat ſenſibile aliquid, in quo ab initio perſcrutationis ſuæ conquieſcat, ex eoq; paulatim progreſſus abiecta tandem imaginaria orbium configuratione, numeris, numerorumq; rationibus aſſequatur quod ſuum eſt. Dedit natura ab ipſo initio animatis omnibus corpora pro conſtitutione & habitu cuiq; aptiſſima. Habent homines, habent iumenta, feræ, alites, piſces, reptantia commotionibus ſuis apta concinnataq; corpora, ex toto atq; etiam è partibus. Cur non & cœleſtia? quandoquidem orbiculata ſunt, quod neceſſe nequaquam fuiſſet, niſi ipſa etiam à ſe orbiculatim mouerẽtur. Quod ſi cœlo ipſi, aut orbibus quæq; ſuis infixa ſunt, ſuperuacaneum, ac perquàm ineptum fuit ea ex omni parte orbiculata conſtitui. At nihil omnino inepte, nihil fruſtra natura ſtatuit, cum appoſitiſſime ſingulis quoq; conſulue rit. Quocirca nequaquam illa ſuperiore à parte quod oculis cernimus, in orbem conformaſſet, quinpotius aut acuiſſet ea, ut tanquam aculeata, orbibusq; infixa penderent, perinde ut in cubiculorum laquearibus, cælatisq; teſtudinibus uidemus: aut complanaſſet utiq;, complanataq; commiſſuris perpolitis cœlo ipſi, aut raptantibus illa circulis glutinaſſet. At non à ſuperiore, uerum ab inferiore ſui parte orbibus infixa ſunt: quod ſi eſt, cur non pars hæc, imaq; ipſa curuatura, utpote alij corpori infixa latet? quod ſecus quidem eſſe aſpectu conſtat, cum rotunditas ipſa corporum tota, omniq; à parte circum appareat. Ex his igitur, alijſq; quæ ſupra dicta ſunt efficitur, ut neq; cœlo, orbibúsue ſuffixa ſint erraticarum corpora, & euagari per ſigniferi latitudinem planè conſtet, ut aliâs magis, aliâs minus eadem ipſa aut in auſtrum procumbant, aut in aquilonem ſubleuentur. Quid quod ſi quis diligenter obſeruet è planetis quemuis unum quouis etiam in ſigno, & in quacunq; eius latitudine collocatum, qui ſcilicet hoc anno Calendis Martijs nocturno tempore aut oriatur aut occidat, anniſq; item ſubſequentibus, ubi idem ipſe planeta ad idem illud ſignum ac ſigni gradũ reuerterit? in pluribus profecto eius reuerſionibus uix hoc continget, ut in eadem illa ſigni latitudine per partes eaſdem oriatur aut occidat, quod ſingulis quidem menſibus in Lunæ peragrationibus ſubinde, ut dictum eſt, cernitur. Ad hæc ſignificationes ipſæ planetarum, propriæq; effectionis efficaciæ, eadem ubiq; ſemper eſſent, tam in locis auſtrum uerſus, quàm in aquilonem proclinantibus. Quod ſecus euenit, propter maiorem ipſorum propinquitatem in alterutram mundi declinationem: quorum, ut dictum eſt,

fieri

fieri nihil omnino uideremus, si cœlum & ipsi illi orbes tantopere celebrati, quasi clauo quodam in una certaq; sui parte fixa secum traherent, ac tanquam raptarent errantium stellarũ corpora. Aristoteles diuino uir ingenio huius siue sententiæ, siue opinionis uel autor quidẽ fuit, uel patrocinator: nec uero nos ij sumus, qui aduersus acutissimũ et solertissimũ naturæ rerũ indagatorẽ uideri uelimus hæc scripsisse. Cæterũ dum ille ad se, naturalisq; philosophiæ cognitionem trahere uult omnia, ab ijs longißime dissentit, quæ pòst à Mathematicis inuenta sunt & tradita, quæq; multo aliter quàm ipse sentiat, habere sese ratione comprehensa obseruationeq; etiam ipsa comprobantur. Vtcunq; tamen hæc ipsa quærendi studio magis quàm quod ita prorsus sentiamus à nobis traduntur, nec tã ea affirmamus, quàm posteros adhortamur ad ea ipsa melius ac diligentius perquirenda. Latet causa lactei cinguli, atq; ita quidem latet, ut quæ de eo traduntur, inania quædam fabulosaq; magis quàm physica uideantur. Quid mirum latére etiam partem hanc cœlestis philosophiæ? quasi nostra hæc ipsa mens assequi posßit quæcunq; in rerum sint natura, & quo quidq; fiat modo, ac gerantur ordine. Est etiam antiquæ ac penè dixerim confirmatæ sententiæ inter cœlestiũ significationum exploratores, erraticas stellas inuicem se aspicere & contueri: ubi quantum inter ipsarum domicilia interiacet spatij, tantundem inter ipsarum corpora interiectum fuerit interualli. Græce hoc aspiciendi ac inter se distandi genus est ἰδιοπροσωπεῖν, quod barbare est Almuega, Latine non improprie dicetur contueri. Idq; tale est, atq; ut de Venere exemplum tradam, constituo eam in Tauro, Lunam in Cancro, Solem in Piscibus, nanq; cõtutus hic inter erraticas luminariaq; esse dicitur. Hac in constitutione Venus est cum Sole uespertina, contrà cum Luna matutina, abestq; utroq; à luminari, quantum Taurus propria domus à Cancro Lunæ domo, quantum etiam Libra propria item domus à Leone Solis domicilio. Hicq; contutus inter Solem & Venerem, item Lunam, sexangularem habere uim creditus est ab antiquis. Mihi quidem uidetur aspectus hic non à domorum intercapedine, uerum à sextante circuli, sexangulaq; signorum ipsorum radiatione iudicandus. Etenim Pisces Taurum, Taurus item Cancrum sexangulariter aspicit. Quocirca Venus Solem è Tauro in Piscibus constitutum, quo potest obtutu, coq; non integro, sexangulariter tamen intuetur. Quod Mercurio contingere neutique potest, quippe cũ à Sole abesse sexangulariter uequeat. Qua igitur ratione, si cũ Sole Mercurius sexangularis esse nullo modo potest, sexangularẽ cũ illo inire familiaritatem poterit? quam quidem sexangularem familiaritatem imbit, cum Lunam in Cancro positam, de Tauro intuebitur, non quod ab ea tantũ distet, quantum est inter Virginem, suam ipsius domum, & Cancrum distantiæ,

sed quia sexangularibus è signis sexangulariter sese aspiciunt. Abest à Leone Taurus cœli quadrantem, aspectus hic quadrangularis est. Nunquã autem potest Venus à Sole quadrangulariter abesse, nunquam igitur inter utrunq; quadrangularis aspectus intercedet uis atq; cõciliatio. Quocirca anile hoc totum est, ut & alia quidem multa, frustraq; de domorum distantia obseruandũ in Veneris ac Mercurij significationibus præcipitur. Veniamus iam ad Solis ac Saturni domos, ac domorum distãtias. Abest Aquarius Saturni domus à Leone Solis domo diametro interuallo. Quoties autẽ Sol ac Saturnus in signis constituentur diametris, erunt ipsi inter se diametri, nõ propter domorum propriarum intercapedinem, sed quia signa ipsa in quibus collocantur, inuicem sunt diametra. Sagittarius Iouis domus à Leone distat triangulari intercapedine, eodem spatio Aries domicilium Martis. Quotics autem Iupiter & Mars tantundem à Sole aberunt, aspicient illum triangula irradiatione, non domiciliorum distantiæ gratia, sed signorum: aspiciet etiam Mars Solem quadrangulariter, quandocunq; ab illo tantũ aberit, quantũ abest à Leone Scorpius, ea scilicet de causa, quod è quadrangulo seipsos intuentur. Quam ob rem quid ineptius quàm existimare hoc ipsum contingere propter domorum distantiæ consimilitudinẽ? Sunt à Leone octauum signum Pisces, Capricornus est sextum, hæc inter se signorum distantia nullum parit aspectum, nullam gignit beneuolentiã. Quandocunque igitur Saturnus ac Iupiter à Sole tantundem aberunt, quam rogo beneuolentiam, quæ nulla mutuo ex aspectu inter se signorum est, quam inquam conciliare familiaritatem poterunt? Itaq; anilia mihi quidem hæc uidentur omnia. Quæ autem ratio de Solis ac planetarum domibus, earumq; inter se interuallis tradita est à nobis, eadem de Lunæ domicilijs, domiciliorumq; interstitijs inter se ac planetarum domicilia si tradatur, eadem profecto obseruationis huius uanitas inuenietur. Multa quoq; Astrologi ueteres à regum ac magistratuum gubernaculis ad stellas transtulere, ut cũ dicunt erraticas ipsas in thronis suis, & tanquã regia in sella perinde ut reges cõsulésue publice ius dicere. Vnde Ptolemæus ait stellas in suis quidem fulgoribus ac thronis constitutas tum dici, cũ in quibus reperiuntur signis ac locis duas saltẽ ineũdæ cũ eis familiaritatis causas, de quibus ante dictum est, nactæ fuerint, quod propter consimilis cognatæq; signorum qualitatis affinitatem, magnum inde sibi fauorem atq; adiumentum uendicent, magnaq; ex hac conuenientia, & quodam quasi animorum consensu fiat earum potestati ac iurisditioni accessio, ut uideri iure possint tanquã in solio sedẽtes ius mortalibus dicere, ac maiore cum autoritate potestatem in populis exercere. Id autem est eiusmodi: Iupiter inuentus in Geminis, in finibus suis, undecimo in loco, diurno etiam tempore, & à

loco

loco in quo lætatur, & à qualitate signi humecta & calida, & à conditione, est enim masculinum, atq; ex eo diurnum, mirificum ex hac ipsa conuenientia effectionibus suis adiumentum assumit, cum non mediocris etiam à potestate finium fiat accessio.

De parte Fortunæ. Cap. I.

IN loco autem ac parte Fortunæ plurimum etiam autoritatis uno omnes ore Astrologi repositũ esse consentiunt. Cuius tamẽ rei ratio cũ nõ extet ab illis tradita, uidetur à nobis qui non tam facile dictis illorũ acquiescimus, diligentius perquirenda: cũ ex tanta credulitate id deniq; effectũ sit, ut peruagata ferè habeantur & uana, quæ de cœli significationibus, id est Astrologorum prædictis hodie feruntur in publicum. Quocirca uisum est, debere hoc ipsum à me quæri, cur disciplinæ huius constitutoribus placitum sit, inter alia nonnulla, quadã quasi sanctitate obseruanda præcipere ea, quæ de fortunæ parte hac traduntur, à qua quidem parte & loco potissimam ac maximã eorũ quæ in uita eueniunt portionẽ arbitrati sunt defluere. Itaq; ut sese habent in generatione materia et forma, rerũ principia, ut genus quod è mare constat & fœmina, ut tempus, in quo nihil non à natura efficitur, idq; è die ac nocte constituitur: sic sese habent Sol & Luna, ut generationis ipsius autores, & penè dixerim parẽtes, ut primæ quoq; ac potissimæ generationis et uitæ causæ. Præstruit enim Luna, aptatq; materiam, Sol autem inducit formam: hic diurnum moderatur tempus, illa nocturnum: Luna corpori præstat alimoniam, Sol animalitatem conseruat: nihil ille negligit eorum quæ spiritui ac sensibus, quæq; animato conferant corpori, nihil hæc eorum quæ ipsi accidunt homini: ut uterq; simul Sol ac Luna tum corporis sensuumq;, id est animalitatis, ac hominis deniq; ipsius, tum accidentium atq; euentorum, quæ in uita eius tam multa cõtingunt, tum autores, tum ministri prorsus uideantur ac suppeditatores. Cum autem horoscopus, uti dictum est, nascentis hominis animalitatem indicet, animæq; eius cum corpore conglutinationem, cui rei Sol, ut dictum est, præest: erit ascendens ipsum Solis iurisditioni in hominis genitura subiectum, cui in uniuersa uita ius à Sole ipso dicetur: quo fit, ut nati horoscopus in genitura Soli addicatur. Atqui Luna ubique potestatem in his suam cum Sole simul exercet, ac iuxtà etiam præsidet: habent enim coniuncta tempora, diem & noctem, coniunctas actiones, materiam & formam, coniuncta domicilia, Leonem & Cancrum, coniuncta etiam loca, in quibus libentius ius dicunt, nonum atque octauum in cœli figuratione locum. Par est igitur in nascentium genituris, uti Sol quidem horoscopum sibi assumat, Luna uero ut

aliquod etiam sibi ascendens pro socia potestate uendicet, quo parte ex omni rerum se nostrarum communes uterq; exhibeant tum autores, tum ministros & curatores, coniunctamq; simul potestatem exerceant. Dandum est igitur suum etiam Lunæ in genituris ascendens: quod autem esse illud debeat, quærendum relinquitur. Sed nec ascendens ipsum Lunæ ab ascendente genituræ, quod Solis est, distare par fuerit, nisi quantum Luna Sole ab ipso abesse comperta fuerit genituræ tempore, quo ascendētia etiā utriusq; loca eadem simul distantiæ ratione iungantur. Iungentur autem ratione eadem, si quot significri partes inter Solem ac Lunam interiectæ fuerint horæ genituræ numeraueris, ipsæq; tot rursum partes ab ascendentis primæ parte retro progrediens collegeris, quibus pòst collectis quo in locò numerus ipse partium omnium desierit, illic fortunæ partem, hoc est Lunæ ascendens constitueris. Quæ constitutio ita quidem constare mihi uisa est, ut omni è parte eius constituendæ ratio examußim sibi consentiat, atq; undecunq; quadret. De qualitatibus autem partis ac loci huius, deq; significationibus eius uberius suo loco dicetur.

De stellis quando masculas uires suscipiunt, quando fœmineas. Cap. II.

NEc uero una tantum uia stellarum uires incrementum accipiunt, aut damnum, cum mutare etiam genus secundum ipsarum situm ac statum existimentur: quod huiusmodi quidem est, ut stellæ ob qualitates quibus præsunt, aliæ dicantur masculinæ, contrà aliæ fœmininæ. Putantur autem fœmineæ qualitatis Venus ac Luna, propter humidi, cui dominantur, naturam: siquidem humidū ipsum in generatione materiam sumministrat. Sol uero existimatur esse uirium masculorum propter calorem, quem excitat, cuius proprium est formam inducere calefaciendo humidum, atq; animando calefactum. Masculorum etiam uirium habentur Iupiter ac Mars propter calorem. Mercuriū mediæ naturæ putauerunt, unde Poëtæ genitum ex eo hermaphroditum fingunt, siquidem stella eius nunc humidum abunde euocat, nunc uehementer exiccat pro situ suo ac motu. Mutantur uero, ac modò quidē augentur, modò uero minuūtur qualitates hæ: tum tempore, nam calor augetur die, minuitur nocte, contrario modo humidum: eadem quoq; est frigidi & sicci ratio, frigidum enim sequitur noctem, siccum potius diem: tum regione & situ, etenim masculescunt stellæ constitutæ in eo cœli quadrante ac tractu qui est ab oriente cardine ad cœli medium, & in opposito item quadrante qui ab occasu in imum protenditur: contrà fœminescunt duabus in reliquis cœli quadris, hoc est ea quæ cœli culmine occasuq; continetur, & ea quæ il

linc

hinc, imò hinc continetur exortu. Nec uero quod nunc dicimus eò spectat, ut mutare genus stellas credamus, quod nullum est in cœlo: uerum ut qui cœli decreta promulgant, facilius intellegant cœli ipsius uires nunc maiores, contrà nunc remissiores esse, quod in rebus ipsis nostris uidemus, nanq; regionum qualitates pro temporum qualitate & remittuntur & intenduntur: dies item ipse idem illud patitur, quod uita etiam nostra patitur, quæ non modo pro qualitate anni temporum, uerumetiam ætatum mutatur, nunc crescendo, nunc decrescendo, cum assiduo in motu ac uarietate uersetur. Nec uero mirum sit cuiquam, quadrantem ipsum qui est ad imum ab occasu concalescere, quemadmodum concalescit propter assurgentem Solem quadrans ille, qui est ad medium ab exortu. Siquidem qui noster occasus est, is subterraneis regionibus, id est terris habitationi nostræ aduersis Solis ortum denunciat, contrà exortus occasum. Mutantur etiam stellæ pro habitu ad Solem suo, ut quasi masculescant, hoc est maioribus utantur uiribus, cum à Solis complexu digressæ antecedentesq;, matutinis oriuntur tẽporibus. Matutina enim qualitas robur maius, &, ut ita dicam, masculas sumministrat uires, tum propter suum à Sole digressum, orientisq; cœli regionem, tum propter stellarum adolescentiam. Contrà debiles eas atq; imbecillas uespertina reddit conditio, ubi Solem subsequuntur tanquam fessæ decurso spatio, atq; senescentes, qua è re stellæ ipsæ uidentur quodammodo fœminescere. Quod si de cœlo & stellis cũ loquimur, non alijs uerbis utimur, quàm ubi de animaliũ qualitate, genere, ætate, moribusq; disserimus, merebimur iure ueniam, quando alijs uti uerbis quàm tralatitijs nequimus: quam ueniã, ubicũq; locus ac sermo exigat, dandã nobis deposcimus.

De collocatione planetarum in angulis. Cap. III.

IN perscrutandis autem stellarum uiribus atq; effectionibus hoc quoq; seruandum uidetur, ut non signa modo ac loca cœli Solisq; uel antegressio, uel subsecutio, status item seu uespertinus, seu matutinus, ad hæc tũ incessus repedatioq;, tum diurna, nocturnaq; conditio, ac quadrantum posituræ probe inspiciantur, uerumetiam suis ut numeris, exactaq; ratione colligantur cœli quoq; totius cardines, hoc est ortus, occasus, medij atq; imi partes. Stellæ nanq; in illis, fenitimisq; in partibus, præsertim succedentibus collocatæ plurimum in utranq; partem ad felicitatem, infelicitatémue sibi uendicant, angulorum ipsorum autoritate munitæ. Etenim in cœli medij culmine constitutæ, proximisq; in partibus, uires regias, regiamq; potestatem adeptæ uidentur. Qui è re quod aut benigne promittunt, aut aduersus minantur mali, nisi potentioribus impediantur radijs, constantissime præstant. Verum de an-

gulorum obseruatione, planetarũq; in illis consistentium, suo loco plenius dicetur, nunc satis sit de efficacibus illorum uiribus pauca quædam disserere. Igitur medij cœli prærogatiua, et (ut ita dixerim) maiestas augusta quidem est, cum locus ipse teneat mundi totius culmen: quo è loco radij cum in terras iaciantur quam rectissimi, ijdem in res inferiores illabuntur quam potentissimi. At ab ortu atq; occasu cum non recti, sed obliqui potius, neq; superioribus deferantur è locis, imbecilliores, minusq; ualentes sunt. Cuius rei idem Sol, ijdemq; Solares radij nunc è medio, nunc ab horoscopo, occasúue irradiãtes testes sunt locupletissimi. Quocirca propter loci maiestatẽ, radiorũq; ualentissimã proiectionem planeta in culmine collocatus plus habet uirium quàm in ortu, & in hoc ipso exortu amplius quàm in occasu. Ab ortu nanq; radij ad nos cum luce ueniunt, ab occasu eripiuntur cum luce simul. Quoniam autem de occasus atq; imi cœli angulis dubitatio nõnulla incidit, hoc est utrius autoritas præferenda sit: placet Ptolemæi ipsius è primo Apotelesmatum libro uerba ponere, deinde autoris eius qui uerba ipsa explanauit. Ptolemæi uerba sunt hæc: Culminantes enim siue ad cœli culmen proficiscentes in primis potentes sunt, secundo autem loco, quando in ipso finitore fuerint, siue ad illum accedentes feruntur, magisq; cum in orientali, minus uero cum sub terris imo in loco culminauerint, siue alia ratione orientali loco configurantur, aliter uero constituti imbecilli prorsus sunt. Verba hæc ipsa Ptolemæi (cum duo sint finitores, alter ad ortum, alter ad occasum) uidentur innuere, planetam in occiduo finitore collocatum minus ualidis uti uiribus, quàm cum in orientali, hoc est efficaciæ multo maioris esse, cũ in ortu cõstitutus fuerit, quàm cũ in occasu. Cum autem subdit, Minus uero in angulo subterraneo collocatus, uidetur innuere, imum cœli locum quàm occasum autoritatis utique minoris esse, planetamq; illic constitutum uiribus uti non adeò ualentibus. At explanatoris uerba aliud omnino sentiunt. Nec uero cuiquam sit mirum, si orientales atque occidentales planetas dicimus, cum hæc duo uerba hodie tam sint in usu, & à recentioribus scriptoribus sic recepta, ut alijs ac maxime suis appellationibus uix utantur. Inquit igitur explanator: Orientales enim addentesq; ad numerum, potentes sunt: occidentales uero, numerumq; minuentes, imbecilli: in medio item cœli, seu in oriente constituti, potentes sunt: at in imo atq; in occidente, imbecilli. Nec multo pòst subdit: Primum quidem cœli medium, secundus est oriens, tertium imum, quartus occidẽs. Successionum autem prima quidem medij cœli, secunda horoscopi, tertia imi, quarta occasus. Quibus è uerbis planissime intellegitur, explanatorem, interpretemq; hunc imum cœlum præferre hac in parte occasui, hoc est stellam in occasu occiduoq; finitore positam, minoribus uiribus instructam esse

se, quàm quæ sit in imo cœlo collocata. Addentes ad numerum planetas dicimus, quos Græci προσθήτας uocant, hoc est ad motus suos appositos: imminuentes uero numerum, quos illi ἀφαιρέτας dicũt, quoniam de motu demant, tardioresq; effecti sint. Hac itaq; mensura & circumspectione uti Mathematicum oportet, in cœli atq; errantium stellarum significationibus primo expendẽdis, pòst etiam pronuntiandis: quo prædictio ipsa non solum à coniectura, uerumetiam à ratione, quantum assequi humanum potest ingenium, profecta apparcat, quantumq; disciplinæ institutæ, diuturna obseruatione comprobata doceant. Pro erraticarum enim loco, situ, signo, prærogatiua, configuratione, uiribus deniq;, atq; aspectibus aut fluentibus eis, aut nocentibus, significationes ipsæ, erraticarumq; effectiones futuræ sunt aut imbecilliores, ac minus certæ, aut magis ualentes, uiribusq; firmioribus præditæ.

Tertij libri de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD FRANCISCVM PVDERICVM, De rebus cœlestibus Lib. Quartus.

PROOEMIVM.



VMANIuis ingenij natura duce, quæ sciẽdi nobis cupiditatem infixit, cò cogitandi, differendiq; Francisce Puderice peruenit studijs, ut difficile dictu sit quantũ in omni rerũ fecerit cognitiõe operæpretiũ. Hac enim ipsa duce mortales nonnulli, quanquã perpauci illi quidẽ, nã in quoq; genere nisi perquã paucorũ uix existit perfectio, in id peruenere cogitandi assiduitate, ac perspiciendi acumine, cõiuncta etiã differẽdi argutia cũ diuidendi perpensione, iũdq; cõcludendi cautione ac ueritate, ut mundũ ipsum omnẽ, mortaliũq; atq; immortaliũ naturas ingenijs subiecerint suis, duplici uia progressi. Nã quò ratio ipsa quibus dictũ est artibus penetrare haud quaquam poterat, signa quæ rebus ipsis inessent, de quibus soliciti erant, quæq; indicia uiderentur habere earum naturæ, & secuti sunt illa, & contemplati. Quo effectum est, uti quæ ratione ac dissertionibus comprehendi minus poterant, diuturniore ex inspectione ea tandẽ in cognitionem deuenerint considerantißimorum hominum. Qua in obseruatione, subsecu-

tisq; illam coniecturis etiam maximæ uersantur facultates, eæq; potissimũ quæ non ingenij solum uiribus, uerumetiam corporis præsidio indigeant, cuiusmodi quidem sunt orandi, militãdi, medendiq; facultates. Verum ut fa cessere has à dictione nostra, hac nunc in parte & hoc in loco iubeamus, ex plorandis quidem ac cognoscendis hominum ingenijs, propensionibus, mo ribus, quid obseruatum olim ab illis fuerit, quid effectionibus ipsis cognitũ tum alij permulti ante Aristotelem, tum Aristoteles ipse & retulit fideli ter, & constantissime asseuerauit. Maior, inquit, frons animi segnitiem, mi nor instabilitatem, latior mentis agitationem, ad eamq; exercendam facili tatem, rotundior iracundiã indicat. Supercilia quoq; rectius porrecta mol litiem animi. secundum nares inflexa austeritatem non sine acerbitate, se cundum uero tempora dissimulatorem animum, ac derisorem, at omnino demissa inuidentem significant. Hæc principio studiosorum, ac perspica cium hominum & animaduertit sedulitas, & obseruauit diligentia. Quã uiam pòst ingressa ratio & capitis contextum, & cerebri posituram, qua litatem, quantitatemq; contemplata, eiusq; naturam pensitate dimensa, de animi quoq; ipsius applicationibus (etsi institutio ipsa, legesq; ciuiles, ac gentis studia in utranq; partem permultum ad mores ualent) & iudicium tulit, & causas est ipsas propensionum complexa. De auribus quoq; perin de atq; animorum indicibus signa hæc ab eodem autore perhibentur, quod earum quidem mediocritas proborum index sit morum: magnitudo uero, earumq; arrectio, aut stultitiæ aut loquacitatis. Ex oculis quoq; signa hæc animi propensionum traduntur: eorum angulos ubi quàm æquum est pro ductiores ipsi fuerint, morum esse peruersorum, improbitatis q; animorum indices: eosdem ubi naribus propius inhæsissent, animi malitiam indicare: ipsos uero oculos neq; penitiores, neq; nimis expositos atq; emissitios, sed mediocrem nactos situm, morum æqualitatem quandam promittere: me diocrem quoq; illorum conniuentiam, eandemq; temperatiorem, commo tionum animi temperamentum innuere: at qui rigidius conniuent, aut pro perantius, alteros impudentiæ, alteros inconstantiæ testes esse. Sed nec pe dum constitutio ab ijsdem fuit neglecta autoribus: ponam uerba non minus spectati quàm eruditi uiri Thessalonicensis Theodori, qui Aristotelis de animalibus libros fecit Latinos, cuius ego memoriæ tantum iudico tribuen dum, quantum illi qui in media rerum ignorantia lumen cæcutientibus, aut potius nihil uidentibus accenderit, tametsi ipse ut Græcus homo Latinis quibusdam literatoribus nimium fortasse indulsit. Eius uerba sunt hæc in Aristotelica translatione: Quibus hominibus plantæ pars interior nõ ca ua est, sed ita plena, ut solum toto attingat uestigio, ij uersuti sunt & fraudu lenti. De dentibus quoq; traduntur hæc, quibus animalibus plures insint,

ca ma-

ea magna è parte uiuaciora esse: quibus hominibus tum pauciores, tum rariores, eos plerunq; uitæ breuioris esse. Hanc itaq; uiã ad multa eaq; obscura & abdita diuturnior diligensq; aperuit obseruatio, præbuitq; ad illa aditum rationi. Ac tametsi frustratur aliquando obseruatio ob repentinos occursus, eosq; parum prouisos, in uniuersum tamen minime fallit, cõstatq; ipsa sibi ut explorata & uera. Igitur si pedum, frontis, superciliorum, si oculorum, aurium positus atq; contextio alia atq; alia etiã ad morum qualitates atq; affectus uarios, indicia significationesq; habent suas, quanto significantiora secum afferunt, certioraq; indicia, Solis, Lunæ, stellarumq; aliarum collocationes, habitus, configurationes? è quarum constitutionibus ac decretis & illa conformantur, & tantas inter se mutationes suscipiunt, ac uarietates, tum texturæ corporis totius, tum animi quoq; affectionum. Idem est autor Aristoteles, affectus ipsos nostros, sanguinis sequi cordis q; proportionem ac naturam: & cum purus, tenuis, fœcundus, calidus, fluens ille fuerit, & ubi contrà crassus, turbulentus, aridus, tepidus, exiguus, & cum alio atq; alio modo afficietur. Atqui affectiones illæ sanguinis à Sole Lunaq; potissimum atq; à stellis manant, quando inferior hæc natura superiore ab illa temperatur. Nec tibi autem Puderice, nec cuiquam uideri mirum debet, si tam sæpe eiusdem rei, tam etiam studiose commonemus Mathematicos, hortamurq; eos ad metiendum pensitate stellarum commixtiones ac temperaturas, è quibus tot, ac tam non modò uariæ, uerumetiam diuersæ & corporum formantur effigies, & animorum excitantur propensiones atq; affectus. Quæ ubi ualidiores fuerint, maioreq; autoritate præditæ, & ex obscurissimis parentibus illustres edunt fœtus, & ex illustribus maxime abiectos atq; obscuros, deq; formosis fœdos, rursumq; è deformibus & pulchros & peruenustos. Quod in frequentibus præsertim ciuitatibus ac populis penè quotidie & uidemus, & miramur contingere.

QVartus hic liber Erraticarum uires, quales quantæq; in rebus his inferioribus appareant, quæ item earum significationes sint ac decreta, continet. Quibus explicandis & ueterũ autoritatem, & probatissimi cuiusq; autoris cum primis sequimur, quantumq; ingenij nostri uires ferunt, physicis è causis rationes eruere, erutasq; in medium afferre moliti sumus ipsarum & uirium & significationum. Neq; enim uideri uolumus partem eam cognitionis, quæ cœlestibus agitationibus maxime est cognata, neglectam omnino deseruisse. Qua in re si traditio hæc nostra, manca, ut ingenij fert tenuitas, reperietur, in quo ueniam petere non erubescimus, compensabitur ab æquis fortasse lectoribus cum eo, quod primi quidem hæc prodimus, aliosq; ad perscru-

tandum solertius, hoc est ad tantam promerendam laudem labore indu-
striaq; hac nostra inuitamus, à Sole primũ exorsi, propter euidentiam ma-
gnitudinemq; eorum omnium quæ in elementis ipsis, elementaribusq; cor
poribus, illorumq; qualitatibus, quas uirtutes etiam ab Aristotele uocari
diximus, assidue efficit annua sua per signiferum euagatione atq; inces-
su, unde cuncta hæc quæ uidentur & oriuntur & occidunt, eq; alio in aliud
conuertuntur, pòst de Luna, deinceps de reliquis ordine suo dicemus.

De Sole. Cap. I.

PRincipio homo fit ex aliquo, quoniã ipse est aliquid, est enim
animatũ corpus, cuius principia sunt materia & forma, quæ
ubi in unum per generationẽ cõuenere atq; animã, accidit ijs
quæ gignuntur ea quæ dicitur uita, unde uiuẽtia dicũtur cor
pora, quæ ex ijs simul constant. Constat aũt uita ipsa è calore maxime, qui
humidũ ipsum animat, siquidem generatio è calido existit et humido: qui-
bus ut corpora ipsa quadrent, quando quadratio è contrariorum consti-
tutione manat, frigidũ adiungitur, quæ qualitas ferè humidi comes est: &
siccitas, quæ tum frigoris est, tum caloris socia, cuius cũ Sol ipse fons sit, erit
& uitæ idẽ quoq; ipse autor, atq; uiuentiũ pater. Iure igitur ad Solẽ gene-
ratio refertur, utpote formæ inductorẽ, uitæq; ipsius datorẽ atq; artificem.
Viuere autem homo ipse, quandiu spirat, dicitur: ergo & spiritus ipsi, qui
corpus mouent, qui sensus excitant, cogitationesq; ac mentẽ nostrã & fo-
uent & agitant, ad Solẽ quoq; referendi sunt, qui caloris est autor, quo etiã
autore spiritus ipsi uitam constituunt, constitutãq; conseruant, donec calor
ipse cum uita simul corpus tandem destituat. Quam ob rem uitalis ani-
mæ uis, qualitasq; spirituum, & ea quæ animalitas nouo nomine, ut dic-
tũ est, à nobis uocatur, Soli est attribuenda. Hæc aũt ipsa animalitas ac ui
ta lucis ipsius maxime mihi uidetur similis, quæ statim Sole se ab ortu osten
tante mundũ omnẽ illustrat: eaq; illustratio tandiu permanet, quandiu Sol
sub occasum se præcipitet, è qua præcipitatione tenebræ oriuntur, noxq;
exurgit luci contraria. Eadẽ ratione & uita uita nostra permanet, dum ca-
lor corpus ipsum fouet, quo destituente, uita recedit, morsq; repente sequi-
tur: ut calor ipse lux sit quodammodo corporis, perinde ut Sol est mundi.
Oportet aũt his in corporibus partẽ esse, sedemq; aliquã, in qua calor locũ
suum ac ius retineat, & tanquã in prætorio quodã exerceat, quo è loco cæ-
terũ corpus foueat, sotũq; inspiret & moueat. Hic aũt ipse caloris locus, ac
potius fomes quidam est cor, in quo calor ipse humido coniunctus, in uniq;
agens ac patiens uis conuenientes altera concoquendo, altera fouendo sese
de calore, sanguinem ingenerant, ingeneratũq; fœcundant & ad procrean-
dum &

dum & ad alendũ. Hæc autem ita se habere docent tum cordis ipsius constitutio, cum interius & cauũ & spissum sit: cauũ scilicet quo sanguinẽ contineat, quem per uenas diffundat: spissum uero, ut calorẽ tueatur, ne si rariũ sit, euanescat: tum etiam situs ipse ac positura, cum paulum ad leuam declinet, quo regionis ipsius frigida ui refrigeretur. Leua enim pars in homine præcipue est frigidior, contrà uero cor est omnium calidissimum. Qua è re principatus illi inter cæteras corporis partes membraq; attribuitur, efficiturq; ut cor ipsum iure Soli sit etiam dedicatum: dedicenturq; eidem & nerui, quibus multis præditum cor est, hiq; intendendo ac remittendo se se efficiunt ur caloris instrumenta tum ad motus alios, tum ad sentiendum: ut Sol, id est calor ab eo defluens sit quoddam quasi sensuum animæ, mentisq; concitabulũ etiam ad cogitandum atq; ad contemplandum. Siquidem titillationes illæ sensuum ac spirituum à calore proficiscuntur omnes, eæq; animæ subseruiunt, uiamq; illi aperiunt ad ea quæ intellectus propria esse dicũtur, unde nõ immerito à Cicerone animi ipsius satellites uocantur. Est autem radiorum Solis & caloris proprium propter tenuitatem atq; acumen ad interiora penetrare. Vt autem imperatori milites parent, milites uero ipsi armis quisq; suis instruũtur, Sol itẽ perinde atq; imperator in his se se gerit, sensus uero uti milites. Nerui, uenæ, præcordia, partes item reliquæ habendæ sunt ut arma, tela, sagittæ. Ad imperatorem uero cuncta referuntur. Quoniam autem calor, corporis lateribus tanquam uallo quodam continctur, ne exhalando euanescat, latera quoq; ipsa Solis esse dicuntur, & item caput, intra quod, corde ipso cerebrum ibidem conclusum calore suo fouente, copiasq; ac uires suas cum illo tanquam socio communicante, instrumenta uisus, auditus, olfactus, gustatus & mouet & afficit ad officium quodq; suum. Quapropter à priscis illis sentiẽtia, à recentioribus sensualia, sensuaq; dicta sunt animalia, qd' à calore, id est corde caloris ipsius fomite ad sentiendum moueantur. Nam & aqua lebete contenta ubi ignem sensit, quæ prius stagnabat, moueri statim incipit, moxq; pro caloris exagitantis temperamento plus minúsue feruescit. Quodq; lux est à Sole, oculi etiam ac potissimum dexter illi adiudicati sunt, nam de sinistro pòst dicemus Adiudicatur etiam Soli è coloribus aureus, licet color omnis in luce quidẽ appareat, quippe qui dempta luce nullus existit. Etenim aduentante Sole mane primo cum diffundi tenebræ, pauxillatimq; illustrari aër cernitur, qui cœli affectus Aurora est uocata, color quidem subrufus croceo immixtus apparere primũ incipit, quod in igne quoq; primũ accẽso cernitur: isq; paulatim rarescendo clarescit, donec clarissima illa illustratio, & fulgor toto pariter orbe cãdescat. Quocirca color is merito peculiaris esse Solis dicitur, quando aduentu eius primus hic in aëre color apparet. Merito

etiam è saporibus acutus atq; acer ad Solem refertur. Quid enim Solis rā dijs acutius, aut eius calore acrius? E terræ quoq; frugibus triticum hordeumq;, è metallis aurum Soli etiam dedicantur. An quia auro nec materia, nec colore, nec usu aliud inter metalla præstantius, nec quod à calore ipso concoctius sit, atq; defecatius? sicuti inter stellas nulla est nec luce, nec calefactione Soli comparabilis, nec è qua hominum præcipue genus maiorem sentiat utilitatem, quod idem è frumentorum commodis accidit mortalium generi. Quid quod tritici genus quoddā Martio mense seri, dum Sol Arietem peruagatur, oportet, natura seminis ipsius, agricolarumq; disciplina ex obseruatione profecta hoc postulante? Ac tametsi semen omne & herbarum & arborum ad Solem, ut generationis principem, referendum uidetur, tamen cum primis triticeum, quod, ut obseruatio docuit, perinde prouentum affert, ut aër è Solis affectione fuerit etiam ipse affectus, Luna simul operam suam conferente, quæ Solis ipsius minstra est, & (penè dixerim) uicaria. Siquidem ut in gignendo homine forma quidem est à patre, corpus uero à matre propter alimentū quod è materia suppeditatur, sic à Luna conferuntur alimenta corporibus quæ à Sole formam accepere. Vtq; una absoluam sententia, generandi uis omnis seminibus insita est à Sole, ut pote à principe, tametsi stellarum cæterarum accedit etiam opera, quemadmodum & uenarum & neruorum & arteriarum accedit opera cuiusque sua præsidio cordi. Ab ipso nanq; Sole ut ab autore ac principio generatio cum existat, itemq; à corde tanquam principio corporis totius procreatio ac uita, cætera quidem omnia quæ ad generationem ac uitam conferunt, perinde se habēt, ut media quædam instrumenta, quæ subministrandi fungantur officijs, obtemperentq; architecto, ad quem opificium ipsum & quidē totum refertur. At mihi quidē uideri illud idem in generatione solet, quod in bene constituta republica, ut magistratus unus temperatorq; rei totius quædam partim agat ipse per se, partim faciunda innuat, alijsq; peragenda permittat, quædam & gerat ipse, & aliorum simul in gerenda re utatur opera, alia uero nunc decernat ab his aut illis administranda, nunc imperet quibus sit obtemperandum, ac nunc præscribat, nunc geri ex officio cuiusq; rem, atq; ex usu annuat, ipse tandem unus ille ac solus sit, ad quem omnia referantur, & cuius nutu administrentur cuncta. Quoniam autem à calore, ut dictum est, spiritus excitantur, qui quo uehementior quidem fuerit, eo uehementiores hos excusitat: à quorum magnitudine, animorū quoque appetitiones incenduntur ad res magnas illas quidem, maximeq; honorabiles, hinc & prouinciarum præfecturas, & ciuitatum magistratus, principatus quoq; & populorum & nationum Solis stella sibi uendicat. Cumq; & honorum & dominatus duplex sit genus, alterumq; ad regendum,

dum,atq; imperandum duntaxat ſpectet,ad Deorum immortalium cultum atq; ad religionem alterum, quamuis nõnunquam idem quoq; magiſtratus utrunq; exerceat,atq;,ut eſt apud Vergilium,

Rex idem hominum Phœbiq; ſacerdos:

Nimirum uterq; honor,utrunq; dominandi genus Soli aſcribendum uidetur, propter ſuam ipſius maieſtatem, numenq; auguſtiſſimum. Quocirca ſacerdotia,pontificatus, uaticinia, poteſtas ac iudicium uitæ & necis, magiſtratus,præfecturæ,principatus, regna,imperiaq; à Sole primum proue niũt: à quo etiã honores,tituli,faſces,coronæ,ſtatuæ,felicitatis,ciuilis q; bonorũ euenta,necnõ ab infimo ad ſummũ locũ euectio. Atq; hæc in bonis q dẽ externis. Ex animi uero bonis à Sole quoq; proficiſcũtur & intellegẽdi acumen,et ea uirtus quæ prouidentia dicitur,grauitas utẽ in conſulendo & quædã quaſi generoſitas,forma quoq; corporis,et ſpecioſa membrorũ compoſitio. Etenim cum ſit generationis pater ac formæ dator,iure à Sole ſpecies corporis uidetur exigenda. Cumq; idem ipſe ſit fons caloris, ac de calore ingenium foueatur, iure etiam intellegendi uis, quæq; intellegentia à priſcis dicta eſt, animiq; ipſius bona Solis poteſtati, beneficioq; aſcribenda ſunt, pro illius ſcilicet ſtatu ac temperatione, genituræ cuiuſq; tempore. Ab hoc etiam quod formam materiæ, uitamq; indat corpori, pater quiſ ſit & qualis in filij genitura, patrisq; item ſtatus, aperte indicatur, atque ab ipſo Sole quærendus eſt. Et uero ut rerum ſubſtantijs ſuo quidem iure conuncta ſtatim quædam ſunt, quæ illas naturaliter ſequuntur,ijſq; tanquam affixa inhærent: ſic Solem, Lunam, ſtellasq; alias earum effectiones ac uires, perinde ac ex ijs quæpiam dominatum in genituris ſuſceperit, permulta inſequuntur quæ pòſt & in ijs quæ ad corpus ac ſenſus, & in illis quæ ad animum,uitæq; actiones pertinent,ſeſe oſtendunt. An quod in cæpa, halio, ruta,ſiſymbrio uſuuenit, non eueniet in illis à quibus hæc ipſa exiſtunt? & à quibus affciuntur, conſeruantur, deniq; etiam corrumpuntur, atq; è corruptione intereunt,& in alia pòſt atq; alia couuertuntur.

De Luna. Cap. II.

QVod autem in generatione Luna ſumminiſtratrix ſit materiæ propter humidum, cui præeſt, ſitq; Solaris lucis uicaria quaſi quædam,de illius enim radijs illuſtratur,aliaq; inde ipſa illuſtrat, quodq; ab illa ſuſcitatum eſt humidũ, adulterino,ut ita dixerim,foueatur calore,idcirco Solis in generatione & comes habetur & ſocia, perindeq; ut patris uices Sol, ita maternas Luna in generatione uices retinet. Hæc uero ipſa hominum generationi quantopere conſentiant,illud planè docet, quod genera ipſa animalium, eorumq; potiſſimum

quæ sanguine constant, in mares diuiduntur ac fœminas: & fœminæ quidem materiã tantũ, sanguinemq; excrementitiũ, quæq; menstrua dicuntur, ad generationẽ conferunt, mares aũt semen ipsum, quod calore suo menstruosam illã massam cogit, ac paulatim concoquendo fermentat, postmodũq; informat. Haud dissimiliter Sol & Luna, maris alter, altera fœminæ subeuntes officium, animantium generationi consulunt, Sol calorem, Luna humidum suggerendo, quo fit ut genitale semen et calidũ sit & humidũ. Atq; ut à matre infanti præbentur alimenta, sic à Luna uires animato corpori sumministrantur, quas assidua peruagatione ac reuisione quasi quadam à Sole primum, deinde cæteris à planetis mutuatur: quo fit ut uitæ, animalitatisq; sit etiam particeps in cuiusq; genitura, actum matris, tum materni status indicatrix: quinetiã ut concepti in utero fœtus significationem ac dominatum obtineat, quippe quæ discursibus agitationibusq; suis fœtũ ipsum assidue fermentet, cõsummandæq; informationi apparet, qui postmodum de Lunæ ipsius alimonia, deq; Solis calefactione fotus, tandemq; perfectus ac consummatus in lucem editur, editusq; inter uiuentes numeratur, An non è qua materia concipitur, ex eadem quoq; in utero fœtus alitur, calore illam concoquente? Etenim materiæ ipsi ut uis procreationi commoda, sic etiam educandis fœtibus insita est idonea ac perutilis. Eiusdem etiã Lunæ ius est in utero ac uulua, quæq; hodie à physicis matrix dicitur, in qua fœtus ipse & concipitur & fouetur, in mammis item è quibus lac manat, infantulorum alimentum: quæ duo muliebria membra sunt, alterum quidẽ ad concipiendum fouendumq; à natura constitutum, alterũ uero ad educandum, postquam in lucem fœtus uenerit. Ad hæc cum sit Solaris etiam luminis, ut dictum est, uicaria, & (ut ait Aristoteles) paruus quidem Sol, sinister ei oculus in corpore attribuitur, ut ocularis etiam luminis sit cum Sole particeps. Quinetiam quod generationis ac luminis socia, uitæq; simul custos est, ab eadem ipsa corporis quoq; status quærendus est, aspectusq; ipsius qualitas, & ea quæ effigies dicitur, exigenda. E membris quoq; interioribus præcipue dominatur stomacho, utpote receptaculo eorum omnium quibus corpus alitur, uentri quoq; uesicæq;, quibus cibi potionisq; excrementa deijciuntur. Potissimum uero in cerebro potestatem suam exercet, quod ita quidem sese habet ad cor, quemadmodum ipsa ad Solem Luna. Nam quod mediocritas temperatis constet è contrarijs, idcirco temperando cordis calori cerebrum obiectum est, natura sua frigidum atq; humidum, similiter etiam temperandis commotionibus, quarum principium sit in corde constitutum, cum cerebrum ipsum omni prorsus sensu sit uacuum, utpote summum in modum frigens humensq;, cui quidem qualitati Luna præsidet. Qua è re qui cerebrum male affectum habent, atq; ex eo uitio re-

pente

pente cadunt, Lunatici dicuntur. Lunaris etiam iuris est membrana cerebrum ipsum complexa, quem panniculum sunt qui hodie uocent: inter præcordia dominatur lieni. Neq; enim aut iniuria, aut ab re quidem membrum hoc Lunæ ascribunt, ut quemadmodũ Soli cor propter simles utriusq; potestates, sic Lunæ lienis dedicetur: trahit enim ad se, quod Lunæ proprium est, superfluentem humorem è uentriculo, quem concoquat: nam & lienis sanguineus est, iecinoriq; opitulatur. Præterea quia cum Sole coit, & tanquam uxorias cum illo exercet uices, coniugium quoq;, coniugalisq; societas, quæ suscipiendæ prolis gratia initur, à Luna quærẽda est in genituris. Qua de ratione, socia illa uiri uxoris q; in administranda re familiari cura, ad Lunam quoq; merito quidem pertinet. Eadem etiam dominas, reginas, augustas propter Solis uicariatum denunciat. Et quoniam, sicuti supra diximus, necesse est plurima, maximeq; diuersa in hominum uita contingere, unde & in externis bonis, quæ fortuita etiam dicuntur, multa sub inde accidunt, lucra quidem ipsa, item & damna, & bonorum augmenta, iacturæq; maritimæ, item uectationes, comportationes, mercimonia, & quibus merces ipsæ deuehuntur nauigia, ad Lunam quoq; referenda sunt. Propter uarietatem enim inconstantiamq; luminis, ac celeritatem discursuum ac traiectionũ eius nunc ad hanc, nunc ad illam stellam corpore, intutúue se se adiungentis, atque ab alia ad aliam defluentis, uarietates hæ in hominum actionibus euentis q; contingunt. Quocirca iure hæc omnia Lunæ ascripta sunt: simili etiam ratione itinera, peragrationes, & qui errores uocantur, quales ab Homero Vlyssis dicuntur fuisse. Quidam enim nõ tam negotiorum gratia, quàm diuagandi cupiditate trahuntur, ac palantes errant, hos errones maiores nostri à uoluntarijs erroribus uocauere: inde enim errare sunt dicti, quod nunquam consistant, & ab alijs ad alias terras incertitudine quadam cupiditatum studiorũmque suorum ferantur, huc atque illuc passim uaganterq; diuertentes. Ex ijs uero quæ ad domesticum censum, remq; familiarem pertinent, Luna ignobiliori sordidioriq; præest supellectili. Siquidem Lunæ corpus suapte natura mirifice opacum est, atq; ex eo inter erraticarum corpora satis ignobile propter maculas quæ in illo apparent, cũ reliquarũ corpora insignia sint, singularemq; nitorẽ præ se ferant: unde plebẽ significare dicitur, ignobilissimã ciuitatis ipsius partẽ. Præest etiam uitro, quando illud perinde ut aqua colorẽ quidem omnem accipit, prospectumq; intra se oculorum admittit, utrunque enim perspicuum est, naturæq; persimilis. E coloribus autem attribuitur Lunæ uiridis. siquidem etiam arbores & herbæ, quæ à Luna potissimum ali creduntur, foliis frondibusq; uiridibus uestiuntur, cæq; humido uel plurimũ abundant. An nõ ligna foco admota, quo plus habẽt humoris, eo ex ijs

incensis flamma uiridior exilit? Veteres tamen non iniuria putauerunt album Lunæ colorem attribuendum, aquis enim dominatur: quæ ubi concreuerint, inalbescunt. Nec temere à Vergilio quanquam fabulose dictum est:

Munere quinetiam lanæ, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit,
Per nemora alta uocans, nec tu aspernata uocantem.

Inter sapores quoq; is qui salsus est, Lunæ putatur peculiaris: nam cum in arido sapor concipiatur & quidem madefacto, cumq; ariditas atq; salsitudo terræ sit propria, nimirum terram ui sua propriaq; irradiatione humectans, iure saporẽ hunc Luna sibi uendicat. Sinistræ quoq; partes omnes nostri corporis Lunæ subiectæ sunt, quemadmodum Soli dexteræ. Quocirca partes ipsæ dexteræ masculorum, id est robustiorum sunt uirium, sinistræ imbecilliorum, fœmineæ nanq; ubiq; imbecillæ sunt: quando mariũ est agere, fœminarum uero pati, & Sol quidem agendo formam inducit, patiendo autem Luna eam suscipit. Quodq; à duobus his generatio quasi parentibus à quibusdam fiat, iure corporum dominatus utriq; permittitur, atque huic ut matri sinistræ partes, illi dexteræ ut patri conceduntur. Reliquæ uero stellæ partim huic, partim illi in generatione assunt, perinde ut huic quàm illi magis conciliantur, tum qualitate ac natura, tum etiam conditione. Qua de re statim dicemus.

De quatuor elementis, & quinque planetis. Cap. III.

QVatuor hæc corpora quæ rerum inferiorum naturam & constituunt & referunt, ita quidem inter se propter adiunctas qualitates connexa sunt, ut secerni tantum ingenio, re autem nullo modo possint. Siquidem terra sic est arida, aqua sic frigida, aër sic humidus, ignis sic calidus, ut nec terra sine frigore, nec aqua sine humido, neque aër absque calore, aut ignis sine arido usquam in his sit. Cum in ipso etiam terræ corpore insint hæc omnia, nam & aquarum fontes riuiq; è terra manant, & ignes plurimis è locis scintillant, ac tam multi halitus euaporationesq; ex ea euolant, quàm quotidie ac singulis penè momentis uidentur & sentiuntur. Quocirca composita cum inter se sint, neq; enim aliter conuertibilia essent, aut ulla ad generationem aperiretur uia, corpora quoq; ipsa nostra quæ ex illis cõstant, cum sint etiã composita, mixturas longe plurimas in se ut habeant necesse est: quo etiã fit, ut tam multæ corporum, ingeniorumq; uarietates & sint, & re ipsa uideãtur in nobis. Nihil omnino profecerit in generatione Sol, omnisq; eius actio frustra cesserit, ubi humidum in quo se exerceat, nullum fuerit: nihil

in

in uiuentibus atq; sentiẽtibus cor, aut aliud quippiam cordi simile absq; cerebro, aut humido aliquo cerebri quamsimillimo. Sunt adminiculatores utriusq;, & , penè dixerim, famuli, nerui, uenæ, arteriæ, pulmones, iecur, lienis, renes. Eadem ratione & uia Saturnus, Iupiter, Mars, Venus ac Mercurius in generatione constituendis q̃; corporibus, Lunæ Solisq̃; socij atq; adiutores sunt: quà è re uarietates ipsæ etiam innumerabiles, ut dictũ est, proueniunt & corporum & ingeniorum, cum eorum unusquisq; miscendis fermentandis q̃; corporum humoribus operam suam conferat, suoq̃; fungatur officio. Cuiusq; enim pro natura sua talis est opera, qualis est ad Solem, Lunam, stellasq̃; inter se alias figuratio, atq; in Zodiaco positura, ut tametsi Sol & Luna principes generationis ipsi sunt, erraticæ tamen cæteræ & per se, & per configurationes plurimum etiam generationi conferant. Neq; enim absq; illarum opera auxilioq̃; uarietates ipsæ prouenirent tam multæ cum corporum, tum etiam ingeniorũ, quin generatio ipsa manca quidem esset, nihilq̃; in suo existeret genere perfectum atq; consummatum. Quod si & mare & aër pro uentorum agitatione uariat, & quæ parẽtia natura sunt, si eorum quæ imperant præscriptis obediunt, cũ etiam à natura ipsa nihil frustra constitutum sit, plurimum quoq; ad has ipsas mixturarum uarietates, quinq; erraticarum motus conferent: nam ex illarum uaria commotione posituraq̃; uarietas quoq; corporum atq; ingeniorum prouenit. Cor etiam licet & spirandi, postmodum & loquendi causa primaria sit, præstare tamen hoc neutiq; potest absq; pulmonum, arteriarum & linguæ ministerio. Ante tamen quàm de his dicam, non alienum fuerit, quid Ptolemæus, quid Porphyrius quoque de membrorum attributionibus sentiant referre. Putat enim Ptolemæus Saturnum dextræ auri præesse, ad hæc & ueficæ, & lieni, & ossibus, & pituitæ, Iouem pulmoni, arterijs & genitali semini, Martem sinistræ auri, uenis, renibus, genitalibus, Solem aspectui, cerebro, cordi, neruis, atq; in uniuersum dextris corporis partibus, Venerem odoratui, iecinori, carni, Mercurium sermoni, linguæ, felli, & naribus, Lunam gustui, stomacho, uentriculo, uentri, uuluæ, partibusq; sinistris omnibus. Porphyrius à Ptolemæo dissentit in quibusdam, ut qui existimet Ioui & hepar, & neruos, & quæ sub stomachum sunt, tribuenda esse, Marti sanguinem, renes, meatusq̃; genitalis seminis, Veneri pulmonem ac fel, Mercurio auditum, arteriam, ac linguam. Huic parti illud etiam accedet, ut quod Zodiaci signum cui corporis nostri membro imperet, explicemus.

De duodecim ſignis, & corporis noſtri membris. Cap. IIII.



Licet enim à Sole ac Luna, tanquam generationis autoribus, corporis ipſius proficiſcatur informatio, ipſa tamen duodecim ſigna per quæ ſtellæ ferũtur, diſponendis membris partibuſq; corporis cæteris operã cũ primis ſuã confrũt. Motus nanq; cũ generationis ipſius cauſa ſit, quæ mouentur cœli loca præſertim ſigniferi uel maxime opitulantur generationi. Etenim motus ipſe per ea quæ mouẽtur corpora, opus ſuũ perficit. Singulis autẽ corporibus ac ſignis ſuã ineſſe uim tum natura ipſa rerũ, tum obſeruatio tot ſeculorũ, & docuit iam & aßidue docet. Ineſt agris ac terris & ſua cuiq; uis: uidelicet non inerit cœlo? eiq; præſertim cœli parti, quæ ſignifera eſt, per quam tanquã coloni ſemina diſpergentes erraticæ ſtellæ uires ſuas diffundunt, propriasq; facultates illius facultatibus miſcẽt. Quã ob rem ordine ſuo ab Ariete, quod primum ſignũ eſt, atq; à capite, quod etiã primũ corporis noſtri locũ obtinet, diſtributionẽ fecere, hac quidẽ ratione, ut Aries præſideret uniuerſo capiti Taurus collo, ceruici, iugulo, Gemini humeris, ſcapulis, lacertis, manibus, Cancer pectori, coſtis, lateribus, Leo tranſuerſo ſepto, quod Græce eſt διάφραγμα, & ſtomacho & uentri, Virgo præcordijs, quæq; nonnulli uocant ſubchartilaginoſa, Græce ſunt ὑποχόνδρια, & ilibus, Libra renibus uertebris, clunibus, Scorpius pudendis ac genitalibus locis, Sagittarius femoribus, coxisq; inguinũ tenus, Capricornus genibus ac poplitibus, Aquarius ſuris, tibijs ac talis, Piſces pedibus. Quã uero appoſite, illud docet qđ homo capite ac pedibus totus includitur, cœleſtis uero cingulus Ariete ac Piſcibus. Quãobrem non incõcinne Iulius Maternus dicit. Caput hominis in ſigno Arietis eſt, ceruix in Tauro, humeri in Geminis, cor in Cancro: ſignificare illud uolens, partes has noſtri corporis illis ſigniferi partibus aſcriptas eſſe. Idẽ etiã dicit, pectus et ſtomachũ eſſe in Leone, uentrẽ in Virgine, renes ac uertebras in Libra, naturã in Scorpio, femora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibias in Aquario, pedes in Piſcibus. Hæc aũt ita ſe habere, effectiones ipſæ ſignorũ pro beneuola maleuoláue ſtellarum configuratione ac ſitu genituræ tempore, manifeſtißime declarant. Siquidem ægritudines, tubercula, uitia, uulnera, maliq; membrorũ habitus ratione hac colliguntur. Propter domicilij aũt familiaritatẽ erraticæ ſingulæ in partem ſocietatẽq; dominatus membrorũ recipiuntur à ſignis illis, quibus ſtellæ ipſæ præſident. Etenim Mars propter Arietem & Scorpium, domeſticũ utrunq; ſignum, ius quoq; ſuum in capite ac pube exercet. Venus in collo, ceruice, renibus, natibusq;, propter Taurũ ac Libram. Mercurius in ſcapulis, brachijs, manibus, præcordijs, locisq; chartilaginoſis, ilibus

quoq;

quoq;, Geminorum ac Virginis gratia. Luna in pectore, costis q;, propter Cancrum. Sol in transuerso septo, stomacho, uentre, propter Leonis domesticam coniunctionem. Saturnus in genibus, tibijs q;, propter Capricornum atq; Aquarium. Iupiter in femoribus ac pedibus, quoniam in Sagittario ac Piscibus domum sortitus est suam.

De Saturno. Cap. V.

STella Saturni, ut quæ Solis est Lunæq; in generatione adiutrix, aridum simul ac frigidum fouet, quodq; Solis est etiam exiccare, Soli hac in parte, hocq; auxilij genere opitulatur: nec minus etiam fouendi frigoris gratia subseruit Lunæ, itaq; propter qualitatum communicationem, socias utriq; uires adiungit, quocirca terrenæ præesse qualitati existimatur. Cum autem neq; generatio fiat sine calido, cuius comes est siccitas, neq; absq; humido, cui libenter comitatur frigiditas, cum etiã terræ, quæ una è quatuor principijs est, Saturnus dominetur, illiusq; qualitates foueat, merito Soli Lunæq; in generando atq; corrumpendo stella hæc adesse dicitur. Quinetiam quia frigus aquæ quam peculiarissimũ est, siquidem frigiditas ex erraticis solius Saturni perquàm familiaris est, atq; inter elementa aquæ ipsius propria, illiq; à natura addicta (Vtimur autem libenter his dictionibus, frigiditas, humiditas, caliditas, quippe cũ significantius quàm frigus, q̃ humidũ, quàm calor, innuant quod animo cogitationeq; intẽditur) Lunæ quoq; hac in parte Saturni stella socia efficitur in eo humore cõseruando, quod φλέγμα Græci uocãt, Latine pituita est, ut sæpe diximus. Quo fit, ut huic humori, qui in corpore animantium ineſt, Saturnus etiam dominetur. Nec uero mirum cuiquam uideri debet, in Saturno illud usuuenire, quod in uentis quoq; euenit, quando, ut Aristoteles ait, subsolanus qui calidus simul & siccus est (ab ortu enim spirat) facile uentum in meridianũ transit, qui calido humidoq; temperatur, uidelicet propter regionum confinia, calidiq; cõmunicationem. Quod & auster etiã facit ob humidi cõmunicationem, transiens in fauoniũ humidum ac frigentem, pro cardinis occidui natura. Ad hæc cũ duæ tantũ erraticis è stellis maleficæ sint, Martis quidem ac Saturni, duoq; sint etiã nocui humorum excessus, è calido scilicet atq; humido, bene perspectũ uidetur, ut Marti quidẽ è calido, Saturno uero qui ex humido excessus est, dedicetur: alter enim ob exustionẽ prolabitur in nimiã ariditatẽ, quæ exitiosa & lethalis, alter de nimio madore in frigidum. Neq; enim prolabi in excessum humiditas potest, nisi ob caloris defectum, è quo frigus existit. Nõ temere igitur hac ratione & uia pituita in Saturni iurisditionẽ cõcesserit. Cui opinioni tam multorum seculorũ, ac doctissimorũ hominum obseruatio accedit,

dit, quæ plurimum in omni disciplina & cognitione ualet. Nam & senectus arida cum sit ac frigida, humescit tamen extrinsecus, efficiturq; uetera nosa. Est enim Veternus siue habitus humidior senilis corporis, dum excrementa non concoquit, siue morbus qui de superfluenti humectatione gignitur. Necnon Saturnus & mari, ac nautis, nauticamq; præsidet exercentibus. Tametsi nequaquam omnia quæ inferioribus his corporibus accidunt, qualitatibus ascribenda sunt potius quàm insitæ cuidam ui cœlestibus illis corporibus, quod res ipsa comprobat. In eodem etiam animalium corpore, propter aridũ ac frigidũ, dominatur ossibus, quinetiã neruis, fiũt enim exiccato interiore à calore humido, constituendis illis idoneo, præterea intestinis, uesicæ, uuluæ, quæ neruosa admodum sunt, lieni quoq;, item genibus, poplitibus, ac tibijs propter Capricornum & Aquarium. Necuero Sol & Luna licet totius corporis principatum teneant, licet utraq; stella membris quibusdam peculiariter præsit, alias tamen stellas non admittunt in societatem, moderandorumq; membrorum ministerium, tanquam subministras quasdã officij sui: quẽ morẽ Reges quoq;, rerumq; publicarũ temperatores moderandis populis seruant. Eiusdem etiam stellæ potestati, propter insitam qualitatem ac uim, subijcitur plumbum, subijcitur materies, siue ea è ligno, siue è lapide constet, pleraq; enim ea terrenæ compactionis habent in se plurimum. Artifices quoq; qui in hac illáue materie se exercent, eidem stellæ subiecti putantur, item agricolæ, quiq; terræ culturã exercent, unde inuentor sationis ab antiquis fuisse Saturnus perhibetur, uitis item atq; insitionis repertor. Excitat autem stella hæc latentis atq; pernicioſos humores, quod in senibus maxime cernitur, cum ætas ea Saturninæ qualitatis sit, & eam præcipue bilem quæ atra dicitur, in corporibus nostris regit: unde ad eandem stellam referuntur morbi ex aqua inter cutem ex nimia alui deiectione, ac torminibus, intestinorumq; leuitate, coliq; dolore, atq; inflatione ex dolore articulorum, ex neruorum resolutione, ex grauedine, tussi, tabe, ex lienis dolore, tumore, malaq; affectiõe, hernia quoq;, quæq; fèbres cum frigore & horrore sunt, ac præsertim quartanæ, itẽ quæ ex uitijs ac morbis diuturnioribus ac lentis, quiq; tabem inducunt, sunt ad Saturnum referendæ. Quocirca quæ mortes à Saturno inferuntur, his è morbis originem ducunt: item mortes eæ quæ de naufragijs, aquarumq; submersionibus, suffocationibus, uenenis, ueneficijs, carceribus, uinculis, ad Saturnum referuntur propter syderis malignitatem, uimq; peculiariter ei insitam. Ab eodem etiam sunt sterilitas, orbitas, uiduitas, impuritas quoq; coitus in agendo, & patiendo, lites, captiuitas, expositio, mendicatio, luctus. Inficit etiam animos ob insitam malignitatem inuidia, auaritia, solicitudine, solitudinis studio, austeritate, simulatione, squalore, humilitate, abiectione,

abiectione, mœrore, triſtitia, fraudulentia, pigritia: quæ uitia Saturninam fermentationem in generatione comitantur, propter humoris aridi, frigidiq; qualitatem, aſtriq; ipſius naturam: cum etiam effectiones quædam occultæ atq; ignoratæ tum rebus alijs, tum uero herbis, etiam parum cognitis cauſis, inſint propriæ, ut herbæ cui nunc nomen eſt Scatapotio, & deijciendæ alui, & uomitus ciendi tanta uehementia. Sed nec minus complura etiam animorum bona ab eadem conferuntur ſtella, ut rectitudo conſiliorum atq; prudentia, ut rerũ occultarũ contemplatio atq; cognitio, item in agendis rebus cunctatio atq; penſitatio, ſeueritas quoq;, conſtantia firmitas, propoſitiq; pertinacia atq; victoria. Nec uero hac in parte meipſum aut puduerit aut piguerit pauculos uerſus ex Vrania referre, qui ſunt:

Nigra ſeni facies, tardus gradus, horrida barba,
Et cani crines, & membra effœta ſenecta.
Ingenio tamen ipſe bonus, nec inutile pectus
Conſilijs, conſtansq; animi, prudensq; futuri.

De atra bile. Cap. VI.

NEq; etiam ab re fuerit hoc præſertim loco de atra bile, hoc eſt de humore ipſo, quæ Græco nomine μελαγχολία eſt, aliquid diſſerere. Hic aũt humor ſupremũ quidem in modum quanquã eſt aridus, humor tamen eſt, quiq; ſanguinis calore feruentiore gignatur, atq; ab eo manet: quo fit, ut facile etiam tametſi refrixit, pòſt recaleſcat, ſeruetq; diutius calorem, de quo genitus eſt. Efficitur etiam ut humor hic ſit de calefactioue penetrabilis, ſit etiam tardior, quando lentiuſcule igneſcit, diutiusq; hac ipſa cauſa permaneat, cum non tam repente exhalet, aut in flammas euolet: ut cum lapis quiſpiam ignem concepit, neq; enim aut ſtatim, aut modo aliquo in flammas exilit, quin calorem potius conceptum diutius fouendo retinet, deq; eo non efflato candeſcit. Ac mihi quidem lapis is qui ſilex dicitur, atræ bilis perſimilis uidetur, qui ferro percuſſus, aut lapide alio attritus ignem conceptũ euomit: qua etiam ratione excitata bilis recaleſcit, mouetq; uim eam, cuius propriũ eſt cogitare ac contemplari, moxq; decernere. Atq; ut ignis accenſus querno in ſtipite & caleficit amplius, & calor ipſe diutius permanet quàm in populeo aut abiegno trũco: ſic humor hic uariat, pro natura fermẽtationis, cæterorũq; humorum cõmixtione, ac præſertim pro qualitate ſanguinis, de quo in initio tanquã liquefactus feruescendo atq; areſcendo prouenit. Quod in ebrijs facile apparet, cum idem uinum alios ad riſum excitet, ad lachrymas uero alios, hunc ipſum triſtitia, at gaudio illum alium afficiat, quoſdam ſilendi ſtudium, nonnullos loquendi importunitas ut capiat, facit: ſunt quoq; quos

in soporẽ, quos etiam in furorem uertat. Licet enim idem sit uinum, non eadem tamen est ebriorum omniũ cõcretio, humorumq; è quibus constant, mixtura: Cũ ex ignitis quoq; materijs fiat nõ una euaporatio, alia enim flamma euaporat ex abiete aut picea, alia ex alno aut uite, cum tamen ignis eadem natura sit. Quocirca propter huius ipsius humoris fixam stabilemq; qualitatem, quam ad artem quispiam animum applicuerit, humoris huius ductu, in ea exercenda fixiores, magisq; assiduas cogitationes habeat necesse est: quae è re cogitando assidue, perscrutando diligenter, mentem ubique continenterq; in ijs quae artis eius sunt, exercendo, in illa ut excelleat, omnino futurum est. Proficiscuntur etiam hac de causa ab eodem humore consilia recta, grauia, multum pensi habentia, atq; (ut ita dixerim) concocta propter cogitationum perscrutationũq; assiduam ac continuatam operam, ut cum ignis continuatus, diutiusq; liquandis herbis admotus est, num liquor ex illis manat maxime defecatus? Quãobrem licet Saturni stella malefica admodũ sit, & in corruptionẽ procliuior, probe tamen temperata in agendis rebus, consultandis dubijs, pertendendis propositis, causisq; explorandis maximam quoq; excellentiam parere consueuit. Nam & medici uenenis quibusdam, arte tamen industriaq; temperatis, sanitatem ægris repræsentant. Et uina licet salubria, tamen intemperanter sumpta, & animo & corpori plurimum nocent. Quoniã autẽ qualitatũ diuersitas, colorũ quoque ac saporũ diuersitatem affert, suus etiam tum color, tum sapor Saturno attribuẽdus est. Quocirca neq; de saporibus dulcis, qui humidi calidiq; plurimũ habet, uerum acerbus, qui & siccus est admodũ, atq; ad maturitatem nondum uenit, & attactu linguam, id est uim illam degustandi saporis astringit, & tanquam obstipat, quod est propriũ ficci atq; immaturi, Saturni proprius sapor est, qui de Græco etiam uerbo στύφω, Stypticus à medicis nostri temporis dicitur: cum dulcis utiq; saporis sit laxare linguam, uehementiusq; aperire propter humidum calidumq; abunde simul mixtũ, contrà succi sit acerbioris cogere, atq; contrahere propter aridi concretiq;, atque (ut proprie magis loquar) ob crudi immaturiq; conditionem. Saporẽ hunc Neapolitani Ponticum (ut arbitror) à pungendo dicunt, quo uerbo medici quoq; præsertim Campani libenter utuntur. Is autem sapor neque linguã acuit, neq; eo lingua acet, ut acidus recte dici queat, quando ab acendo acidum dicitur, indeq; etiam acetum: neq; acer est, cum acria sint caliditate diuscula, ac nonnunquam sternutamentum moueant: neq; austerus est, quanquam huic quàm illis propinquior uidetur. Siquidẽ austera neq; dulcia sunt, neq; aut acida aut acria, qui sapores aut blandiũtur linguæ, quod præstant dulcia, aut eam cogunt acescere, & tanquam à sensu ipso abhorrere, quod est acidi saporis proprium, aut linguam ipsam sic afficiunt, ut alia

quantus

quantulum calfaciant, nõnunquam etiam suburant, quod acer quidem sapor efficit: neq; (ut cõdem redeamus) est asper, cui quod lene aut mite est, opponitur: ac tametsi asperitas ipsa ad tactũ magis refertur, quàm ad saporẽ, tamen et gustatus quoq; ipse tactus est. Verum sapor hic, quem tum acerbũ tum ponticum, aut stypticum nouis appellationibus dicimus, linguã ipsam ita pungit, aut potius submordicat, ut neq; sapor ipse reformidetur ut acidus, neq; eo relaxetur lingua, quod euenit gustandis dulcibus, quin potius de submordicatione illa gustãdi uis astringitur, neq; modo ullo sensus ipse offenditur. Hanc ipsam gustandi affectionem ea quæ concocta nondum sunt, neq; maturitatem adhuc sentiunt, id est quæ acerba sunt, inducunt. Hi autem sapores in uino maxime distinguntur, cum uina quædam sint dulcia, quædam acida, quædam acria, & (ut hodie nonnulli parum in loquẽdo cauti appellant) fumosa, quædam lenia, aut contrà aspera, atq; alio nomine immatura, quæ tamen in ipsis dolijs sensim æstate matureſcunt: sunt etiam quædam austera, quæ medium quasi quoddam inter hæc retinent, habenturq; à medicis magnopere salubria, quorum sapor pontico huic finitimus est: de quo quidem hæc nunc differimus, quoniam non uidemus de hoc genere saporis à maioribus nostris ita disputatum, ut sapor hic ponticus distingui ab austero aperta ac discreta quadam poßit differentia, cum ponticus quàm austerus longe magis astringat, sentiaturq; in eo maior quædam siccitas, quam lingua etiam gustatu ipso refert: quod in demorso, mansoq; cydonio manifestissime sentitur. Ad hæc in hominum moribus institutionibusq; aliud est quod austerum, aliud quod siccum dicitur: abest enim à madore siccitas, unde sicci sobrij dicuntur, austeritas à lenitate recedit, inde austeri dicti, qui paulò seueriores sunt. Quinetiam inuenias uina quædam lenia, quæ pòst ad austeritatem transeunt, cum eadem ipsa lenia ponticum acerbumq; saporem nunquam assumant. Nec uero alienum uidetur, quid medici de saporibus ipsis sentiant, paucis referre. Omnino enim fieri saporem uolunt terrena è materia, eamq; aut crassam esse ac spissam, aut tenuem ac subtilem, aut forte inter has ipsas qualitates mediam: eandem quoque materiam aut calidam esse, aut frigidam, aut temperatam. Itaque terrena è materia, quæ crassa & spissa est, dum tamen sit calida, saporem educi amarum illum quidem: at frigida ubi fuerit, ponticum, hoc est acerbum, de quo satis multa iam diximus: dulcem uero è temperata & media. Tenuis uero ac subtilis materia cum fuerit, simul & calida, ex ea saporem existere acrem, quem & acutum nominant: at cum frigida, acidum: quæ si æqualis & media fuerit, unctosum & pinguem: ex ea autem quæ medium inter spissum tenet ac subtile, si calida ipsa est, saporem inde salsum exprimi, sin frigida, stypticum, de quo diximus, quod à pontico ali-

quantum distet: at ubi media, insipidum eundem ac fatuum. Acrem autem saporem amaro longe calidiorem, salsum uero ab utroq; calore superari, contrà ponticum stryptico frigidiorem, utrique uero cedere in frigore acidum. E coloribus autem neq; uiridis Saturno dicari potest, quod humidi plurimum habeat in se, neq; rufus, quod ignei succi abunde multũ, neq; niger, cum luci maxime aduersetur densitate sua, ac purpureus fiat è nigro à luce pòst illustrato, atq; ubi lucis aliquanto plus accesserit, transeat in croceum. Itaq; qui Græco nomine ὠχρὸς est, nostro pallidus ac subliuidus, atque, ut proprie magis loquamur, plumbeus, Saturno addictus est color, quemadmodũ è saporibus strypticus atq; acerbus, quem colorem radij quoque eius penè repræsentant: est autem color hic terreni maxime coloris similis. Terra enim exiccata atq; in puluerem redacta colorem hunc aut huius maxime similem refert, ita enim inalbescit, ut liuore tamen quodam retento perpalleat. Nec uero prætermittenda duximus quæ à Ptolemæo de Saturni stella scribuntur, tanquam ab optimo disciplinæ huius autore tradita: prætereuntes tamen non pauca, quæ ab eiusdem autoris studiosis aniliter quidem suggeruntur, utpote rerum naturæ parum peritis, quasdamq; coniecturas potius quàm aut rationem aut naturam sequentibus. Quoties igitur Saturnus in alicuius genitura ita sibi dominatum arrogauerit, ut solus ipse in tota configuratione, & quo ad cardines spectat, & quo ad motũ ac progressionem suam, item quo ad aspectus, reliquamq; posituram, cum Sole præsertim ac Luna, necnon cum Mercurio, qui rationis autor est, opportune dominanterq; se habeat, quadamq; quasi cum maiestate præsit, ex ipsius Ptolemæi sententia, natos faciet suijpsius amatores, sibiq; uacantes, pertinaces, abunde sapientes, austeros, suæ sententiæ addictos, laboriosos, dispensatores, animaduersores, affluentes, auaros, uehementes, pecuniarum aggestores, inuidos. Contrà uero ubi stella ipsa Saturni iacuerit, faciet sordidos, attenuatos, suæ etiam sententiæ addictos, inuidos, meticulosos, seductores, maledicos, solitarios, luctuosos, impudentes, superstitiosos, laboribus deditos, sine affectione, insidiatores domesticorum, tristes, suiq; metuosores.

De Ioue. Cap. VII.

IOuis stella quod humido calidoq; humori præsidet, putatur etiã præesse liberorũ procreationi, ac genitali semini, pariq; in generatione opera & Soli propter caloris sui temperantiam, et Lunæ propter humidi moderationem adminiculari. Itaq; non iniuria sobolis ad Iouem procreatio ab antiquis relata est, tamet si penes Solẽ Lunãq; generationis potestas, primaq; existit prærogatiua, sicuti

ficuti penes cor ac cerebrum uitæ, atq; animalitatis. Quod si de rebus his cœlestibus hunc in modum loqui mihi fas sit, quod semen genitale maribus præstat officium, quod manus, quodq; instrumenta ipsis artificibus, uidetur illud ipsum Iupiter in generatione Soli præstare. Etenim genitalis semimis cum sit calida humidaq; natura, insiti autem caloris uis cum sit moderata & temperans, retineatq; certum quasi terminum in humido calfaciendo, iure uidetur Iupiter ob insitam peculiaremq; temperantiam Soli, ut ita dixerim, semen sumministrare: eum quoq; aduersus Lunam sese gerere, quale sese gerit semen ipsum in muliebri menstruaq; materia, quam ipse calefaciendo & concoquendo sensim afficit ab insita quidem sibi facultate ac ui: cum semen ipsum, si Aristoteli credimus, excrementum sit alimenti sanguinei probe concocti, atq; ad exactum defecati. Loquimur aũt de his atq; disserimus hunc in modum, ueniam à lectoribus expoſcentes, cœlestia enim ac superna inferioribus aut coaptare, aut cõparare est omnino difficile, & fortasse accommodate fieri quoquouersum nequit. Eadem stella propter summum radiorum temperamentum & benefica & felix dicta est, atq; à iuuando nomen duxit: ab eius enim moderatione, salutariq; aspectu plurima in animis hominum infunduntur bona, ut æquitas rectitudoq; iudiciorum, ut iusti, honestiq;, ac ueritatis studium, ut amicitiarum, familiaritatumq; appetitio atq; cõseruatio, fratrum quoq; ac cognatorum complexio, & in eosdem beneuolentia, ut beneficentia, liberalitas, probitas, fides, promissorumq; obseruantia. Humorum enim quibus præest moderatio, stellæq; ipsius uis propria moderatas etiam commotiones in animis faciunt, easdemq; componunt: hacq; è re actiones ipsæ commotionibus similes proficiscuntur tum sequendis honestis, tum etiam fugiendis ac prohibendis turpibus. Purissimus enim cordis ipsius calor, ut inquit Aristoteles, cum hominis cerebrũ maxime humidũ sit, temperamentũ profecto intellectus significat. Non iniuria etiam tactus ipse ac uis ea, quæ tangendi sensum gignit, stellæ huic ascribitur: nullus enim è sensibus nec prius inhæret nobis, quàm tactus, nec etiam magis, cum nullum quidem sentiens corpus absq; humido calidoq;, cui Iupiter præsidet, uitali munere fungi queat: nullus etiam aliorum sensuum sine tactu existat, cum eo destituente, uita quoq; corpus destituat. Eiusdem etiam tactus proprium est, de calido, frigido, humido, siccoq; contrarijs qualitatibus, è quibus constamus, decernere. Si enim Iupiter & genitali semimi & fœtus procreationi præsidet, quod è fœtu prouenit animal, sine tactu esse nulla ratione potest. Itaq; tactui etiam sicuti procreationi Iupiter præsidebit, quinetiam pulmoni atq; arterijs, quæ spiritum corpori submiſtrant. Spiritus enim aërius est: nec temere ab antiquis præsidere aëri putatus est Iupiter. Femorum, coxa-

rumq; pedum item cura Ioui tribuitur, propter Sagittarium ac Piſces. Verum de duodecim ſignorum dominatu paulò ante dictum eſt. E metallis ſtagno præeſt: inter ſapores dulci, de quo paulò ante diximus. Quo fit, ut Iouis ſtella & uitam nobis afferat, quando ab eo exiſtit procreatio, & illam tueatur: ſiquidem dulcia potiſſimũ alunt, cuiuſmodi etiam ſanguis eſt, & ſapor ipſe dulcis è calido atq; humecto gignitur, quæ duo gignendi atq; alendi principia ſunt & cauſæ. Eſt etiam ſtellæ huius proprium moderari tum Saturni, tum Martis peruerſos conatus. Itaque eius fauore ac ſuffragijs recuperatur amiſſa libertas, reuocantur in patriam exules, principum iræ mitigantur, ſedantur odia, componuntur bella, quæq; aduerſa ac triſtia animum uexabant, commutata pòſt ſorte in lætitiam uertuntur ac felicitatẽ: perinde ut exacta iam hyeme, pulſiſq; frigoribus, appetente Vere, omnia mutantur: quæq; terræ ſterilitas fuerat, in fœcunditatem conuertitur, è tantaq; illa triſtitia aër ac terra liberati, lætari iam incipiunt, & cum illis ridere ſimul cuncta. Quoniam autem nihil in rebus hominum aliquando cœpit, quod deſiturũ tandem aliquando non ſit, neq; humidi caliditq; æqualitas eſſe poteſt tanta, ut non ad corruptionem atq; interitum quãdoq; delabatur, mortes quidem illæ, quæ à Ioue innuũtur, ortũ ducũt, ut etiã Ptolemæus arbitratur, aut ab angina, qui morbus occupare fauces cõſueuit, neq; reſpirare animã patitur, Græce συνάγχη eſt: aut à uitio malo; pulmonis affectu, quæ Græce eſt περιπνευμονία: aut à neruorũ reſolutione, quæ interdũ totum corpus, interdũ ex parte illud occupat, Græco uerbo tum ἀπὸ πλῆξία, tum παράλυσις uocatur. Ex hoc etiã genere eſt corporis ac mentis ſtupor ille, quo qui affecti ſunt, attoniti dicuntur, ex eo ſic uocati, quod nonnunquam afflatu fulminis malum hoc contingat: neq; enim de nihilo à poetis fulmina Ioui aſſignantur. Aut etiam à dolore capitis, quæ affectio Græce eſt κεφαλαλγία, aut à neruorum diſtentione & ſpaſmo, aut à cardiaco morbo, qui (ut Celſus tradit) de nimia corporis imbecillitate, ſtomachiq; languore proficiſcitur: quo fit, ut in ægroto ipſo uenarum exigui atq; imbecilli pulſus ſint, ſudorq; nimius in partibus corporis ſuperioribus, aut ab illis deniq; corporis affectibus ac morbis, qui ex inflatione, quæq; hodie à medicis noſtris uentoſitas dicitur, oriuntur. Cum aũt inflatio fiat ab humido, ubi calor illud exciuit, quod in olla cacaboq; apparet, in quibus intumeſcit atq; ebullit aqua, igni admotis, iure ad Iouem hæ mortes referuntur, qui humido calidoq; imperitat, iure etiam mortes illæ, quæ à cohibendo atq; corrumpendo ſpiritu eueniunt, cum idem ipſe Iupiter ſpiritui atq; arterijs præſit, quæ humido calidoq; extinctis, ipſæ quoq; extinguntur. Quod uero ad colorem, qui fuſculus eſt, attinet, quoniam humidum abunde in ſe coactum, nigri ſpeciem præfert, quod

arborum

arborum frondes, herbarum item declarant folia, quæ ubi humidi plurimum susceperè, subnigrescere uidentur: quinetiam quoniam calor ubi humidum ipsum temperauit, rarefaciendo nigrorem ipsum dispergit, efficitq́; ut quantum ex hac dispersione atri perdidit, albidi tantum assumat: idcirco fuscus hic color, qui huius est modi, Ioui etiam ascribendus uidetur, propter humidi calidiq́; admixtum temperamentum. Itaq́; natura ipsa duce, quæ fusca sunt, perinde ut dulcia ad Iouem referuntur. De hac aũt ipsa Iouis stella, ubi sola dominabitur in genituris, opportuneq́; in cœlo collocata, & cum dignitate in configuratione præsidebit, à Ptolemæo sic traditum est, eos scilicet qui nascentur, futuros magnanimos, munificos, religiosos, honorificos, uoluptarios, humanos, magnificos, liberos, iuxtos, magni loquentes, honestos, suis negocijs deditos, misericordes, eloquentiæ studiosos, inuentores, beneuolos, ductores. Contrà ubi stella ipsa minime opportune, indigne, abiectéq́; collocata fuerit, licet sola præsideat, tamen easdem ipsas animorum applicationes, et, ut ipse Ptolemæus uocat, φαντασίας, hoc est, uisa mutabit, atq́; corrumpet: siquidem sublimia deijciet, atq́; obscurabit illustria, nullo recto iudicio delectuq́; adhibito. Itaq́; pro magnanimitate subijciet luxum ac prodigentiam illam, quam etiam Cicero Græco nomine ἀσωτίαν uocat, Enniusq́; luxu perditos uocat ἀσώτους, pro religione ac Dei cultu suggeret superstitionem, pro pudentia rusticum quendam pudorem, & (ut ita dixerim) lucifugium, pro honestate non eius quidem usum, sed speciem quandam, ut eam tantum præ se ferat, re autem ut eius sit ostentator: pro humanitate fatuitatem atq́; insulsitatem quandam, ut etiam contemptibilis appareat, pro elegantia ac munditie uoluptatem conquisitam atq́; odibilem, pro animi elatione seu magniloquentia stoliditatem, pro libertate licentiam: quæq́; his similes affectiones sunt. Omnino autem quod in prole suscipienda, idem in significationibus atq́; affectionibus stellarum usuuenit. Vbi enim genitale semen exactißime concoctum fuerit, numerosq́; omnes secum suos habuerit & concoquendi, & constituendi, & secernendi facultatumq́; aliarum, mas utiq́; procreabitur, & quidem patris ipsius similis, corpore etiam omni è parte probe constituto. At ubi parum exacte concoctum, destitutumq́; facultatibus concoctionis fuerit, procreatio ipsa in fœminam recidet. Cui si cognatitia facultas desit, fœmella ipsa nõ patris aut proauorũ, sed matris potius similis futura est. Quod si multis à partibus semen destitutum fuerit, numeriq́; defuerint illi quidẽ, qui sexũ, qui patrem, paternamq́; cognationem referant, quiq́; maternam etiam originem, quod uitium etiam insit in materia excrementitia, quæ à fœmina sufficitur, proles ipsa nihil paternum, nihil maternum, aut omnino auitum referet, sed ea tantum quæ hominis, id est generis sunt.

Eo autem fit, quoniam facultates ipsæ omni fermè è parte defectæ sunt, ut partus quandoq; ipsi monstrosi gignantur. Itaq; planetæ in genituris excellenter collocati, iusq; perinde ac è tribunali dicentes, suaq; cum maiestate actiones illas quidem præclaras atq; illustres decernunt, mores item spectatos, honores primarios, uitamq; omni è parte suo in genere commendabilem promittunt: mediocriter autem collocati, mediocria omnia. Qui si quanquam dominatum sortiti, abiectis tamen in locis humiliter languerant, illustria quidem in obscura, probanda in opprobria, uirtutes in uitia commutabunt.

De Marte. Cap. VIII.

MArtis stella ignea est, calorq; eius urens, ac propter intemperantiam noxius: quam ob rem præesse putatur bili, quæ rubra dicitur, quinetiam quod propter intemperantiam torrida quædam ei siccitas adiuncta est, malefica atq; infelix, ab eaq; & uitia & mala plurima tum externa, tum etiam corporis atq; animi inferri existimantur, ut bella, rixæ, contentiones, uiolentiæ, iurgia, opprobria, contumeliæ, inimicitiæ, proscriptiones, exilia, uirginum corruptiones, puerorum raptus, adulteria, incestus, illegitimi coitus, abortus, perfidia, iracundia, temeritas, stoliditas, audacia, impudentia, implacabilitas, ferocia, grassationes, latrocinia, furta, prædæ, periuria, uulnera, mutilationes, cædes, incendia, rapinæ, orbitates, cruciatus, tormenta, supplicia, fustigationes, suspendia, iudicum seueræ sententiæ, febres, pustulæ, tubercula, hulcera, carbunculi, inustiones, præcipitationes, casusq; è locis editioribus, damna, periculaq; ex quadrupedibus, ex igni, ferro, ex hominum uiolentia, superbia. Itaq; stellæ huius effectiones propter naturalem maligni tatem ad corruptionem, quàm ad generationem spectare magis uidentur. Licet enim calor generationis principium sit, Martis tamen calor urit potius quàm calefacit, & exiccat magis quàm fouet, cum sit igneus, neq; ex igni quicquam generetur. Ex intemperato igitur Martis ardore, ac rubræ bilis, cui præest, uehementi commotione in animis hominum excitantur intemperatæ similiter commotiones, quas incompositæ quoq; actiones uiolentiq; atq; inconsiderati sequuntur affectus, unde ira, temeritas, impotentia, sanguinolentia, crudelitasq; proficiscuntur: è quibus ciuilibus in rebus atq; in hominum uita mala proueniunt plurima sanguinis item effer uescentia, bilisq; rufæ inflammatio nimia ab eadem stella defluit, de qua febres oriuntur, diuersaq; morborum genera. E corporis autem partibus ipsisq; è sensibus sinistro Mars præest auditui, ut qui à Sole propter calorem in societatem excitandorum sensuum receptus fuerit, quodq; Lunæ condi-

conditionẽ ſequatur, ſiniſtra illi auris attribuitur: ad hæc renibus ac uenis, propter ſignũ quoq; arietis capiti, propter Scorpiũ genitalibus præſidet. E metallis ferro, an fortaſſe quod ex ea materia fiunt enſes, armáq;, Martis, id eſt bellorum inſtrumenta? an quod artes eæ quæ igni exercentur, pleriſq; ferreis utuntur inſtrumentis? Dominatur etiam uino, propter propriã qualitatem. E coloribus uendicauit ſibi rutilum, propter ignis ſimilitudinem: è ſaporibus amarũ, qui dulci opponitur, propter calidi exuperantiã, humidiq; defectũ atq; exuſtionem. Quoniam aũt belli principia et cauſæ originem præcipue ducunt ab odio atq; ira, quæ animũ ad uindicandum incitat, atq; ab auiditate habendi, eáq; de nimia ſanguinis ac bilis calefactione incenſa, animum ipſum ad inferendam uim præcipitat, eoq; impellit, ut nihil agi moderatum patiatur, idcirco ad Martem rapinæ, bellaq; referuntur: traditumq; eſt, ob diuturnam obſeruationem in hominum geniturís honores dignitatesq; militares pro qualitate configurationis ab eius ſtella portendi. Quoniam autem mors ipſa aut uiolenta eſt ac ui infertur, aut eſt naturalis, uidelicet cum à morbis atq; ab annis uita eripitur, quæ mortes aut è ferro uulneribusq;, aut ex igne, aut è præcipitatione ac præruptis è locis, aut à beſtijs infliguntur, ad Martem referendæ ſunt, ut uiolentum atq; immanẽ: Simili modo quæ aut tertianis è febribus, hemitriticisq;, nam & hemitriticæ febres inter tertianas numerantur à medicis, aut è ſanguinis quacunq; profuſione, aut ab igni ſacro, cancris, hulcerumq; inflammationibus, quiq; morbus ὑγροπέλας dicitur à Græcis, aut à renũ ægritudine, aut ex abortu, aut è partus malignitate, aut è peſtilentia, aut denicq; è ſanguinis caloriſq; maiore exuperantia, præſertim ab inſania, quæq; uulgo phreneſis dicitur. Quocirca non iniuriã fortaſſe Porphyrius ut initio libri huius dixi, ſanguinem Marti aſcribendum duxit, cum Ptolemæus genitali tantum ſemini putet Iouem præeſſe, nõ ſanguini. Qua in re quid ipſe ſentiam, non fuerit fortaſſe alienum paucis explicare. Si enim uitæ principia à calido humidoq; proficiſcuntur, cui humori præfectus eſt Iupiter, unde tanquã ſubminiſter quidã procreandis animalibus Soli Lunæq; attributus eſt, quodã quaſi iure naturæ ſanguis Ioui aſcribitur, in quo uitalis illa uis humidi calidiq; unà cõiuncti æqualiter ineſt. Quod uero accidat in calido humidoq; exuperantiam, perinde ut in frigido fieri, ubi calor ille efferbuerit adeò, ut tanquã in flammas euolet, eáq; inflammatio rubram in bilem abeat, iramq; ipſam prouocet, hac ratione & uia placet inflammationem ipſam ſanguinis, è qua ira gignitur, ad Martem referri, cuius exuperantia hæc propria eſt. Perinde enim ut è qualitate in qualitatẽ, ſic ab unius ſtellæ dominatu ad alterius fit imperiũ, iuriſditionemq; tranſitio. An non adminiſtrandæ iuſtitiæ qui præſident, ita quidem illam mode-

rantur, populi ipsius iussu, constitutis, decretis q; , ut alij iurisditionem eam tantum quæ ciuilis dicitur, exerceant, eam alij quæ uersatur in puniendis flagitijs ac criminibus? unde criminalis iurisditio uocata est: utraq; tamen potestas ad iustitiã pertinet. Quam ob rem sanguis ipse, ac præsertim temperatissimum & defecatissimum illud semen, quod generationi submini-stratur, Ioui debentur. Exuperantia autem illa efferuescentis sanguinis, quæ tanta est, ut morbos procreet, Marti iure tribuitur, alteri quidem ut temperanti ac salutari, alteri uero ut intemperanti & noxio. Etenim bilis cui Mars præsidet, excrementum est, quædamq; superfluentia efferuescentis sanguinis, sicuti pituita humentioris, utpote cui perexiguus calor ineſt, de caloris nanq; egestate atq; carentia frigus existit. Ad hæc pituita ut humido frigidoq; abundat plurimum, sic bilis rubra calido atque arido maxime affluit. Itaq; ut pituita, quod dictum est, Saturno attribuitur, sic bilis Marti attribuenda, cum sit uterq; humor exitiosus, atq; in exuperantiã prolabatur. Quoties autem Martis stella sola in genituris excellenterq; præsederit, perq; opportune in ipsa figura collocabitur, è Ptolemæi sententia, natos faciet potentes, cõcitatos, bellicosos, uersutos, ualidos, stolidos, incautos, periculis sese obiectantes, indomabiles, peruicaces, promptos, feruidos, arrogantes, tyrannicos, efficaces, iracũdos, ductores. At ubi stella ipsa secus se habuerit, crudeles faciet, cõuiciatores, sanguinolentos, seditiosos, sumptuosos, clamosos, percussores, proteruos, uinosos, rapaces, maleficos, immites, præcipitosos, insanos, suorũ osores, ac religionis deiq; cõtẽptores.

De Venere. Cap. IX.

VEneris stella propter humidi temperamẽtum, cum sit etiam genitalis ac prolifica, nõ solum Lunæ ad fouendam humectationem, Soliq; ad informanda corpora, plurimũ adiumenti affert in generatione, uerũ propter naturalẽ benignitatem, salutaris dicta est, atq; inde felix beneficaq; agnominata. Quemadmodũ enim calorem ipsum alium esse qui foueat, alium qui urat, diximus, idẽ quoque ipsum de humido affirmandum ducimus. Siquidem & humidi ipsius mensura quædam est, tum in generando, & in alendo, tum etiam in corrumpendo. Stella itaq; Veneris ex hac humidi temperatione, insitaq; sibi ui suapte natura benefica est, & salutaris, quod etiam obseruatio tot seculorum docuit, in genituris, uniuersaq; hominum uita. Ne autem à generatione animalis recedamus, quod paulò ante de Ioue, deq; genitali diximus semine, dicemus item de Venere, deq; materia illa excrementitia menstrui sanguinis, cui semẽ ut materiæ se insinuat, additus est Iupiter Soli subminister in suggerendo semine; nam & idem die lætatur, Solis q; sequitur condi-

conditionem. Et quoniã natura ipſa nullam aut gignẽdi, aut educandi animalis partem neceſſarijs deſtitutam præſidijs reliquit, adiuncta quoq; Venus eſt Lunæ ſubminiſtra & adiutrix in ſufficienda accommodandaq; materia, cum & noctu gaudeat, & Lunæ conditioni ſit addicta. Quodq; natura ipſa rerum generationi æqua lance conſultum iri uellet, recte à nobis fortaſſe dictum eſt aduerſus Ptolemæi opinionem, Venerem humidulam eſſe, ac frigidulam, eamq; ſeruare menſuram in humido frigidoq; temperandis, quam in calido & humido Iupiter. Hæc eſt enim iuxta naturæ ipſius perpenſio, æquabilis q; circumſpectio, et libratio quaſi quædam. Quod autem dicimus, Venerem roridam eſſe ac frigidulam, intellegi ſic uolumus, uti utraq; in qualitate temperamentũ retineat ſuum: quod de Vere ſentiunt medici, quod ita humidum haberi & calidum uolunt, ut ſit omnino temperatum. Perinde igitur uti parte ex agente, quæ Solis eſt, ac genitalis ſeminis, calori ineſſe oportet menſuram certam terminatámque in calefaciendo, ne aut remiſſior ſi calor ſit, quàm oportet, det locum frigori, aut ne ſi feruentior, uſtilet potius quàm calefaciat: itidem ex parte patiente, quæ quidem eſt Lunæ ac materiæ, frigido neceſſe eſt tantam ineſſe moderationem, ut nec humidum concreſcat, & tanquam gelaſcat aduerſus calorem, eoq; inſinuationem in ſe caloris non admittat. Quocirca quod Soli ex parte ſeminali officium præſtat Iupiter, idem Lunæ præſtat Venus ex parte materiali. Vt enim caloris potentiæ admixta eſt exiccatio, ſic humidi poteſtati refrigeratio coniuncta eſt: cum exiccatio quidem ſit à Sole propter calorem, refrigeratio uero à Luna propter humidum. Ab hac autem ipſa Veneris ſtella propter inſitam uim temperatámque humectationem (cum materiæ ſit formam appetere, ſiquidem humidum in generatione materiæ locum ac uim obtinet) manant cupiditates atque oblectamenta. Etenim uoluptas concupitis è rebus capitur, eas ubi adepti ſumus: hinc amor, hinc rerum diuerſarum quæ uoluptatem afferant, ſtudium, ut munditiarum, ut cultus, ornatusq;, ut pigmentorum, ac picturarum, ut leporum, ludorum, hiſtrioniarum. Cum enim natura duce, & utilia quæ ſunt, & quæ iocunditatem afferunt, appetamus, huic appetitionis parti, quæ iucundi ſtudium habet, Veneris præficere ſtellam uoluerunt: atque inde effectum eſt, ut inter corporis partes iecur illi attribuerint, in quo cupiditatum titillationes, fomentaq; collocata eſſe putauere: ut ſicuti à corde eſt uita, quæq; à nobis tam ſæpe dicta eſt animalitas, ſit à iecinore appetitio, ſine qua eſſe ſentiens animal nequeat: unde iecur dictum, quod iuxta, id eſt ſecundum cordis uires. poteſtatem ſuam exerceat, ac tanquam illi aſſideat in appetitione ſuſcitanda. Omnis enim appetitio ad uitæ ipſius conſeruationem ſpectat. Poſt ipſum autem cor iecur maxime omnũ ſanguine

abundat. Vtq; existimare uidetur Aristoteles, cæteris è uisceribus præter hoc, animali necessariũ est nullum: neq; enim sine appetitione est animal, cũ materia è qua constat, formæ sit appetens, nec forma agere nisi subiecta in materia queat. Sanguis autem alimentũ est animalis ipsius, cuius ut proprium est alere, sic iecinoris, quod eo abundat, appetere. Animalium autẽ appetitioni Venus præposita est, atque hinc habita uoluptatum ministra. Ascribitur etiam stellæ huic odorandi sensus, ex ijs profecto rebus quæ extrinsecus influentes, ac sensum ipsum uoluptate afficientes deliniunt animal. Ac mihi quidem nec fortasse inconcinne ea quæ odoratum mouent, duplici uidentur ratione partienda, ut altera scilicet sensum moueant, alendi ac pascendi corporis peculiari cupiditate, insitoq; à natura studio, quales sunt dapes, cibiq; gustum excitantes, cum etiam uideamus uultures, miluios, simias, lupos olfatu ipso trahi ad gustum ac pastum: altera quæ tantummodo delectent, ut amatoria odoramenta, quæq; ad solam narium uoluptatem uidentur comparata, etsi & hæc quoque ad alimoniam corporis nonnihil conferunt. Iure igitur uis hæc odorandi ad Venerem relata est ab antiquis disciplinæ huius scriptoribus: iure etiam caro ipsa quæ corpus totum inglutinat, Veneri ascribitur, in qua uoluptatum incitamenta posita sunt, & tanquam ab ea pullulant. Etenim ut irascendi Martis stellæ, ratiocinandi Mercurij, sic syderi huic appetendi uis ascripta est. Quibus de rebus pòst cum de hominum loquemur artificijs, uberius fortasse disseremus. E corporis etiam partibus præposita est collo propter Taurum, & clunibus, uertebris q; propter Libram: è domestica supellectile gemmis, unionibus, toreumatibus, ornamentis, quæq; alia generis huius in delitijs habentur, ac delectationem afferunt: è fortunis prædiorum, oleo fortasse, propter saporis qualitatem, quodq; obseruatio ipsa sic docuerit: è coloribus albo, nam & aqua quæ humida & frigens est, ubi concreuit, alba efficitur. Sunt qui arbitrentur uiridem colorem Veneri attribuendum, album uero Lunæ. Vtraque autem attributio, propter humidi naturam, ac frigidi, non caret ratione. E saporibus pingui, cum enim Ioui tribuantur dulcia, propter calidi humidiq; temperamentum, non immerito Veneri tribuuntur ea quæ pinguioris sunt saporis, quando sub eodem dulcis genere collocantur & pinguia. Et medici, ut dictum iam est, asseuerant, è tenui subtiliq; materia, ubi tamen media inter calorem ac frigus æque fuerit, pinguem saporem confici. Quo autem genere morbis quispiam interiturus sit, ubi eius in genitura Venus significationem assumpserit, declaratur ab ijs morbis, qui ab illa denunciantur, hoc est à mala stomachi, iecinoris q; affectione, atque ab alui profusione, ut Ptolemæus arbitratur, item à fistulis, potionibus, ueneficijs, lichenibus: quem morbum Tyberij Cæsaris

ris principatu in Italiam irrepsisse Plinius est author, appellatumq; mentagram, ut podagram; quod à mento plerunq; incipiens, os deinde, vultumq; omnem occuparet, moxq; in colla, pectus, ac manus descendens serperet, contagioneq; alios præsertim osculando inficeret: quodq; ei malo nullum in initio inueniretur remedium, ex Aegypto, unde morbus transierat, medicos euocatos fuisse. Hunc eundem morbum post tot etiam secula regressum in Italiam sunt qui arbitrentur, ingruente in regnum Neapolitanum Carolo octauo Gallorum rege cum ingentibus copijs terrestri itinere, contrà uero ingenti nauium numero suppetias ferente Ferdinando Hispaniarum rege: quo tempore permulti & Galli & Hispani milites eo morbo correpti, Siciliæ, Italiæq; partem non paruam denuo infecere: quã ob causam hic ipse morbus ab alijs Gallicus, Hispanicus ab alijs hodie uocatur, teter sanè atq; abominabilis, siue ipse idẽ, siue alius sit à lichenibus. Ab omnibus deniq; declaratur morbus, qui de nimia humiditate, eiusue corruptione gignatur. Etenim Venus humido etiam præest, ut Lunæ socia, ut eius in suggerenda materia subministra. De cuius sydere, ubi in figura genituræ digne excellenterq; collocatum fuerit, ipsumq; solum dominabitur, hæc à Ptolemæo traduntur, eos scilicet qui nascuntur, futuros mansuetos, bonos, delicioso s, sociabiles, facundos, comptos, puros, saltatores, æmulatores, prauorum osores, artificioso s, decentes, appetentes, benefi cos item, ac misericordes, contractandis rebus aptos, ac uoti compotes, Veneriq; omnino deditos: quorum etiam affectiones non modo propensæ sint ad beneuolentiam, familiaremq; consuetudinem, uerumetiam nocturna eorum uisa iucunda, læta, quæq; bonam ubiq; spem polliceantur: Secus aũt, facit desidioso s, amatores, mulieroso s, uxorios, nihil audentes, abiectos, uituperabiles, obscuros, ac probroso s.

De Mercurio. Cap. X.

MErcurij stella uersatilis naturæ cum sit, pro stellarum quidem aliarum configuratione, in has illasue qualitates magis minusue conuertitur: nihilominus proprium est eius imperium in ijs maxime, quæ rationi subiecta sunt atq; orationi: qua ẽre & disciplinarum inuentor Mercurius dictus est, & deorũ ipsorum nuntius habitus, propter rationem scilicet atq; orationem, quibus præsidet. Humor enim ille, qui ab hac stella excitatur, maxime penetrabilis et acutus cum sit, hominum cogitationes (homo enim animantium unus, ut oratione, sic etiam cogitatione utitur) ad inquirendum atq; ad contemplandum incitat, & ad ea quæ ipse inuenit, ac contemplatus est, alijs atq; alijs explicanda. Nam quod homines sciendi cum primis cupiditate tẽne-

antur, ab hac ipsa stella excitatoq; ab ea humore potissimum proficiscitur: atq; hinc progressa ratio, rerumq; cognitio linguæ officio pòst depromitur inter mortales, fitq; hac uia ministerioq; rationis inter eos communicatio, unde homo rationabile agnominatum est animal. Cui sanè quod soli data est ratio, data etiam soli est locutio, & ea quæ ratiocinatio dicitur. itaq; fortasse non improprie orationale etiam animal dici atq; finiri potest. Est aũt Mercurialis humoris propter propriam agilitatem excitare spiritus, qua in re Soli cum primis opitulatur, ex eaq; commotione uidendi uis illa, quæ Græco nomine φανταστικὴ est, & concitatur & acuitur: quo fit, ut animus peruestigando ad rerum cognitionem scientiamq; perueniat, dum quærendo inuenit, inueniendo cognoscit, ex eaq; cognitione sciens efficitur. Itaq; nõ temere humor ille, de quo paulò ante disseruimus, cũ de Saturni stella mentio facta est, Mercurij stellæ adijcitur, quanquam & Saturnus eidem præesse iure ipso, naturæq; similitudine potissimum existimandus est. Nam & cogitationes ab illo excitæ nanciscuntur à Saturno stabilitatem, efficiunturq; tenaces admodum ac fixæ, atq;, ut ita dixerim, peruicaces, propter terrenæ ariditatis qualitatem ac firmitudinem: à Mercurio uero celeritatem atq; acumen sibi uendicant, siquidem ab eius stellæ calore siccitas illa incenditur, ignis enim & cito mouetur, & penetrat: atq; ob hanc ipsam uim Mercurij natura retorrida esse dicitur, quod caliditate siccitateq; plurimum excitet, quodq; irradiatione sua qualitatem hanc generationis tempore fœtibus ipsis, sanguinique infundat. Atq; hinc rationalis animæ uis stellæ ipsius adijcitur: itemq; oratio, quæ conceptæ rationis explicatrix est: Artes quoq; omnes, in quibus ratio plurimum ualet, eaq; præsertim quæ in numeris, in mensuris, in mercatura, commutationeq; uersantur: disciplinæ item omnes ad Mercurij stellam referuntur, de quibus pòst uberius, cum de artibus, quæ ab hac stella portenduntur in genituris, explicabimus. Sermo autem, hoc est oratio, ut dictum est, uis q; intellegendi cum dedicetur Mercurio, merito etiam lingua, quæ rationis atq; intellegentiæ ministra est, eidem addicitur: fel quoq; propter humoris melancholici qualitatem, de qua multa diximus. Aristoteles aũt putat fel nullius gratia sensus esse, nullumq; eius ad sentiendum officium: eoq; errasse qui sentirent partem animæ quandam in iecinore sitam, mordicando ab eo excitari: Cum equi, muli, asini, cerui felle careant, quædamq; animalia affixũ illud iecinori neutiq; habeant, uerum aut dispersum, concluſumq; uenulis quibusdam, aut per intestina discretum, cum etiam ex hominibus reperti sint qui felle uacui essent. Quocirca excrementum esse ait purgantis se iecinoris, non secus atq; alui sordem, intestinorumq; sedimentum. Nec desunt qui nares quo-ꝫ ascribendas Mercurio putent, quæ olfatui subministrent:

ut enim

ut enim odores sentiantur, calido siccoq; in primis opus est. E metallis aut liquido plumbo Mercurius præsidet: è substantia numis propter cõmutationem, è membris corporis, humeris, brachijs, manibus, digitis propter geminorũ signũ, adde & præcordijs propter Virginem: & quoniã orationis ac sermonis arbiter est, cõmercia quæ officio sermonis exercentur, stellæ quoq; attributa sunt eius. Portẽdũtur aũt ab eadẽ hac stella genera mortis illa, quæ de mentis alienatione, stupore, delirioq; eueniunt, de morbo item comitiali, tussi, sputo, morbisq; alijs, qui ab atra bile profecti, melancholici dicuntur à medicis, qua in re à Saturno neutiq; dissentit. Nam etsi atræ bili uniuersim Saturnus imperitat, Mars rusæ, ea tamẽ quæ facile uehementerq; incenditur, ac multũ habet retorridi, Mercurio tribuenda est. Nam etsi aurum Soli dicatur, numus tamen aureus, ut argenteus atq; æreus Mercurio ascribitur. Ager etenim Neapolitanus cum regi subijciatur, prædium tamen Antimianũ quod est agri Neapolitani, meũ est, quiq; inde proueniunt fructus mei: morbiq; item ipsi coniuncti, atq; ab uno tanquam riuo defluentes, nil mirũ si ad utranq; stellã, aut ad ipsarum alteram pro genituræ configuratione referuntur: nam & uitia & uirtutes quædã sunt sibi finitimæ. Item colores, sapores, attactus, anaphoreticæ item affectiones, Mercurij stellæ referendæ sunt. Cuius astrũ è Ptolemæi sententia opportune insigniterq; in genituris collocatũ, si solum, quaq; oportet potestatis suæ excellentia cõfigurationi præfuerit, natos faciet intellegentes, ingeniosos, sagaces, æmulatores, beneficos, cõputatores, cõiectores, contẽplatores, mathematicos, mysteriosos, uoti compotes. Vbi uero secus abiecteq; se habuerit in figura, uafros faciet, proteruos, obliuiosos, impetuosos inanes, leues, quod ob animi incõstantiã incepti paulò post pœniteat. Iidẽ ipsi sub fatuorũ speciẽ erũt nequã, maligni, proq; cõfigurationis abiectione insipientes, mẽdosi, mẽdaces, instabiles, inuidi, iniuxti, quiq; excellere ac præesse quoquo modo aueãt, cogitationibus uero adeò dubijs ac periculosis, ut inde de gradu suo deiecti sæpenũero maximas in calamittes incidãt.

Nedũ aũt cœli, quæq; cœlo ferũtur stellarũ uires, effectiones, facultates, earũq; causæ ignotæ non paucæ nobis sunt, sed è rebus etiam inferioribus, quæq; sensibus subijciũtur, earũ causæ permultæ adhuc incõprehẽsæ. Itaq; ut in ijs sensus multa quidẽ ipse assequitur, quorũ causæ tamẽ parũ omnimo cõpertæ sunt, sic obseruatio remotissimorũ temporũ magistrã quasi quandam rerum sese plurimarũ exhibet. Quid enim apparet causæ cur dextera potius auris, quàm sinistra Saturno ascribatur, Marti uero sinistra? aut auditus magis quàm odoratus utriusq;? cum & audiendi, & olfaciendi instrumenta, id est meatus illi, & ductus quasi quidam, aërij ipsi sint. Neq; enim sonus nisi in uacuo, cõcauoq; fieri potest, quæ loca ab aëre occupantur: neq; olfatus nisi per aërem ac per nares, quæ uacuæ et ipsæ quoq; sunt,

Ad hæc aër hic ipse cœli erraticarumq; omnium commotionibus æque subiectus ac parens est: qui cum sit calidus atq; humidus, Saturnus tamen frigidus & siccus, Mars uero calori addiderit siccitatem, eo fit, ut uterq; siccitate, alter etiam frigiditate, aëris aduersetur qualitati. Cur igitur in auditu auctoritatis plus habere Mars, Saturnusq; existimandi, quàm Iupiter, quàm Venus, quorum alter aëriam ex utraq; qualitate temperationem amplectitur, altera per humiditatem cum illo cõgruit? Nam quod auris dextera tribuatur Saturno, potest hoc diurnæ conditioni ascribi, dextera enim Solis sunt, cum nocturnam Mars, hoc est Lunæ conditionem sequatur, cui sinistra dedicantur. Verũ his in rebus ea ut habeatur quæ debet, quæq; potest ratio, cõsiderandum est, in animalibus procreandis à corde animal ipsum constitui, quod de sanguine constitutum eodem quoq; uegetat, animatq;, ac per uenas arterias q; uiscerum ministerio ac præcordiorum alit, atq; conseruat. Itidem Sol naturam hanc inferiorem, subiectaq; hæc corpora informat calore suo, erraticarum etiam ministerijs usus, signifero cum primis operam suam conferente. Quis aũt causam sibi perspectam, omniq; è parte notam afferet, cur quispiam naribus ubi caseum admouerit, nauseet, euomatq; illico? qualem ipsi nouimus hominem, cum præsertim caseus è lacte cogatur, quod primum hominis alimentum est. Cur aliquis ad rutæ olfãtum repente concidat? Habui ego catulum in delicijs, qui statim ex ædibus se proripiebat, ubi edendam gallinacei pulli carnem obiecissem. Ladislai Neapolitanorum regis tempore, è familia Tomacellorum Neapoli fuit, qui nunquam potum hauserit: cumq; à rege in conuiuium adhibitus, rogatu eius poculum tentasset, nõ mediocriter inde affectus indoluit. Contingũt & multa talia, quæ sentiuntur quidem, particulares tamen eorum atq; enucleatæ nesciuntur causæ. Amplissimos uiros referentes audiui, uidisse se in Hispania ulteriore puellam, quæ commederet nihil, hausturq; tantum aquæ uiueret, esseq; tum cum eam uiderunt duorum ac uiginti annorum. Ex obseruatione igitur quia sit animaduersum, Saturnum ac Martem obesse auribus, morbosq; earum ac uitia à malo illorum statu, configurationeq; oriri: hinc traditum atq; acceptum est, in ijs quæ ad aures atq; ad auditum pertinent, Saturni statum ac Martis in genituris obseruandũ esse. Quid enim causæ, cum Veneri olfãtus sit attributus, ut nares, quæ instrumenta odoratus sunt, Mercurio, uti Ptolemæo placet, assignenturr? instrumentum enim artificem sequi suum debet: uidelicet quod obseruatione prospectum sit ipsa, malum in genituris Mercurij habitum uitium postmodum ægritudinemue aliquam in naribus peperisse. Multa quoq; eiusmodi traduntur his alijsq; in rebus ab obseruatione magis, quàm à naturalis causæ cognitione deducta. Cũ enim effectus sit ipse poste-

rior,

rior, ratio tamen cauſaq; illius minime apparuerit, idemq; ipſe effectus aut ſemper aut plerunq; ſucceſſerit iam atq; ſuccedat, ſtandum uidetur obſeruationi: nec ſi quandoq;, rariſſime tamẽ ea fallat, aut accuſanda ex eo uidetur, aut reijcienda omnino. Nam & in animalium generatione, quæ naturalẽ ſequitur conſtitutionem, aliquando etiam accidit, uti natura ipſa ab ordine diuertat ſuo. Sed iam ab erraticis ipſis ad ſigniferum tranſeamus.

Libri quarti De rebus cœleſtibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD MARCVM MVSVRVM, De rebus cœleſtibus Lib. Quintus.

PROOEMIVM.

QVONIAM in explicandis naturis ſignorũ, quæ in orbe conſtituta ſunt ſignifero, in uentorũ ſæpenumero mentionẽ incidendum eſt, non ab re fortaſſe uidebitur Marce Muſure, cum ſcriptorũ de his opiniones tantopere diſſentiant, ſi pauca prius quàm de ſignis ipſis dico, explicatius diſſeruerim, meamq; ſi nõ ſententiam, perpenſionem tamen potius quaſi quandam in tanta opinionum diuerſitate attulerim. Non quod præferri meam aut ipſe uelim alijs, aut contendam, uerum ut collatis ſimul alijs, qui hæc legerint, poſſint iudiciũ quiq; ſuum maiori penſo adhibito temperare. Nam etſi ea quæ ſupra de uentis diximus, Ariſtotelis maxime dictis conueniunt, tamen de ſignorum triangularitatibus, de errantium effectionibus magna eſt inter ſcriptores ipſos controuerſia: cum ijdem etiam uenti uarias ſubinde qualitates ſuſcipiant, pro naturis regionum ac locorum ſitu, neque idem ipſe uentus eodem tempore finitimis perflet in locis, cum etiam è uentis ipſis quidam terris quibuſdam peculiares ſint, ac certo tantum conſtitutóque ſpirent tempore. Quocirca de toto hoc tractatu pauca quædam, eaq; uniuerſim non tam præcipiam, quàm admonebo iudicantes, eaq; ſunt huiuſmodi. Terræ anhelatio cum ſit duplex, altera quidem calida & ſicca, quæq; ſuo nomine dicitur aſpiratio, altera humens & calida, cui nomen eſt euaporatio, utriuſque in aërem ſubducendæ propter calorem autor eſt Sol: cum autem ſimilia naturaliter conferant ſimilibus, ſubducendæ quidem aſpirationi præſtò ſunt Mars ac Mercurius, Solis ipſius ſuffraga-

tores propter calidi ſocietatem & item ſicci: euaporationi uero, quæq; etiam exhalatio dicitur, Luna & Venus propter humidum, quo utriuſque lætatur ſtella, ſigna etiam ipſa. Nam & ſitus, & locorum ratio adiumenti plurimum afferunt, & utranq; ad anhelationem ſummum in modũ conferunt. Ipſorum enim ſignorum alia terræ naturam fouent, alia aëris, aquarum alia, aut ignis. Calore igitur ac ſiccitate prædita Marti ac Mercurio uires maiores ſuggerunt, aquatica Lunæ ac Veneri, terrena Saturno: licet ſenex hic obſtringere uideatur potius quàm laxare, aut ſurſum ab imo educere, tamen à Sole calefactus, & ipſe quoq; Soli uires adiungit. Quæ aëria ſunt plurimum & ipſa Soli materiæ ſufficiunt ciendis flatibus: calor enim humidum mouet, qua è commotione flatus gignitur: quod uidemus in ollis & cacabis bullientibus. Quocirca & Iupiter qui calidæ humidæq; naturæ præſidet, maiores hinc ſibi uires aſſumit, quas Soli etiam communicet, in aëreq; ipſo exerceat, utrunq; ad halitum educendum. Adhæc, quemadmodum ſuo etiam loco dicemus, ſigna quædam ſponte ſua, alia è parte quadam, ex toto alia uentos cient. Cardines item ipſi non tenui adiumento ſunt, cum ſiccus ſit ortus, meridies calidus, occaſus humidus, ſeptentrio uero frigeat, eamq; ob rem cœli cardines qualitatem quiſq; ſuam uentis impertiat indeflantibus. Itaq; & ortus dicatus eſt Soli propter ſiccitatem, quodq; inde lux emicet: at occaſus Lunæ, propter humectationem, quando etiam tenebræ ab eo erumpunt. Hæc autem à nobis in hanc quidẽ ſententiam phyſicis à rationibus neutiq; abhorrentia dicta ſunt. Parte ex alia ſunt qui aſſeuerent Iouem tota cum triangularitate ignea excitare uentos à ſeptentrione, qui frigidi ſunt & ſicci, quæ qualitates tum Ioui, tũ triangularitati igneæ tota fronte aduerſantur, Martẽ autem cũ triangularitate aquatica euocare flatus ab occaſu humidos quidem ac frigidos, cum ſit Mars ipſe & uſtilans & exiccans: quid tam omnino inter ſe diſſentiens? triangularitatem ucro terrenã, quamuis frigidam & arentem, Veneris tamen ſtellæ addicũt, licet humidæ, eamq; excitandis auſtris præficiunt, calido & humido præditis. At Saturnum cum triangularitate illa aërea ſtatuunt ſubſolani excitatorẽ ob unam ipſam peculiaremq; ſiccitatem: qua in re ſolam noctis dieiq; conditionem ſequuntur. Nec uero Aegyptij ſcriptores dubitant ſeptẽtrionalis uentos ſalubres eſſe dicere ac temperatos, quia Iouis ſtella illorum ſuſcitatrix ſalutaris ſit, ac maxime temperata. At qui in Britania, Germania, finitimiſq; in regionibus ſunt, ij quidem turbulentiſſimi planeq; intemperantiſſimi propter niues ac frigora, cum natura Iouis tranquilla ſit ac moderans. Quod igitur ſitus ipſe, quodq; ſpatium terrarum efficit, Iouis moderationi attribuunt. Nam & auſter ubi oritur, ne quaquam, ut in Italia, æſtuat, neque tam ualide humet, ac fortaſſe pluuiis

mi

minime illic est: subsolanus quoq; qui in ortu oppidoquàm est aridus, ingentissimos solet hymbres diffundere nostris in regionibus, quos colligit in aduentu. Sunt qui flantem à meridie spiritum Marti assignent, ab occasu uero Saturno. Nec desunt qui primam triangularitatem ex Ariete, Leone, & Sagittario addicant ortui, uelintq; cum Sole illam ac Ioue dominis, cumq; Saturno eiusdem participe euocare uentos à mundi exortu. Secundã triangularitatem è Tauro, Virgine, & Capricorno, eiusq; dominos Venerem, ac Lunam, Martemq; eiusdem participem excire flatus meridianos. Tertiam triangularitatem è Geminis, Libra & Aquario, Saturnumq; ac Mercurium eius dominos cum Ioue participe uentos agere ab occasu. Quartam deniq; triangularitatem è Cancro, Scorpio, & Piscibus, cum eius dominis Venere, ac Marte, & Luna socia flatus à septentrionis cardine suscitare. Hæ autem quantopere ipsa inter se penè digladientur, contrarias ob qualitates, facile est iudicatu. Ecce alius quàm affert diuersa, inquiẽs: Aries medium tenet orientis cardinis, excitatq; subsolanum. Assistit Arieti à parte dextra Sagittarius, à quo efflatur uentus illi propinquior inter ortum ac meridiem, nomine suo eurus: à sinistra Leo, de quo fluit uentus ei propior à septentrione, cui nomen est uulturnus. Itaq; ab hac una triangularitate tres hi uenti emittuntur, perinde ac tribus è coniunctis carceribus. A secunda triangularitate uentos fluere meridianos existimat, à Capricorno quidem quod cardinem tenet, austrũ: à Tauro qui astat ei à sinistra, euronotum, qui ei propior est à parte orientis: à Virgine quæ est ad dextram propius assistentem ei, occasum uersus, libonotum. A tertia triangularitate oriri uult, de Libra scilicet, quæ cardinẽ illũ obtinet, fauoniũ: ab Aquario qui adest illi propius ad sinistrã, septentrionẽ uersus, argestẽ, qui ab ea parte propinquior est: à Geminis africũ, qui est illi coniunctior à parte dextera ad meridiem. De quarta triangularitate putat efflari à Cancro, qui tenet septentrionis centrum, uentũ eum, cui nomen inde est septentrio: à Scorpio qui statim adest ei à leua uersus ortum, aquilonem: à Piscibus circium propinquiorẽ illi uentũ, occasum uersus à dextera. Quis igitur inter tam dissidentes secum opiniones, de uentis iudicare recte poterit? cum nullæ ex ijs rationes bene sibi, firmiterq; inter se quaq; è parte constent. Nec nos ij sumus, qui in re tam incerta & lubrica certam ferre sententiam aut possimus, aut audeamus: cum persæpe regionis qualitas aduersetur cardinis qualitati. Nam & auster qua uergit in meridiem Sicilia, abunde aridus est, contrà septentrio pluuius, maximeq; procellosus: cum in Campania alter quidẽ sit summũ in modum humidus ac turbulentus, alter uero aridus ac serenus. Principio uentorum omnium materia è qua ipsi constant, fumida est, calida quidem ac sicca, euehitq; secum terrenæ qualitatis non modicum,

è terra enim aſpirat, unde hic ipſe halitus aſpiratio dicta eſt, quæ neq; educi ſurſum poſſet, neq; agitari tam ualide quàm agitatur dextra ſiniſtraq;, niſi ob ingenitam ſiccitatem, ob quam unã tantũ aſpiratio ipſa ſibi caloris arripit, ut uehementius calefacta eò deferatur, quò Solis eam calor euexerit. Cardines autem & ipſi ſua quiſq; qualitate præditi ſunt: cuius quidem rei idem Sol autor eſt & cauſa. Caloris enim atq; aduenientis ad nos Solis perpetua continuatio ſiccitatem parit: qua de re ut orientis cœli cardo ſiccus eſt, ſic è contrario humidus occidentis: ut enim præſentia Solis atque aduentus calorem adducit, calor autem ſiccitatem, ſic abſentia ac remotio humiditatem, humiditas uero frigus. Duoq; hi cardines inuicem ſibi aduerſantes, quo reliqui etiam duo ſibi aduerſentur, efficiunt. Sole ſiquidem longius à ſeptẽtrione digreſſo, neceſſe eſt ſeptentrionalem plagam nimio plus algere, præq; frigore ac gelu illam & ſiccari & cogi ſupremũ in modũ: contrà meridianum terræ tractum incaleſcere uehementius ac relaxaxi, deq; finitimo occaſu humidi ſecum multum aſciſcere. Horum autem omnium Solis, ut dictum eſt, præſentia aut abſentia, propinquitas aut remotio cauſa eſt, id quod anni ipſius partes uer, autumnus, hyems, æſtas item edocẽt. Neque cardines igitur, neq; ſigna per ſe hoc præſtant, adiuuant tamen, ſed Solis ipſius per ſigna, perq; cardines, ſiue illos uerſus peragratio, uigorq; illi inditus, quippe quod mundi eſt ipſius cor, elementariumq; commotionum principium, ac rerum inferiorum primaria cauſa, à qua manent et cæteræ. In prædicendis igitur uentis principe Sol loco attendendus eſt, curſusq; ipſe prædicendi ad Solem quaſi ad metam dirigendus eſt certam. Erratica deinde ſydera, præſertim Mars ac Mercurius, probe cõſideranda, quæ loca teneant, qua etiam ferantur ratione aut regione cœli. Nam etſi Saturni frigida & ſicca natura eſt, quæ ſua quidem ſponte cogit atq; agglutinat, eius tamen radij à Sole calefacti, & ipſi quoq; fõti externo hoc adminiculo (motus ſiquidem calorem excuſcitat) & ſubtrahunt ſurſum, & agitant etiã palanter. Quocirca in hac tam difficili conſideratione & cauſa, errantium ſtellarum omniũ ſtatus, habitus, ſitus, collocatio, configuratio inter ſe, & in his Saturni quoq; partes examinandæ ſunt, quis etiã è planetis ipſis pollere, & tanquam dominari inter alios uideatur. Quibus recte ſimul ac diligenter perpenſis, terrarum inde ſitus, regionum habitus, anni partes aduertendæ diligentia ſumma ſunt: Cũ ſæpenumero ſit animaduerſum, id quod in quaq; etiã regione animaduerti poteſt, ſpirare ſeptentrionalẽ flatum in Campania, aut Hetruria, aut Liguria, non à cardine quidẽ illo tam remoto euocatum, ſed à uicinorum montium ac uallium habitu, propter niues aut pluuias, proq; anni ipſius tempore. Itaq; flatus illi referendi potius uidentur ad eos planetas, qui ipſas aut niues excitarunt aut pluuias.

Poſt

Post Solem uero secundo loco uidenda est Luna, Solaris & lucis & caloris uicaria, in copulationibus, in oppositionibus, in quadrangulis, triangulisq;, qualem sese cum sole habeat, & quas etiam ad stellas feratur, & per quæ signa, qualis sit etiam eius habitus ad Martem præsertim ac Mercurĩ, indicet siccitatem ne an humiditatem, an sit anceps. Quæ res simul omnes maximam efficiunt prædicendi difficultatem, quippe cum sæpenumero natura regionis cœlestibus repugnet indicationibus. Ac mihi quidẽ uidentur rerum harum scriptores eo dissensisse inter se tantopere de uentis, deq; suscitatoribus eorum, aut agitatoribus, quod unusquisq; è primis illis autoribus regionis suæ naturã, & quid in ea cõtingeret, obseruabat, quos etiã quisq; planeta flatus illic excitaret, & è qua parte, & quod qui in initio flare siccus cœperat, paulò post inhumescebat ratione loci. Ioannes Anglicus, qui multa quidem super his & tradidit ipse ex semet, & ab alijs præcepta retulit, non inficiatur Iouem in Aegypto ciere septentriones, quanquam Iouis qualitatibus parum putat conuenire: tamen assueerat constantem in modum à Saturno prorsus in Britania spiritus illos frigidos ac niuosos exciri, eademq; ratione ab erraticis alijs spiritus alibi alios: Cum uideamus passim regiones tum palustres, tum fluuiales, aut uallibus profundioribus interruptas assidue humectari. Sat quidem scimus cœlũ Campanũ esse perquàm humidum, Apulum contrà præsiccum: Solẽ autem ipsum in Apulia calidas aspirationes subducere, easdemq; perquàm siccas, at in Campano tractu euaporationes subuehere illas quidem planè humentis & calidas. Quo fit, ut idem ipse sol, nisi alia stella impedierit, eodem pariter tempore & æstuosam in Apulia siccitatẽ euocet, & in Campania pluuias. Itaq; quod idem fit in exiguo & finitimo terrarum spatio, fit etiam in cardinibus, remotioribusq; orbis terrarum tractibus. Excitabit hinc Sol suffragio etiam Martis ac Mercurij, peculiarem suamq; & illorum simul aspirationem, illinc euaporationem, Venere ac Luna, fortè etiam & Ioue opem suam conferente. Eodem igitur tempore in diuersis hæ & fortasse ijsdem subducuntur regionibus, moxq; per aërem raptatæ, ac simul permixtæ nũc huc nunc illuc distractim feruntur incertæ palantesq;. Perindeq; ut existit in aëre alituum ipsorum pugna, sic est etiam exagitantium illos stellarum in signifero certamen. Accedit aũt & his omnibus altera, atq; item altera consideratio, hoc est tum ortus atq; occasus fixi alicuius syderis, tum partium signorum, quæ sua sponte uentosæ sunt, quemadmodum deinceps ordinatim dicemus, cum ad ipsas signorum partes peruenerimus: quas quidem ad partis ubi Sol Lunaue coniunctim, seorsumue concesserint. Seu uentosarum stellarum aliqua, aut eas fortè minaciter percusserint, necesse est ea tunc euenire, quæ ab illis decreto naturæ statuũtur.

Quid autem ortus, quidq; occasus ferant syderum, obseruatio tot seculorum adeò manifestauit, ut ea sint etiam rusticis quamnotissima, nedũ nautis ac nauium gubernatoribus. Arati poëtæ scripta nihil ferè curare aliud aut præcipere uidentur. Sol igitur locis illis propinquior factus aut coniunctus, aut contrà ijs aduersus, & suas & partium ipsarum ac locorum uires pro natura etiam temporum, quibus ipse moderatur, magis ac magis excusitat. Hæc habui Marce Musure, in parte hac de uentorum prædictione quæ dicerem, ut qui tamen admoneam, non præcipiam: Cum liquere satis possit, quæ de triangularitatibus, triangulatoribusq; illarum traduntur, nec naturis rerum conuenire, et uana pleraq; aut incerta esse, pro situ regionum, ac positura locorum, & terrarum & cœli. Cæterum sit suum cuiusq; arbitrium de his & sentire ut uoluerit, & iudicare. Quocirca ad explicationem signorum tum uniuersim, tum secundum partis cuiusq; ac fines progrediamur, ab Ariete exorsi.

De Ariete. Cap. I.

SOl ad Arietem progressus, quod ab australi declinatione ad cliuum septentrionalem redit, fitq; terris nostris propinquior, quos hyems plurimus coëgerat, paulatim tepefacto solo uapores aspirationesq; uehementiore quadã ui educit è terra, quo fit ut pluuiæ suscitentur aliquanto frequentiores, quàm cum Pisces atq; Aquarius permeat, quo tempore aër ipse propter Solis radiorũ imbecillitatem in niues magis quàm in hymbres resoluitur, tonitrusq; etiã crebriores fiunt, propter multam tum uaporum, tum aspirationum eductionem ab humo. Quinetiam calefactis uaporibus, qui crassiores tunc sunt, Sole nondum illos excoquente, urere aër uidetur, unde Sol ipse Martius, ut rustici loquuntur, noxius habetur. Ob hanc aũt ipsam causam, licet signum hoc calidæ existimetur siccæq; temperationis, hymbres tamen plurimos excitat, sæpenumero etiam grandines, quod aër ipse eo tempore sic afficitur, ut licet calor in dies increscat, repentino tamen subinde corripiatur frigore, qua ratione qui uapor in pluuiam abiturus erat, à frigore correptus, aut ob inimicam caloris uim coactus ipse in sese atq; concrescens, rigescit mox in grandinem. Eodem quoq; tempore contingit tonitrus multos in aëre cõciri, propter aspirationes ipsas calidas sursum erectas, dum impactæ simul nubes cõcursu suo, aut frigidam ob uim pugnæ exortã igneus ille halitus exploditur, inde Arietis signum tum grandinosum, tum etiam tonitruosum existimatum est à disciplinæ huius autoribus, Sole has aëris affectiones, dum id signum permeat, excitante, easq; fixis à stellis, quæ signum ipsum constituunt uehementer, adiuuari alienum nõ est existimare.

mare. Quam ob rem Ptolemæus dixit in uniuersum quidem Arietis signum tonitruosum atq; grandinosum esse, propter accessum Solis ad locum æquinoctialem, quo ad partes tamen ipsas plus minusue, primas quidem eius partes pluuias atq; uentosas, medias uero temperatas, postremas urere, pestemq; afferre existimat: quæq; partes in Boream exurgunt, illas & urere & corrumpere: quæ in Austrum declinant, frigus glaciemq; inducere, quod naturæ rerum mirifice conuenit: quæ enim partes ab æquinoctiali puncto consurgunt in Boream, quod Sol per eas incedens nobis efficitur propinquior, calefaciant plusculũ necesse est, qua è calefactione sequatur etiam corruptio, cum è calido humidoq; corrumpendo generatio rerum proueniat, quæ Vere potissimum fit. Contrà partes illas, quæ ab æquinoctiali puncto declinant in Austrum, frigidiusculas esse, cum hyemalem in regionem uergant, ratio ipsa docet. Quod uero ad corruptionem ac pestẽ attinet, quoniã eo tempore multi ex aëre funduntur hymbres, quos terra in sese recipit, eosq; pòst in uaporem conuersos, multos quidem ac crassos euomit, cum Sol concoquere illos nequeat, terraq; uehementius à Sole irradietur, hinc aër ipse noxius ab infectione ea redditur, indeq; pestifera uis enascitur. Quoniam autem signa ipsa in diuersos distributa sunt fines, qui singuli planetis singulis, uti ante diximus, ascribuntur, hæ quoq; partes tractandæ sunt à nobis, quarum significationes cognoscendis atque prædicendis cœli decretis plurimum cõferunt. Atq; eas quidem ut ab alijs traditas referimus, magis quàm ut comprobare rationibus studeamus, naturam duntaxat syderis, cui fines ipsi ascribuntur, indicare contenti. Quid aũt de finibus ipsis sentiamus, quæq; differentia inter se scriptorum sit, suprà explicauimus. Quodq; de finibus ipsis qui & quot erraticæ cuiq; attributi sint, aliter Aegyptij scriptores, aliter Ptolemæus sentiat, cuius opinionem nos suprà confirmauimus, ita quidem de ijs trademus, ut ordo numerusq; illorum qui sit, tum ex Ptolemæi, tum ex Aegyptiorum sententia facile cognoscatur. Primi itaq; fines qui è partibus constant sex, cum Ioui sint attributi, Iouis ipsius naturam sequuntur: qua de re salutares ac benefici, quinetiam fœcundi, & penè dixerim, multisemines habiti sunt, bonæq; admodum temperationis, qualis natura Iouis est. Quocirca probatos nati mores, qui multis etiam prodesse, suaq; opera iuuare uelit quamplurimos, quiq; in actionibus ac negocijs temperamentum sequatur, cuius etiam modestia, probitas, rectitudoq;, in amicitijs, ciuiliq; consuetudine integritas magna appareat, eo magis portendunt, si fines ipsos in cuius hi genitura ascenderint, Iupiter aspexerit, quando ad agri fœcunditatem si coloni studiũ se adiunxerit, maior fiat acceßio. Neq; enim temere in uulgus manauit dictum illud, oculos domini saginare equum.

Secundi fines, qui è partibus constant octo, è Ptolemæi sententia, Aegyptiorum uero sex, Veneriq; addicti sunt, Veneris naturam sequuntur: siquidem in genituris promittunt animorum hilaritatem, splendorem, munditias, elegantiam, continentiam, integritatem, studium etiam cultus atq; nitoris, & in quibus nati uersabuntur artibus quandam quasi affabrefactionem, ingenijq; dexteritatem, ac tum operæ, tum operis gratiam, quinetiam coloris bonitatem quandam, &, ut ita dixerim, uenustatem pollicentur, ut non iniuria docti quidam uiri arbitrati sint, signum hoc ad quintamdecimam usq; partem salutare ac benignum esse. Qui sequũtur tertio loco fines, continentq; parteis septem, ut aũt Aegyptij arbitrantur, octo, à Mercurij natura, cuius peculiares sunt, minime recedunt: præstant enim ingenij bonitatem, acumen, solertiam. Erunt tamen nati, in quorum genituris ascenderint, in deliberando ancipites, atq; in capiendis cõsilijs dubij, quiq; in utranq; partem pensi multum adhibeant. Eædem partes in aëre cõmotionem uehementiorem pro situ tamen naturaq; regionis excitant, qua è commotione uenti tempestates q; suscitantur cum grandine, tonitru, coruscatione, fulminibus. Quartæ distributionis fines è quinq; tantum partibus, Martem cuius sunt, imitantur, sunt enim ignei, corruptioniq; accommodati. Cum primis aũt in animis hominum instabilitatem, inconstantiam, petulantiam, proteruitatem, impotentiamq; ingenerant, atq; ad maleficiendum inuitant, adeò ut non minorem in animis hominũ, quàm in aëre ipso corruptionem inducãt. Fines ultimi quatuor tantum partes cõplexi, utq; Aegyptij arbitrantur, quinq;, quod sint sub Saturni tutela, frigus ac sterilitatem afferunt, animosq; ipsos inuidia, ac nocendi studio notant. Partes igitur ipsæ quæ aëris commotionem excusitant, præcipue considerandæ sunt, ubi in illis Lunæ contingunt Solis q; coniunctiones aut oppositiones, quadrangulationesue, aut illorum etiam planetarum qui commotiones ipsas augeant. Eædem quoq; partes diligenter uidendæ, ubi in configurationibus his ascenderint: si enim fuerint à maleficis insessæ, aut minaciter irradiatæ, tempestates ipsæ longe quidem maiores insurgent. In genituris etiam pro qualitate insidentium, atq; aspicientium stellarum, significationes ipsæ finium aut augentur, aut mutantur, aut etiam alias atq; alias mixturas admittunt. Quoniam aũt signum hoc Martis hospitium est, ac non modo Solis altitudo, uerumetiam in Solis ipsius ac Iouis triangularitate numeratur, hac tanquã cognatione, ut ita dixerim, atq; affinitate fretum, natos reddit insignes, imperiosos, magnanimos, quiq; permagna in loquendo libertate utantur, propter Martem aũt ipsum minaces, libidinosos, audaci consilio, propter Solem elatos, nobiles, ceruicosos, propter Iucum opulentos, liberales, iuxtos, quiq; à turpitudine abhorreant. Pro mobilitate

bilitate quoq; sua signum ipsum eosdem efficit inconstantes, quiq; facile propositum mutent, quorum etiam fortuna sit infirma ac uariabilis, ut nũc diuitijs abundent, nunc premantur egestate. Quod uero igneum, auget ea quæ à tribus his planetis portenduntur, ut uigor animi in natis ipsis maior sit, spiritusq; etiam uehementiores, qua è re animi generositas atq; ingenij sublimitas quædam exoritur. Non parum etiam signi eiusdem uiribus autoritatiq; situs ipse adijcit, cum ex æquo cœlum omne, diem item ac noctem ingressu in ipsum Solis discriminet, unde ἰσόζ à Græcis, quod de dierum ac noctium æqualitate, inæqualitateq; iudicium ferat: hæc autẽ ipsa quæ à signo portenduntur, & augentur & minuuntur pro situ atque configuratione trium harum stellarum genituræ cuiusq; tempore. Igitur cui Aries ascenderit, is erit ore libero, forti cõsilio, mente elata, proposito inconstanti, fortuna uaria, iuuẽtute multa, erit imperiosus, populo charus, rerumq; publicarum studiosus, flagitiorum insectator, fratres autem aut uix sortietur, aut si sortitus fuerit, ferè omnis efferet, propter Martis perniciosam uim: idẽ pro susceptis laboribus, pro collatis beneficijs uix gratiam ullam, quinpotius ingratitudinem pro collata inueniet opera. Nec uero ab re fuerit uersus hoc loco nostros ex Vrania repetere.

Hinc quibus effulsit nascentibus aureus Helles
Corniger, & primo radiarint uellera cœlo,
Hos animi uigor insignes, hos libera corda
Audaces reddunt effando, & recta monentis.
Imperiosa uiris maiestas, hi sua plebi
Describunt iura, & populo dominantur & urbi.
Quiq; ipsi norint parêre, & ducere, & alta
Ceruice excußisse iugum, atq; odisse nocentis.
Inconstans uitæ tenor, ac mutabile pectus,
Elatum tamen, at cupidum rectiq; probiq;,
Quod facile ingentes uersent iræq; minæq;.

Qui uero genituræ suæ tempore Arietem medio in cœlo collocatum habuerit, propter loci ipsius maiestatem principum ac regum aulas frequentabit, ac inter administratores reipublicæ, optimatesq; uersabitur, exq; hoc uitæ genere rem sibi familiarem comparabit, honoresq; assequetur: nihilominus fortuna eius uaria & inconstans erit, ac uitæ tenor non unus, propter signi mobilitatem. Itaq; nunc amittentur ab eo parta, nunc rursus colligentur amissa. Erit autem & iuxti & honesti appetens propter situm æquinoctialem, ac potentibus uiris propter summũ cardinem cœliq; ipsius culmen familiaritate coniunctus. At qui genituræ suæ tempore Arietem in occasu sortitus fuerit, lucrũ is sibi aquaticis è rebus, aut aquosis in locis cõ

parabit, propter anguli situm humidũ, cardinis q; prærogatiuã. Nihilominus (quoniam occasus in noctem uergit, eiusq; qualitas Arietis qualitati aduersatur) in pericula frequentius incidet, dum in peregrinationibus uersatur, ac per deserta & inculta loca iter facit, rei etiam uxoriæ infamia, occultoq; aliquo corporis uitio laborabit, propter inditã à Marte signo huic malignitatem, ac nocendi studium, cum etiam angulus hic sit mortis dator, ut uitæ est horoscopus, cui ipse opponitur, ortui enim occasus aduersatur. Iouis tamẽ benignitas cum ei succurrat, auxiliumq; allatura uideatur, post Martis labores ac pericula, post grauissimos etiam errores, senectutẽ tandem quietiorem atq; feliciorem promittit. In imo cœlo qui signũ hoc collocatum habuerit, is diu multumq; propter Martem peregre conflictabitur, multaq; inter peregrinandum incommoda patietur, tandem uero sedatis laboribus Iouis beneficio conquiescet. Genus uitæ eius uarium atq; inconstans erit adeò, ut nunc emineat, nunc deprimatur: quod ei continget propter magnorũ uirorũ amicitias, quas sequetur. Vxorem ac primũ filium, si plures ei filij nascentur, aut efferet, aut saltem grauibus illos ualetudinibus pressos conqueretur. Ariete nanq; cardinem imum tenente, ascendit ab ortu Capricornus, Saturni domus, Martis q; altitudo, descendit autem ab occasu qui uxoris locus est Cancer, Martis deiectio atq; triangularitas: à Saturno igitur atq; à Marte cardines hos iurisditione sua inficientibus portenduntur damna hæc, cum occasus ipse & opponatur horoscopo, & imo quadranguletur cardini, & Libra culminans sit etiã Saturni altitudo. Nã quod ad liberorũ ualetudinem, aut iacturã attinet, Leo ab Ariete quintus octauum in locum, qui perniciosus est, incidit. Si enim Arietem in ortu constitueris, liberorum locum Leo subibit. Verum in Tauri signo qua ratione perueſtiganda multa sint, diligentius à nobis explicabitur. Itaq; nõ solum stellæ, quas dixi, & item aliæ pro qualitate configurationis, signi naturam aut adiuuant, aut imbecillam reddũt, aut aliqua è parte mutant, uerũetiam situs ipse cœli, diuersitasq; angulorum hanc ad rem plurimũ conferunt. In hac autem tam difficili ac uaria morum, euentorumq; cognitione explicanda, primum natura signi, deinde cardinis, pòst erraticæ stellæ, quæ signo præest, considerandæ est, deinceps uidendũ qua in parte cœli erratica ipsa posita sit, qua etiam ratione stellis alijs tum fixis, tum erraticis misceatur. Dominus quoq; genituræ, qui etiam signi dominum hospitio suo accipiat, circũspiciendus. Videndi etiã planetæ qui in ipso signo, aut altitudinis aut triangularitatis iurisditionem habeant, quæ etiam ratione sint in ipsa genituræ cõfiguratione collocati. Mensura quoq; genituræ, generis q; qualitas eius qui nascitur, cum primis pensitanda, ne in ferẽda de nati moribus, deq; animi, corporis ac fortunæ eius bonis fallamur sententia. Quemadmodum autem

autem membra quædam noſtri corporis Arieti addicta ſunt, ſic etiam orbis terrarum regiones aliquot, quæ orbis ipſius membra quaſi quædam perhibentur à maioribus noſtris addicta ſigno huic inueniuntur. Eæ uero iuxta Ptolemæi opinionem ſunt inſula Britania, cui nunc nomen eſt Anglia, eáq; Oceano cingitur, q ab ipſa Britanicus eſt dictus: & Gallia, cui pòſt à Francis è Germania erumpentibus, illamq; occupantibus factum eſt nomen Francia: includitur autem Oceano, Pyreneis montibus, Rheno flumine, atque Alpibus, abluiturq; latus eius à mari Narbonenſi. Addicta eſt item Germania, quæ hodie Alemania uocatur, utq; olim in ſuperiorem atq; inferiorem diuidebatur, eandem nunc in altam atq; humilem partiũtur. Nec deſunt qui uno nomine Teutonicos uocitent. Continetur autem Rheno, Oceano, Rhetijs, ac Noricis montibus, iungiturq; Sauromatis, ac Pannonibus. Adijcitur Arieti Baſtarnia quoq;, quæ ad Boryſthenen, atq; Axiacen fluuium, Amodocamq; paludem iacet in ea Sarmatiæ parte, quæ eſt in Europa. Quidam à Peuce palude omnem gentem Peucinos uocarunt. Quo autem uno ac certo nomine nunc uocetur, non auſim affirmare, propter tam multas occupationes diuerſarum nationum, quæ res nouas moliæ ſunt, ex quo Romanum corruit imperium, cõplures tamen gentes complectitur. Syriæ quoq; pars illa, quæ inferior eſt, quæq; à Græcis κοίλη agnominatur, quam è noſtris fuere qui curuam tranſtulerint, alij qui tum concauam, tum profundam, eáq; finitima eſt Arabiæ, complectiturq; Palæſtinam, Idumæam, Iudæam.

De Tauro. Cap. II.

QValitates temporum de Solis pecipue acceſſu ac receſſu nõ ſolum mutantur inuicem, uerumetiam incrementum ſuũ aut accipiunt, aut pro motu illius minuuntur. Motus autem ipſe à cœli ſitu, Zodiaciq; poſitura has ad res adiumentũ, et legẽ quaſi quandam accipit. Quocirca cœli ſitus cum Sole ſimul anni cõſtituit tempora, quæ in partis quatuor, tanquam ætates quaſdã diuiduntur. Vnaquæq; autem ætas qualitatibus ſuis eſt prædita, eáq; hominum ætati perſimilis in qualitatibus. Ver adoleſcẽtiæ, quæ humido, calidoq; ſimul abundat plurimum. Intellegi autem uolumus ita abundare calido atq; humido, ut temperatũ quidẽ, quod medici dicũt, uer ipſum ſit, rurſus autem ita temperatum, ut pedetentim tamen ab humido in calidum progrediendo dilabatur. Aeſtas iuuentuti, in qua calor efferueſcit adeò, ut ſiccato magna è parte humore cuncta ſubareſcere iam incipiant: autumnus ætati proiectiori, quæ uirilis dicitur, primæq; quodammodo ſenectuti, cum ſiccitas ita excreuit, ut exhalato maxima è parte calore, ingruere frigus inci-

piat hyems ultimæ ac præcipiti senectuti, quæ à calore destituta, atq; à frigore occupata tota in corruptionem uergit, ingruente iam humido quod occupato quidem sicco ultimam frigori accessionem facit, qua è re corruptio, atq; è corruptione mors sequitur, rerumq; inferiorum quædam quasi internitio. Eædem ætates, ætatumq; qualitates anno insunt, quocirca cum uer sit prima anni ipsius ætas, constetq; ætas omnis principio, medio, & fine, hac ratione fit paulatim ab ætate in ætatem, deq; qualitate in qualitatem transitio. Veris igitur principium cum sit in Ariete constitutum, prima pars ætatis eius humido pluſculum abundabit: medium, id est pars secunda cum in Tauro collocetur, ac medium ipsum inter principium constituatur ac finẽ, humido calidoq; sic afficitur, ut ab altero in alterũ pedetentim abeat, crescente iam die, ac Sole in altiorem cœli partem gradatim succedente. Quo fit, ut finis uerni temporis, hoc est ultima ætatis eius pars sit calidior, cum Sol ipse Geminorum signum altißime prouectus peruagatur. Est itaq; Taurus temperatũ signum, cum sit calidi atq; humidi particeps ac medius, atq; ita quidem particeps, ut finis eius in calidum longiuscule recedat ab humido. Quocirca Ptolemæus ὑπόθερμον, quod Latino nomine subcalidum dicetur, uocat, traditq; initia eius, ac præsertim loca Pliadibus proxima uentos ciere, itemq; terrarum motus, multamq; caliginem sursum uehere: medias uero partis pluſculum humescere, ac tanquã refrigerascere, siquidem ex humectatione refrigeratio sequitur, quod experientia ipsa docet. At ultimæ partes, quæq; signi finem constituunt, maxime quæ Hyadibus finitimæ sunt, & concalescunt pluſculum, & fulmina coruscationesq; prouocant, quæ omnia ut consequantur necesse est, Sole magis ac magis uapores sursum effumationesq; euehente. Qua de re uapores ipsi sæpius soluuntur in pluuias. Non raro autem pugna inter frigus caloremq; exorta, ac si tuba signum dederit, tonitrus exaudiũtur, sentiunturq; iactus fulminum per aëra, & medijs in nubibus ita coruscat, ut cœlum ipsum uideatur incendi. Quodq; Taurus ipse partis habet alias quæ in austrũ uergũt, alias quæ in septentrionem assurgunt. septentrionales partes sunt temperatiores, propter diei incremẽtum, ac septentrionalis plagæ uiciniam, austrinæ minus temperatæ, quin magis magis q; incompositæ, ac penè dixerim seditiosæ, quod de turbulentis dicere ciuibus solemus: quippe cum in aëre motus plurimos excitent, qui tunc magis magis q; apparẽt, cũ eadem loca aut insidentur ab intemperatioris naturæ erratica, aut ibidem aliã alij copulari contigerit. Signum igitur Tauri uniuersum ac diuisum tale est, utq; expressius naturã eius explicemus, primæ eius partes, quas Aegyptij tradũt octo, itemq; Ptolemæus, quoniã Veneri ascribuntur, ea portendunt in geniturís quæ Veneris sunt propria, atq; eo magis si stella eius ibidẽ inuẽta fuerit,

rit,intueaturúe propitio è loco,aut si fuerit in figura feliciter collocata, ac genituræ domina. Sunt autem partes ipsæ humidulæ, indeq; genitales ac multæ sobolis: eædem ad coitum inuitant,& quidem uenalem atq; opprobrioſum,ut persæpe cogant corpus prostituere. In hac finiũ partitione faciendâ alios quidem scriptores,et in ijs Iulium Maternum Aegyptiorum tantum numeros,alios aũt à Ptolemæo probatos magis sequi uideo, quos & ipse hac in parte ita sequor,ut nihilominus ordinem quoq; ad numerũ, quẽ Aegyptij seruant,referam. Quæ sequuntur partes septem,quas Aegyptij sex tantum opinantur,cum sint Mercurij,in horoscopo quidem collocatæ,genituræ tempore,nascentum animos solertes faciunt,multaq; & intellegentes & circumspicientes,ad malefaciendum tamen procliues, ipsos uero fœdo aspectu,nec satis fœcunda prole. Semper autem finium dominus obseruãdus est,uidendumq; an partes ipsas aspiciat,illasúe fauore aut insessu suo tueatur,quo etiam in statu reperiatur, pro habitu enim ac situ suo,aliarumq; stellarum configuratione fines moderatur. Quæ deinceps septem partes sequuntur,quas Aegyptij octo dicunt, Iouis naturam præ se ferunt,quippe quæ in animis nascentium magnitudinem quandã excusitent,incendantq; illos ad uirtutem & gloriam,atq; ad actiones præclaras illas quidem ac uiro dignas. Erunt autem nati ipsi facundi, ac modestiæ honestatisq; studioſi,qui tamen imperare alijs cupiant,cum natura ipsa imperioſos eos genuerit. Hæc aũt pro situ,habitu,& configuratione Iouis ipsius aut augentur,aut minuuntur. Quatuor partes quæ proximæ his sunt,quas Aegyptij quinq; existimant,quoniam Saturno ascribuntur,malæ omnino temperationis sunt: nam & prolem nascentibus denegant, siquidem aut cuiratos,aut steriles eos faciunt,nisi à felicibus stellis eorũ malignitas compescatur. Afficientur autem nati, qui has ipsas partis horoscopantes habuerint,non raro contumelijs opprobrijsq;,notabũtur infamia, uexabuntur laboribus,conficientur tristitia ac mœrore,ac nihilominus delectabuntur præstigijs,uersabunturq; in spectaculis,ac spectaculorum ludis,ministerijsq;. Quæ reliquæ sunt quatuor,quas Aegyptijs tris esse tantum placet, Martis naturam sequuntur: nam etsi natorũ animos neq; ignobiles reddunt,neq; à uirilitate alienos,eos tamen ad scelera,sacrilegia,impuritatem,impotentiam, atq; ad uim cædemq; inferendam cõpellunt,præsertim si à Martis etiam collocatione & statu ad hæc inuitabuntur. Omnino autem partes hæ infidæ atq; inconstantes sunt, corruptionemq; rebus inferioribus inducunt. Cum primis uero loca Pliadibus coniuncta, commotiones in aëre atq; in terris excitant,nam & fulmina tonitrusq;,et terrarum suscitare motus solent,adhæc ita corrumpunt,ut pestem quoq; afferant,quarum rerum Sol propinquior illis factus,autor atq; excitator est,

dum terrarum cauernas ad euaporandum, atq; effumandum referat calefactione sua, protrahitq; in editum quæ sunt hausta, ac uim Pliadibus insitam prouocat, prouocandoq; adminiculatur. Quocirca coniunctiones planetarum, quas his in locis fieri contigerit, probe notandæ sunt, tunc enim effectiones ipsæ locorum ac finium manifestiores apparebunt. Etenim licet Sol rerum earum omnium quæ in aëre, aquis, ac terris fiunt, excitator & autor sit, ut dixi, nihilominus tum erraticæ, tum fixæ stellæ uires illi suas adiungunt, neq; enim frustra in cœlo sunt repositæ. Quod etiam loca ipsa possint, dubium nõ est, quæ quidem cum Sole simul æstatem, hyemem, uer, autumnumq; moderantur. Coniunctionum quoq; effectus, efficaxq; illarũ opera pro signorum ac locorum cœli diuersitate uariant. Quocirca nec Soli, nec anni temporibus commotiones hæsic attribuendæ sunt, ut nõ etiam signa partesq; signorum, fixæ item stellæ considerandæ sint. Oriri etiam signum hoc à posterioribus uolunt, obuersis in Geminos capite ac cornibus: quod ideo traditum est, quia cũ Tauri robur in collo, capite, ac cornibus iam maius existat, calor qui excrescere cũ primo Tauri exortu manifestius cœperat, ubi ad capitis partes Sol peruenerit, longe feruentior appareat, feriatq; subiecta loca radijs suis, qua atrocitate percutere Taurus cornibus consueuit. Quia uero Taurinæ triangularitati Venus Lunaq; dominantur, cum primisq; nocturnis in genituris Luna potestatem suam exerceat, inspiciendus est syderis utriusq; status, configuratioq;, hospitatores item, hoc est domini signorum, in quibus Luna Venusq; inueniuntur. Siquidem hæc ipsa quæ à signo portenduntur, & augebuntur, & minuentur, pro situ atq; configuratione utriusque stellæ, cum alterius, hoc est Veneris Taurus domicilium sit, alterius altitudo, utriusq; uero triangularitas, quæ ab ipso Tauro nominatur. Quæ autem hac in parte à nobis obseruanda præcipiuntur, eadem in unoquoq; signo similiter inspicienda præcipimus. Igitur qui Taurum ascendentem habuerit in genitura, cum terrestre id signum sit, delectabitur agricultura, insitione, hortis, ac rerũ ruris studio capietur. Nam cum à Venere ingeneretur in animis nascentiũ delectatio ac uoluptas, excitabitur ea è re studium, studijq; oblectatio ea, quam signum ipsum significauerit: à Tauro autem, cui Venus ipsa præsidet, significantur res quæ in agris exercentur, quam ob rem pro natura tũ Veneris, tum signi, qui hoc habuerint in ascẽdente cœli cardine, dum in lucem ueniunt, colendi ruris studijs delectabuntur, colendi quoq; atq; exornandi corporis uoluptate tenebuntur, eruntq; nitidi, elegantes, mundi, sequentur amores, dabunt operam musicæ, cantibus, choreis, conuiuijs, uersabunturq; inter pigmenta & odores. Quando autem signum ipsum solidũ est, pro signi etiam natura futuri sunt firmo animo, constanti proposito, minimeq;

meq; uarianti consilio. Quia uero, quod dictum est, Lunæ ac Veneris stellæ Taurinæ præsunt triangularitati, ubi hæ stellæ feliciter collocatæ in genitura fuerint, non augebunt modò quæ diximus animorum studia, applicationes q́; , præsertim ubi nocturna genitura fuerit, siquidem triangularitas hæc fœminina est atq; nocturna, uerumetiam natos ipsos prouehent ad honores atq; insignia, præponent illos templis, præficient sacris, sacrorumq́; ornamentorum custodiæ, insignibuntq́; infulis, coronis, purpura, ut in ijs præcipue quæ ad religionem ac deorum cultum pertinent, uiuant maxime honorati, atq; à populis culti. Quia uero signa ipsa quatuor in cœli cardinibus, propter cardinum ipsorum prærogatiuam uires præcipue suas exercent, cui Taurus quidem horoscopauerit, is initio uitæ multis laboribus afficietur, quodq́; in prima ætate sibi comparauerit, facile pòst amittet, idq́; deinde aut recuperabit, aut maiori cum lucro, fortunarumq́; incremẽto compensabit, tandemq́; fortunã propitiam sentiet, prostratis atq; attritis aduersariorum uiribus. Cui autem culminauerit, is publicis in muneribus sese exercebit, aut in templis, seu templorum rebus administrandis, unde rem sibi familiarem comparabit: uxorem ducet aut ignobili genere, aut ætate iam prouecta, quæq́; aut uidua sit, aut ab alio cognita, ut omnino matrimonium non sit futurum absq; infamia: honorabitur autem atq; digniorem in gradum promouebitur uel à rege, uel à principe ciuitatis, aut qui maximis sit facultatibus præditus. Qui Taurum habuerit in occasu, laborabit aduersariorum multitudine, quos ipse tandem uidebit uario malorum genere oppressos, in amores, resq; Veneris admodum procliuis erit, ineruntq́; in eius oculis titillationes amatoriæ, quibus in amorẽ rapiatur, nec sine nota quadam sui nominis. In ijs autem quæ ad patrimonium spectant, uaria utetur fortuna, ut nunc quod sibi comparauerit, amittat, nunc amissum rursus compenset. Qui uero Taurum in imo cœlo positum nascens habuerit, ut in Vrania diximus,

Ille inter proceres, atq; intra limina regum
Versatus, longaq́; fide spectatus in aula,
Magnarum curas rerum ac molimina magna
Suscipiet, credentur opes, credetur & amplæ
Summa domus, claris & famam extendet in actis.

Quin ad ultimam quoq; senectutem perueniet, si illud etiã accesserit, ut in hora natali genituræ dominus bene sit feliciterq́; collocatus, ac non solum in primarijs configurationis locis, uerum in signo finibusq́; suis positus, quiq́; conditionem propriam sic retineat, ut quod uitæ spatiũ promiserit, implere omnino ualeat. Quare aũt, quoq́; modo hæc fiant, semel à nobis dicendum est, ut de hac ipsa Tauri collocatione in orientis cœli cardine

genituræ alicuius tempore exemplo sumpto, facile sit in constitutione signorum cæterorum pro cardinum positura iudicare, deq; illorum significationibus ferre sententiam. De cardinum aũt ipsorum potestate ac prærogatiua, quæ & quanta ea sit, à nobis ante dictum est.

Horoscopante igitur Tauro, cœli culmen ab Aquario, occasus à Scorpio, imum à Leone occupatur. Tres hi cardines significationes suas Tauri significationibus commiscent. Erunt autem significationes ipsæ tum pro natura signorum atq; cardinum, tum pro qualitate stellarum, quæ signis ipsis in cardinibus constitutis dominantur, hoc est, quorum domicilia altitudinesue, aut etiam triangularitates fuerint, hæc enim omnia significationibus ipsis pro uirili quæq; sua multũ conferunt. Quo fit, ut pensitate commiscenda sint omnia, quæ tamen & minuuntur & augentur pro situ atq; irradiatione stellarum erraticarum illis præsidentium, proq; positura & configuratione aliarum etiam erraticarum ad ipsa loca, atq; etiam inter sese. Sed nec fines ipsi in quibus cardines partiliter reperti fuerint, nec item stellæ fixæ ibidem collocatæ non multum etiam momenti habebunt ad significationes ipsas aut implendas, aut minuendas. Igitur Tauri signũ cum sit suapte natura laboriosum (quod agrorum studium ab eo nascentium animis inditum significat, neq; enim temere hoc ipsum nomen, sed ab effectione ipsa maiores nostri indidere, cum taurorum, hoc est boum sit terrã inuertere, solaq; trahendo aratro rescindere) portendit nato uitam laboriosam & grauem quadam cum continuatione, quando solidum ac stabile signum est. Quia uero Venus ei præsidet, Lunaq; in eo altitudinem, utraq; autem triangularitatis ius habet, signum ipsum ab utraq; stella mutuabitur, quod quidem utriusq; ipsarum est peculiare. Itaq; natus ipse ob Veneris beneficentiam multa sibi comparabit, auxiliante etiam Luna, quæ nascentibus agilitatem largitur ad peragenda negocia, cũ labore tamen propter horoscopantis signi naturam. Idem hic in prima ætate parta amittet tum propter Lunæ mobilitatem atq; inconstantiam, tum propter Aquarium culminantem: cum enim sit Saturni hospitium, horoscopum inficit suo, id est Saturnino liuore ac malignitate, idq; eo magis, quod Taurus frigidæ siccæq; cõpactionis est, cui naturæ Saturnus præest. Adhæc Venus mœrere putatur in Aquario, decidit enim è Piscibus, in quibus est sua Veneris ipsius altitudo. Quoniam autem Saturnus post primi cursus sui confectum spatiũ mitigatur, Venusq; à benefica, id est sua natura nunquam recedit, quod primo comparatum cum labore, inde cum dolore amissum fuerat, id demum non modo recuperabitur cum uoluptate, uerumetiam cumulabitur magno cum incremento atq; compendio. Aquarius in medio cœlo collocatus faciet natum ipsum cum potentibus & magnis uiris, atq;

in publi

in publicis actibus negotijsq; uersari. Etenim cum Aquarius humanum sit signũ, & cardo ipse medij cœli sit summus, indicetq; hominum actiones, stellaq; Saturni omnium erraticarum existat suprema, nimirum fit significatio nati consuetudinem futuram cum primarijs uiris, quiq; maxima potestate fungantur, cum quibus etiam amicitiam coniunget ac familiaritatem. Versabitur autem in publicis ac notis actibus, tum propter præstantiã cardinis, qui actus hominum, exercitationesq; decernit, tum propter Mercurium, qui cum Saturno simul præest huic triangularitati. Quodq; Saturnus ipse aquis præsertim marinis præsidet, aquaticis in negocijs, aut quæ in aquis, aquaticaq; secundum loca exerceantur, occupabitur. Quinetiam quod Saturni stella infidelis est, multumq; laboriosa (quæ enim præstat, cum labore præstat: atq; ubi præstitit, nõ satis constanter tuetur) natus ipse fortunarum, ac facultatum suarum nunc incrementum sentiet, nunc iacturam. Laborabit etiam inuidia, & accusationibus propter Saturni stellam, cuius naturam signum ipsum sequitur, cum humanum sit, accusationes autem ipsæ potißimum ab inuidia proficiscentur. Quod autem in domorum constitutionibus ante dictum est, septimus locus, id est occasus cum uxori tribuatur, Scorpius ibidem constitutus in alicuius genitura, cum sit Martis domicilium, atq; è Martis triangularitate, uxorem efferendam portendit nato illi, in cuius genitura occasum tenuerit, aut si mulier fuerit, uirum. Propter Martis quoq; peruersam naturã, & propter locum qui horoscopo aduersatur, contentiones minatur ac lites, procurationes tamen promittit et acumen ac solertiam in illis exercendis. Leo uero quarto de loco, qui locus est domestici census, patrimonijq; significator, portendit natum ipsum ingenij uiribus, suoq; labore patrimonium sibi comparaturum, domesticamq; substantiam. Etenim Leo laboriosum signum est, neq; Leonis nomen signum hoc accepit à generositate tantum, uerumetiam à labore quærendi pastus: ex eoq; non temere dictum est à nobis in Vrania:

Spelunca fremit in magna, dominatur in altis
Montibus. Aethiopumq; tremunt deserta Leonem,
Quærendo tamen insudat per deuia pastu.

Cum autem sit Solis domicilium, sintq; Sol & Iupiter eiusdem triangulatores, utriusq; stellæ beneficio comparatio bene ampli patrimonij, multarumq; etiam facultatum collectio denunciatur. Eæq; facultates propter signi naturam solidam ac cõstantem erunt admodum stabiles, atq; apud eum firmiter permansuræ.

Ne autem Arieti qui signiferi principatum obtinet, iniuriam feciße uideamur, non erit nobis molestum de cardinali eius configuratione, deq; totius figuræ cardinũ significationibus causas rationesq; afferre, ut ad Arie-

tis Tauriq; imaginẽ atq; exemplum de cæterorũ signorum cardinali in genituris positione, rerũ harum studiosus qui fuerit, scitẽter non minus quàm diligenter sententiam ferre queat. Quid autem, & quam ob causam Aries in horoscopo positus decernat, paulò est ante dictum. Quia uero eo nascente Capricornus cœlo in medio culminat, estq; signum mobile, aridæ, frigidæq; compaginis, atq; fœmineũ, domiciliũ Saturni, altitudo Martis, triangularitas Lunæ ac Veneris, natorũ ipsorum animis ad ea quæ Aries indidit, fermentationem quoq; suam adiunget. Quocirca quia signum hoc est etiam tropicum, quia culminãs, natus ipse futurus est gloriæ appetẽtior quam etiã assequetur tũ Saturni præsidio, qui est signi dominus, ac Martis, qui habet in eo altitudinẽ, tum etiã Veneris ac Lunæ beneficio, quæ triangularitati præsunt, atq; eo magis si hæ bene in cœlo collocatæ fuerint, unde negotijs etiam quibusdam præficietur, è quibus gloriam sibi comparabit, domesticamq; supellectilem, multisq; etiam alimenta exhibebit. Indet huic nato Saturnus studium priscarum, maximeq; reconditarum rerum naturæ cognoscendarum propter Capricorni domicilium. Mars ad gloriam adhibebit stimulos propter altitudinem. Luna conferet ingenij agilitatem propter triangularitatem. Venus item fauorem suum cum has ad res omneis pollicetur, tum etiam ad mysteria religionum cognoscenda, cum ex omni parte benefica sit. Quibus etiam è rebus simul cõiunctis efficitur, ut natus is futurus sit graui consilio, solerti ingenio, mente perueſtigante, generoso animo, uoluntate integra, nonnihil tamen inconstanti propter signi naturam: demũ ijs erit animi dotibus præditus, eaq; autoritate, ut rebus pluribus non modo commodus, uerumetiã necessarius iudicetur. Quocirca magnas etiam res administrabit, illisq; administrãdis præpositus erit. Libra occasum tenens, quia mobile signũ est, uitæ quoq; cõmutationem decernit. Quia uero domus Veneris, quia Saturni altitudo, itemq; triangularitas, in qua sociũ sibi Mercuriũ adiunxit, quia signum etiam uirile atq; æquinoctiale, consuetudinem nati ipsius futuram denunciat cum maximis uiris, aut in principum & regum aula, cuius tamen status facultatesq; instabiles, ac non satis certæ futuræ sint, tum propter inconstantiam signi, tum uel maxime propter Saturni maleficam qualitatem: quippe qui nunquam illum ita prouehet, ut non pòst de statu deijciat, ex altoq; atque illustri loco in humilem obscurumq; deturbet, cum sit stella hæc ueneno quasi quodam liuoris intincta, ut quod boni collatum à se fuerit, non patiatur consistere. Quocirca & contentiosas lites aliquando mouebit, & in re uxoria molestias ac tristitiã afferet propter cœli situm. A Cancro imum cœli cardinem tenente, cum sit signum etiam tropicum, Lunæ domus, altitudo Iouis, triangularitas Martis, in qua Lunam ac Venerem sibi socias assumpsit, promittuntur nato honores,

nores, bonorumq; ac uitæ ornamenta, nominis item claritas, & magistratuum ac dignitatum insignia, unde sibi rem familiarem, fortasse etiam è templis ac deorum redditibus comparabit. Affines tamen quosdam aduersantes sibi experietur: neq; enim Martis turbulentior uis potest ita conquiescere, ut non intemperatus eius impetus alicunde prorumpat. Hæc igitur singillatim in uniuersumq; cõsideranti, & undecunq; signorum, cardinum, locorum, atq; erraticarũ uires naturasq; pensitanti, simulq; commiscenti facile fuerit, aut certe non omnino difficile, denunciare quid in genituris signum quodq; in ortu, occasu, medio, aut imo positum, aut promittat boni, aut minitetur aduersi. Cum primis autem inspiciendũ est, quo in loco signorum ipsorum domini, triangulatoresq;, quiq; altitudines in signis habent, constituti sint, quo etiam è loco respiciant, status quoq; atq; conditiones singularum erraticarũ, fines itẽ ac simũ domini diligenter colligendi atq; obseruandi, partes quoq; corporis quibus præsunt, & item rerum qualitates nequaquam negligendæ, domini quoq; genituræ, qui etiam hospitatores & quales, quiq; eorũ etiam status: ut cognitis primum significationibus uniuscuiusq;, post in unam tanquam massam permixtis redactisq;, tandem penso adhibito illas temperet, temperatasq; simul concinnet. Cum primis tamen nati qualitas ac patriæ, parentum, generisq; conditio consyderanda est: neq; enim ex agro macilento atq; infœcundo ea prouenire fertilitas potest, quæ è fœcundo & pingui solo. Quocirca patriæ ipsius generisque mensura in utranque partem ad ea quæ à cœlo, stellisq; decernuntur, accommodanda est.

His autem in hunc modum explicatis ad Taurum reuertamur, cui ut in hominum corporatura collum ceruixq; addicuntur, sic è terrarum regionibus tanquam membra quædam addictæ sunt Parthia, Media, Persis Cyclades, Cyprus. Pertinet autem Media à septentrione ad mare Caspium, quod & Hyrcanum dicitur, ab occasu Solis maiori Armeniæ, atq; Assyriæ iungitur, ab ortu Hyrcaniæ, à meridie Persidi, quæ & ipsa Tauro subiecta est, adhæretq; ab occasu Susianæ, ab ortu Carmaniæ, à meridie mari abluitur, quod Persicũ dicitur. Parthia uero ab occasu Mediæ ipsius partem attingit, à septentrione Hyrcaniã, ab ortu Ariã, à meridie deserta Carmaniæ. Cyclades quoq; insulas, Cyprũ item notissimã insulam Taurus sibi uendicat, Asiæq; minoris orã omnẽ maritimã, quæ Græce παραλία dicta est, easq; abluitur ab occasu Solis Propontide, Hellesponto, Aegæo atq; Icario mari. Asia uero ipsa minor continet Mysiam, Troadem, Phrygiam, Ioniam, Lydiam, quæq; Mæonia dicta est, & Cariã, ab ortuq; annectitur Lyciæ, atq; huic quoq; à meridie ac Pamphyliæ, à septẽtrione Bithyniæ: à Græcis hodie Natolia uocatur omnis ille tractus, à nostris Turcia, quod

à Turcis occupata diutius fuerit, antequàm ij Constantinopoli potiti sint.

De Geminis. Cap. III.

QVoniam Geminorum tractus ad punctum usq; Solstitiale se se extendit, necesse est Solem per tractum hunc euagantẽ uehementioribus radiorum uiribus ad calefaciendum uti, immi nuto præsertim humore, qui in prima Veris parte multus erat. Cũ enim Ver sit in initio humidius, ac satis calidũ, propter Solis pro greßionẽ ad æstiuum Solstitiũ, humiditas illa pedetentim minuitur calore superante: quo fit, ut Geminorũ signũ sit quodammodo temperatũ, exhau sta magna è parte humidi exuperantia, calore autem sic adaucto, ut nullo ta mẽ pacto eripiat æstati quod suum ac propriũ munus est. Quocirca tamet si Veris pars ultima in calorem omnino uergit, æstuosior tamen ac torren tior illa caloris uis æstati relinquitur, qua è re dicta est æstas. Atq; hinc ef ficitur, ut Veris pars ultima suapte natura temperatior sit, licet, ut dictum est, in calorem magis uergat, humore diminuto. Nihilominus cum signum hoc humidum perhibeatur ac calidum, Solq; ad æstiuum punctum prope ret, euehatq; in aëra uapores plurimos ac uehementer crassos) accidunt etiam hoc tempore nonnullæ quidem pluuiæ, licet rariores, tamen uehemen tiusculæ, nimbiq; interdum etiam procelloſi. Itaq; maiores nostri quamuis uniuersim dixerint signum hoc temperatum, ita tamen totum distinxere, ut primam eius partem humectam, procliuemq; in corruptionem existima rent, mediam temperatam, ultimam uariam atq; inconstantem, propter So lis potentiorem uim protrahendis in editum uaporibus, quæ è protractio ne generantur in cœlo pluuiæ, non modo repentinæ, uerumetiam procello ſæ, grandine nonnunquam ac uentis mixtæ, quorum quidem omnium cœli situs, ac Sol ipse autores sunt. Non parum etiam cum stellarum fixarum, tum erraticarum status ad hoc ipsum conferunt, quando in ijs etiam quæ in agris contingunt, ad remq; pertinent rusticam, nec Sol, nec cœli ipsius, aut terrarum situs ita præstant omnia, ut non humana etiam industria, la borq; hominum plurimum illis conferat, quod experientia ipsa monstrat quotidie, arando, fodiendo, stercorando, irrigando, quæq; alia humana ad inuenit industria faciendo, multo cum sudore & cura, ut nec Soli, nec situi, quamuis ab illis manent omnia, cuncta sint penitus referenda, cum stella rum fixarum actiones non parum etiam conferant. Quæ uero partes in boream eriguntur, cæuentos, ac terrarum motum excitare consueuere: quæ in austrum uergunt, siccitatem & æstum: tametsi & in hoc ipso & in cæteris item signis, ut ea quæ de partiũ qualitatibus à Ptolemæo alijsq; di sciplinæ huius scriptoribus traduntur, quod scilicet primæ cuiusque signi

partes

partes sint unius naturæ, reliquæ uero duæ dißimilis ac diuersæ: sic partes illas, quæ ad austrum aut septentrionem pertinent, arbitror longe pluriz mum uariare, aliterq; partis ipsas se habere in regionibus sub arctum, atq; in septentrionem positis, aliter austrum uersus ac sub meridiẽ. Neq; enim Sol cunctis in regionibus eadem radiorum potestate, ijsdemq; uiribus utiz tur, eodemq; illo tempore, mouendis in aëre qualitatibus, cum nõ omnium regionum idem situs, eademq; sit ratio. Atq; ut semel quidem dicã quod sentio, nõ modo pauca quædã, uerumetiã permulta ab Aegyptijs Chaldæz isq; autoribus ex obseruatione cœli ac plagæ illius sunt tradita, quæ pòst à Græcis Latinisq; scriptoribus accepta & probata: terris tamen nostris potißimumq; in septentrionem uergentibus parum consentiunt, tum excitandis uentis ac terræmotibus, tum hymbribus diffundendis aut niuibus, cum maxime differant tractus ipsi situsq; regionum, neq; Solis ipsius eadem sit ubiq; irradiatio. Adhæc partes signorum in austrum, septentrione mue promotæ quid ad Solem? cũ Sol per signiferi orbis tractum mediũ feratur: ni forte stellæ illis in partibus collocatæ & fixæ uel ad calorem augendum conferant aliquid propinquitate sua, uel ad pluuias inducẽdas: quod profecto perleue nescio quid uidetur. Neq; enim quod in Aethiopia aut Arabia ex illa fixarum propinquitate contingit, id etiam usuueniet in Germania aut Britania: nec quod in Germania, id etiam in Garamantibus et Nasamonibus. Qua enim ratione in Italia, nedũ in Britania possunt Aquarij partes urere, ut Ptolemæo placet, in septentrionem spectantes, cũ quæ in austrũ uergunt, niues maximas eodem ipso autore moliantur, quo quidem tempore Sol partibus ijs Aquarij tum austrinis, tum septentrionalibus non multis post brumã diebus æque propinquet. Quæ igitur prouenire inde calefactio, ne dicam urẽdi maior uis potest? Quod si hæc à Ptolemæo dicuntur ob erraticas stellas in eas partes latius breuiusue promotu ac diuagatione sua cuiusq; digredientes, parum quidem proprie dictum uidetur eas urere, siue de Mercurio dicatur, siue de Marte, cũ aëris aduzstio, ac maior illa calefactio ad Solem referenda sit, non ad erraticas. Nam Saturnus calorem reprimit, idq; ipsum sponte sua præstat Luna, Iupiter uero potius temperat. Hæc igitur hoc præsertim in loco atq; in hunc modum ita dicta sint à nobis, ut alijs etiam locis opportune accommodentur. Illud tamen non inficiabimur, erraticas stellas, ubi in ea loca delatæ fuerint, & calefieri & humectari & refrigescere, magis minusue supra naturam propriam partibus ab illis posse, ac præsertim Lunam, quæ signiferi latitudinem omnem libere magis peruagatur, fixas uero illic collocatas tantũ quidẽ pollere, ut quàm ratio temporis, quàm regionis uis plus ualeat, uel ad calorem excitandum, uel ad frigus, mihi quidem consentaneum

parum omnino uidetur, quando rebus his inferioribus uariandis situs ipse regionum plurimum confert, neq; uarietas ubiq; terrarum cœli uarietati uel omnino consentiat, uel penitus aduersetur, ac persæpe longinquis è terris uapores plurimi à uentis conuehantur, qui qua in regione consederint, illic repente tempestates excitent, easq; præter temporis ac regionis naturam intemperatiores. Est igitur Geminorum signũ huiusmodi. Fines aũt signi ipsius naturas has referunt in genituris. Primi nanq; septem Mercuriales sunt, ac propterea natum ipsum ad studia rerum earum, quæ Mercurio ascribuntur, alliciunt, ad scientiam, ad actiones, ad exercenda negotia. Erit itaq; natus ipse solers, atq; in tractãdis negotijs artificiosus ac uersatilis, moribus etiam temperatis ac tranquillis, & ad suscipiendam prolem abunde aptus. Qui sequuntur statim fines numero septem cũ Ioui sint addicti, natum ipsum modestum ac temperantem reddent, beneficum bonæq; institutionis, fœcundũ quiq; in athleticis, ut Græci dicunt, certaminibus uersetur: nec uero poëtæ temere finxerunt Castorem ac Pollucem Iouis filios, à quibus signum ipsum nomẽ accepit, equestri pugillariq; certamine tantopere ualuisse. Tertij loci fines numero etiam septem, qui Veneri ascribuntur, præstabunt natum ipsum in cuius genitura horoscopauerint, studiosum musicæ, elegantiæ, poëticæ, pigmentariæ, odorũ, rerumq; earum quæ uoluptatem afferant, quæq; ingenerent in animo lætitiam ac iocunditatem. Hactenusq; signi huius fines genitales admodũ prolificosq; tradiderunt. Nam & signum humanum est, & item calidi humidiq; temperamenti, & finium domini sunt etiam fœcundi. Quatuor qui subsequuntur fines, Saturnoq; ascribuntur, natum efficient moderatum, intellegentẽ, notum, prudentem, resq; sibi commissas egregie dispensantem, quiq; magnitudine animi, ac gerendis rebus præstet. Hæc aũt eo maiora sunt futura, si Saturnus triangulator cum Mercurio socio, ac signi domino feliciter collocatus fuerit genituræ tempore. Cum enim Mercurius præsit rationi, Saturnus consilio, ac cogitationi, bene uterq; collocatus hoc ipso præsertim signo horoscopante, nati animum ad rerum naturæ cognitionẽ, ad sapientiam, bonarumq; artium institutionem, solertemq; negotiorum administrationem, unde clarus euadet, inuitabunt. Qui reliqui sunt fines quinq;, quod Marti addicuntur, maleficam & ipsi Martis naturã in animo ac uita nati repræsentant, quem & fratribus orbabũt, & laboribus in multis, molestijsq; constituent, curas animo difficillimas afferẽt, prolem uix annuent. Erit aũt natus ipse atrox acerbus, contentiosus, immitis, qui tamen abundet re familiari, gaudeatq; peregrinationibus, ac locorum mutationibus, multisq; negotijs sese libenter implicet, cũ stella Martis tũ natura sua, tũ suffragio Mercurialis signi multo etiã promptius hæc sit præstitura.

tura. De numero autem finium signi huius, deq; eorum etiam dominorum ordine Aegyptij aliter sentiunt. Siquidem Mercurij fines primo loco sex tantum esse uolunt, totidemq; secundo loco Iouis, tertio autem Veneris quinq; non amplius: at quarti loci fines numero etiam septẽ Marti dedicant, reliquos uero quinti atq; ultimi loci Saturno, eosq; sex esse contendunt. In quorũ itaq; genituris Gemini ascenderint, ij erunt intelligendis perscrutandisq; naturæ rebus apti, curiosi, facundi, poëtici, numerorum, literarum, ac disciplinarum studiosi, exercebunt mercaturas, implicabuntur negotijs, remq; familiarem prudenter administrabũt, eruntq; prudentes dispensatores, & honesti bonique æqui iudices, delectabuntur interpretationibus, ac perscrutationibus rerum occultarum, præsertim si Mercurius fuerit artium ac magisterij dator. Itaq; ut in Vrania diximus,

Hi rerum occultas causas, arcanaq; sacra
Rimantur, uerbisq; modos, & carmina neruis
Adiungunt, pretio aut capti fora multa frequentant,
Aut ueterum monumenta docent, & scripta uirorum,
Aut operam impendunt linguis interprete cura,
Et decus, & quicquid monstrat sapientia, norunt
Cœlestes Gemini concordi fœdere iuncti.

Quocirca cui ascenderint in genitura, is in primo uitæ suæ tirocinio laboribus non parum fatigabitur, non tamen ut ei ad uictum desint necessaria, instituetur bonis artibus, in quibus ingenij sui uires exercebit. Nam & Mercurius signi dominus rationi præest, & Saturnus cum eodem triangulator ingenium acuit, impellitq; ad cognoscenda rerum naturæ occulta. Signum etiam ipsum cum humanum sit, rationem quæ propria est hominis, ut sequatur, compellit. Quibus è rebus efficitur, ut natus ipse ad ea quæ rationis atq; ingenij sunt, animum applicaturus sit, ac non sine labore molestijsq;. Nam & Saturni stella laboriosa est, & Mercurius nati animum primamq; adolescentiam, cui præest, ita exercebit, ut quiescere illum uix patiatur. Versabitur itaq; cum præstantibus uiris, cum quibus amicitiam seruabit, atq; hoc pacto censum sibi remq; familiarem cõparabit. Quodq; signum hoc, quod alij commune, ut dictum est, ac duplex, alij bicorporeum uocauere, inter Veris finem æstatisq; principium constitutũ est, atq; hanc ob causam communitatem quandam utriusq; temporis retinet, iccirco nati etiam animus & in agendo & in consultando mediocritatẽ quoq; retinebit: neq; enim aut statim de proposito dimouebitur, ut leuis appareat, aut in illo ita obdurabit, ut pertinaciæ accusari debeat. Idem Gemini in quorum genitura cœli cacumen possederint, eorum animos propter suam dominiq; naturam multarum artium ac disciplinarum studiosos facient,

quippe qui admodum docti euasuri sint, rerumq; abditarum naturæ magnopere periti. Quam ad rem Saturni quoq; stella multum conferet, quæ triangulo signi huius præposita est cum ipso Mercurio simul, quã ob rem natus ipse magnam sibi docendi atq; instituendi autoritatẽ procedente ætate, atq; in ipsa senectute uendicabit. Ex his autem aut è publicis administrationibus uitæ sibi præsidia cõparabit propter cardinis maiestatem, aut forte è templorum aut sacrarum rerum prouentibus, suffragante etiam Virgine ab horoscopo, quod signum naturaliter religiosum est, multarumq; disciplinarum scium, eiusdemq; Mercurij hospitium. Geminis occasum tenentibus, qui in lucem ueniunt, futuri sunt ingeniosi, solertes, eruditi, quiq; alios etiam erudiant, scribæ atq; à secretis ministri, secretarumq; literarum interpretes, quod Mercurij stella præstabit: erunt etiam rerum cœlestium periti, aut sacrorum præfecti, antistitesq;, quam ad rem Saturnus triangularitatis dominus ac socius operam quoq; suam impendet, præstabitq;, ut ijdem ipsi dolores atq; erumnas æquissime ferant, ut simultates, odiaq; dissimulent, ut iustitiam colant, & in senectute sua rem familiarem uberem atq; amplam possideant, ut filios quoq; ac nepotes suscipiant. Vbi uero imum cœli cardinem Gemini occupabunt, qui tunc nascentur, multis in uita ægritudinibus, multis etiam doloribus erumnisq; opprimentur, laborabunt occulto aliquo corporis uitio, patrimonia, resq; partas amittẽt: quæ mala Saturni nocens astrum inferet, præsertim ubi nocturna genitura fuerit: pòst uero mutata fortuna, diuitias sibi multas acquirent, multa etiam compendia quasi ex improuiso eis offerentur. Senes tandem peregre, ac fortasse repente morientur, præterquàm si, ut Iulius Maternus tradit, genituræ dominus felici sua collocatione hoc ipsum prohibuerit. Subiciuntur autem Geminis regiones hæ: Armenia, quæ à septentrione iungitur Colchidi, Hiberiæ, atq; Albaniæ, à Solis occasu Cappadociæ, ab ortu Hyrcano abluitur mari, inhæretq; Mediæ, à meridie Mesopotamiæ atq; Assyriæ. Hyrcania, quæ à septentrione non exigua parte Caspio mari abluitur, qua è re Hyrcanum quoq; agnominatum est, annectiturq; Mediæ ab occasu, à meridie Parthiæ, ab exortu Margianæ, quam uideo uocatam etiam Mantianam. Hæc ipsa Margiana Geminis quoq; attribuitur, estq; ab occasu Hyrcaniæ finitima, à septentrione Scythiæ, à meridie Ariæ, ab exortu Battrianæ: duxit aũt nomen à Margo fluuio, qui illam penè mediam secat è Sariphis defluens montibus, Oxoq; immixtus in Hyrcanum influit: clauditur aũt ferè continuatis montibus, præterquàm ab ea parte quã mare abluit. Nec uero quispiam miretur, quod hac in explicatione, regionum etiam fines tradamus. Id enim eo cõsilio facimus, quod cũ nequeamus subiectorum locorum noua nomina certis limitibus conscribere, finibus illa complecti-

plectimur ijsdem quibus maiores nostri ea descripsere. Cyrenaica quoque, ac Marmarica, Aegyptusq; inferior Geminis addictæ sunt. Finitur autem Cyrenaica ab occasu Syrti maiore ac Philenorum aris, à septentrione Libyco mari, quod & Punicum uocatur, ab ortu Solis Marmarica, à meridie Libyæ desertis locis. Ipsa uero Marmarica cum Aegypto, cuius ipsa pars est, ab occasu Cyrenaicæ coniungitur, à septentrione Aegyptiaco mari abluitur, ab oriente Iudææ, atq; Arabiæ Petræa, à septentuione uero Aethiopiam pertingit.

De Cancro. Cap. IIII.

PRimum Cancri punctum, quod postquam Sol eo loci peruenit, non habeat, quo septentrionem uersus progrediatur ulterius, sed cursum potius suum in austrum conuertat, uocatum est Græce τροπικὸν, à conuersione, à qua efficitur, ut dies ex eo puncto decrescere, è cõtrario augescere nox incipiat. Quodq; per aliquot dieculas detrimentum ipsum lucis uix appareat, tanquam Sol ipse sistat, tempus illud apellatum est Solstitium, & Cancri signum tum Græco nomine τροπικὸν, tum Latino Solstitiale dictum est. Sol igitur ubi eò profectus fuerit, ex editissima illa mundi specula, ac tanquã ex arce quadam rectissimos radios, maximeq; uehementes in caput nostrum proijcit, qua è re feruentissimi calores excitati aërem accendunt, fitq; in regionibus præsertim septentrionalibus maxima uaporum in aërem euectio. Quapropter repentinæ pluuiæ, hymbresq; procellosi ex eo tempore incipiunt, quas etiam ab hac ipsa cõuersione hodie Tropeas peruulgate dicimus, easq; flatus ipsi septentrionales in Italiam impellunt, magno & procelloso impetu. Nihilominus signum ipsum serenum apparebit, si in uniuersum naturam eius considerabimus: fluunt enim ex eo propter Solis radios quamrectissimos calores ingẽtissimi, quinetiam si particulatim illud metiemur, qua præsepe sitũ est, ex ea regione exæstuare cœlum uidetur, & aër ipse ita torrere, ut penè exanimentur animalia, ac nonnunquam terrarum etiam motus cieantur, quod nuper quidem accidit. Efficitur etiam ut aër ipse caliget de nimia fumigatione, aridisq; aspirationibus ex interiore Soli tractu ui caloris euectis. Ac tametsi partes mediæ temperatiores existimantur, quæ tamen ultimæ sunt, uentosiores habentur: quæ in boream, aut austrum tendunt, torrent potius quàm calefaciunt. Hæc autem in hunc modum ut se habeant necesse est: haurit enim Sol ex altissimo ac rectissimo cœli culmine interiorem terræ sinũ, effertq; inde aspirationes illas quas exiccato penitus humore, matris naturam sequi, hoc est maxime terrestris ac fuliginosas esse necesse est. Ex eoq; fit, ut caligo admodum densa tum aërem occupet, tum eam ob

denſitatem cœlum æſtuet, uentiq; tandem uehemẽtiores ſuſcitentur, qui terreſtri ex aſpiratione gignuntur: quæ quidem, ut non ſemel iam diximus, à Sole præſertim, atq; à cœli ſitu proueniunt. Multum etiam confert terrarũ ipſarum poſitura, ut hic magis quàm alibi & caligo maior conſtet, & procellæ maiores inhorreant, quinetiã ut alibi caligo ipſa magis magisq; exuſta in uentos uehementiores abeat, alibi ut madefacta aut uaporibus humentioribus immixta, & tanquam infecta in hymbrem pòſt diſſoluatur, multo uento immixtum, ſiquidem Aethiopia hymbribus penè demergitur Sole Cancrum peragrante. Quanquam autem ſunt qui alia ratione ſignum hoc partiantur, Ptolemæus tamen cœleſtem Cancrum, qualem iam diximus, eſſe perhibet. Quibus autem naſcentibus Cancer horoſcopauerit, quod Lunæ domus, quod Iouis altitudo, quod Martis, Veneris, ac Lunæ triangulum, hi acuto erunt ingenio, compoſitis moribus, ſuaui conſuetudine, magna ſeueritate: nam & uitia grauiter inſectabuntur, & in improbos acerrime animaduertent: & quanquam in iram facile prolabuntur, propter Martem triangulatorem, facile etiam miteſcunt, ira compoſita, propter Iouem ac Venerem. Publicorum quoq; munerum ſtudioſi futuri ſunt, propter Lunam, unde cenſum ſibi familiarem, diuitiasq; acquirent. Tractabũt res publicas, aut regiarum rerum adminiſtratores erunt: propter naturã autem ſigni ipſius erunt inconſtantes, neq; unum ſequentur uitæ genus, ac perſæpe aliud in ore, aliud in pectore habebunt. Delectabuntur peregrinationibus, ac libenter errabunt, propter naturas autem erraticarum quas dixi, & propter cœli ſitum. Erunt etiam gloriæ cupidi, factioſi, turbulenti, & auræ popularis ſeditionumq; ſtudioſi, ludis etiam dediti, atq; in libidinem resq; uoluptarias procliues. Quibus uero Cancer culminanerit, ijs, ut in Vrania diximus,

Felix multa cum laude ſenectus
Continget, tum clarus honor præſtantibus actis.
Ac ueluti lento ſenſim per littora paſſu
It cancer, tardusq; graui ſub mole laborat,
Paulatim ſic diuitias, ſic lentus honores
Accumulat, donec grauidos complerit aceruos,
Vix tamen ut gemino fœcundet uiſcera partu.

Iulius Maternus tradit horum pueritiam atq; educationẽ futuram in locis religioſis, aut publicis, ultimumq; uitæ tempus nobilitatum iri diuitijs, ſplendore, gloria, filiosq; aut nullos, aut unicum ſuſcepturos, niſi Iupiter locum ipſum aſpectu ſuo irradiauerit. Nos uero exiſtimamus etiam ea quæ de educatione in locis ſacris, aut publicis dicuntur, à Ioue manare, cuius altitudo eſt in Cancro, & item à Venere, quæ eſt trianguli ipſius domina, cum Lunæ etiam ſuffragio, quæ publicis rebus putatur præeſſe. In occaſu

Cancer

Cancer positus portendit eos qui nati tunc fuerint, maximis molestijs laboraturos affiniũ suorum gratia, grauissima etiam pericula obituros, Mars enim trianguli dominus ab occasu magnam sibi ad nocendum potestatem assumit, propter loci naturam. Ad hæc Venus septimo in loco non satis bene collocatur, præsertim tropicis insignis, siquidem infamiam parit ob coitus impuritatem. Ab imo loco, id est subterraneo à cardine Cancer affluentiam promittit rei familiaris, dignitates, honores, titulos. Quocirca diligenter inspiciendũ est, si Iupiter locũ ipsum aut tenuerit, aut feliciter aspexerit, ut promissorũ qualitas planè iudicari possit: nihilominus squalorem nescio quem, ac uestitus sordem innuit, propter oppositionẽ Capricorni, cuius dominus est Saturnus, cũ eius stella sordidior sit, ac tristitiã cũ squalore afferat. Signi aũt huius primi fines qui sex constant è partibus, quoniã Martis naturã sequuntur, fulmina in aëre excitant, atq; in animis nascentium intemperantiam: qua è re futurum est, ut temeraria, peruersáq; sequantur consilia, motusq; inordinatos, profligentq; bona sua. Minatur etiam affinium causa contentiones ac molestias. In libidinem ac flagitia præcipites ferentur, quippe qui futuri sint impuri admodum ac flagitiosi. Secundi fines qui partibus è septem constant, Iouiq; addicuntur, natos portendunt modestiæ, temperantiæ, probitatis, iustitiæq; cultores, magnificos, generosos, gloriæ atq; honoris cupidos, quiq; regios mores præ se ferant, artisq; sequantur imperatorias. Eædem partes natos ipsos ad omnem probitatem atq; ad bonas artes inuitant. Tertij fines septem è partibus constituti, quia Mercurio ascribuntur, natos indicant populares, diligentes, solertes, rapaces, publicorum bonorum direptores, publicanos, opulentos, multaq; cum re familiari. Quarti fines, qui septem constituuntur è partibus. Veneriq; addicuntur, innuunt nascentium animos inconstantis, uarios, libidinosos, infames, opprobriosos, dolosos, seditiosos, turbulentos. Ipsæ uero partes humidæ perhibentur. Vltimi fines, qui partes tantum tres complectuntur, Saturnini esse perhibentur, atq; omnino mali: nam & rem familiarem nati qui eos horoscopantes habuerit, dissipabunt, & illum in summã tandem egestatem redigẽt: fines etiam hi humidi admodũ esse traduntur. Aegyptij uero primos fines septem è partibus constare uolũt, secundos autem non Iouis esse, sed Veneris, ac sex tantum è partibus, tertios item partibus è sex, quartos Iouis esse, ultimos omnino partibus è quatuor. Famulantur autem Cancro Numidia, & Africa minor, quæ maioris pars est, ex Asiæ uero regionibus Bithynia, Phrygia, & Colchis. Minor igitur Africa, cuius olim princeps fuit Carthago illa æmula Romani imperij, nũc uero caput est Tunes, uocaturq; hodie Barbaria, finibus his cõtinetur: ab occiduo cardine Mauritania, Cæsariensi, atq; Ampsaga flumine, à se-

ptentrione mari Punico, ab ortu Cyrenaica, à meridie Libyæ, hoc est Africæ ipsius desertis. Numidia pars est eius, qua pertinet ad Ampsagam fluuium, quáq; ad Oceanum qui ab ea Numidicus dicitur, atque ad Audũ montem, hac tempestate uix oppidis aliquibus habitatur, Arabibus hoc est Nomadibus infestantibus, qui Scytharum more palabundi errant. Bithynia, Pontusq; ab occasu, ore Ponti è regione Cõstantinopoli, atq; Propontide, à meridie minore Asia, de qua iã diximus, ab ortu Paphlagonia, Galatiaq;, à septentrione Ponto Euxino includitur. Phrygia uero, itemq; Lydia ac Mæonia, minore Asia continentur, cuius oram maritimam diximus Tauro esse subiectam. Colchis est ad mare Euxinum, ab occasu Sarmatia finitur, quæ est illi ad septentrionem: labitur per eam Phasis fluuius Caucaso è monte defluens, quo monte ab Hyberia diuiditur ortum uersus, à meridie fines habet cum Cappadocia, Armeniaq; maiore: nomen obtinuit à Colcho urbe, quæ quantopere celebris fuerit, ea quæ à Poëtis de aurato Ariete feruntur, deq; Iasonis nauigatione, Aeta item rege, ac Medea, docent. Aetate nostra ignobilis squalet, parsq; est Tartariæ.

De Leone. Cap. V.

NOmen ipsum Leonis uidetur præ se ferre feruorem quendã incẽsi aëris: hæc etenim præcipue ratio signo nomẽ dedit, nã etsi rectissimi ac ualentissimi è Cancro radij proijciuntur à Sole, nihilominus feruor ille tam æstuosus & penè suffocabundus, atq;, ut Græci dicunt, πνιγώδης, in Leone concipitur, id quod etiam domesticis in balneis usuuenit, ut eæ postquam bene concaluere, exæstuent, difficileq; admodũ sit illas pati: nimius enim ille calor & angit animã, & spiritus penè suffocat, atq; elidit: nec solũ in balneis, uerumetiam in cubiculis, cœnaculisq;, ubi diutius in eis ignis efferbuit, hoc ipsum consueuit accidere. Diuturnior enim caloris immoratio in locis præcipue conclusis æstũ ingenerat. Sol etenim è Geminis prius, pòst è Cancro ita terræ meatus caminosq; adaperuit, fumigationibus terrestribus cœlum sic impleuit, ex humectis locis usqueadeò succos exhausit, ut cum ad Leonem peruenit, perq; eum uagatur, aër ipse tanquam effumare uideatur, caligineq; spissiore constare, ut nec auræ fluuiales, aut maritimæ spirent, nec uenti usquam flatusq; illi aërij sentiantur, fitq; ut sæpenumero hymbres intemperantissimi, procellæq; turbulentissimæ prorumpant ex aëre ob hanc tantam fumigationem, caligantiumq; aspirationum redundantiam. Meritò igitur signum ipsum ab hac efferuescentia uocatus est Leo, quando, ut Ptolemæus scriptum reliquit, in uniuersum calidum atque æstuosum est, cuius etiam priores partis æstuare tradat, posteriores humescere, corruptionemq;

nemq; inducere, quanquam medias temperantiam retinere quandã existimat. Etenim in signis ipsis usuuenit, quod in animalibus, ipsisq; terrarũ locis ac tractibus, quodq; etiam in fontibus, & aquis, ut uniuersim quidem sua quadam communiq; natura præditi sint, ac nihilominus peculiaris, & ut ita dixerim, natiua, priuataq; alia quædam uis illis sit insita, quæ ab uniuersi qualitate dissentiat. Quid quod in agro Baiano, Puteolano, Neapolitano serpentes quidam sunt ueneno qui careant, licet serpentum genus omne dicatur uenenosum. Fontes quidem ipsi humidi sunt, perinde ut aquarum genus omne, quarum etiam propriũ est sitim extinguere. Aquæ tamen nonnullæ tum fontanæ, tum fluuiales epotæ sitim magis ac magis accendunt, bibendiq; auiditatẽ. Bilioſi qui sunt, pro bilis ipsius natura rationeq; concitati esse, uehementioris q; commotionis consueuerunt. Inueni as tamen è bilioſis non paucos qui sint quamlentißimi, ut cõtrà è pituoſis, phlegmaticis q; uchementes & concitatos. Coruos ego, ceruosq; complures uidi albo colore, qui ab horum genere natura ipsa remotus atq; alienus est: quinetiam pauones quosdam omnino candidos, quorũ tamen pennis nihil in auium genere eadem natura uariabilius fecit. Nihil etiam Apulia terra, ut Aegyptum prætream, siticuloſius, lacus tamen & ipsa quosdam habet in oratum Rhodia, tum Sipontina, & aliquot etiã fontes. Itaq; natura illa uniuersa perſæpe in omni rerum genere uarietates quaſdam ſuſcipit, quæ uideantur ab ipso uniuerſo penitus differre. Quodq; de Leone nunc dicimus, de alijs etiam signis dicimus, ut uniuersim quidem naturæ unius atq; conditionis sint, particulatim uero naturæ alius ac diuersæ. Igitur in hoc ipso Leone partes quidem boreales cõcitatæ sunt & igneæ, quod cum signi natura cõuenit: at quæ in austrum uergunt, humidæ. Sunt etiam qui Leonem hunc in modum partiantur, atq; ad uigesimam usq; partem æſtuoſum adeò esse tradant, ut etiam ſuffocet, exanimetq; ſubiectis in regionibus animalia, ad dextram item partem concitatum atq; ardentem, qua uero in austrum uergit, humectum & igneum, in inferioribus autem partibus omnino pernitioſum atq; exitiabilem, in medijs uero atq; ad ſiniſtram temperatum. Nos hæc regionum potius ſitui poſituræq; aſcribenda ducimus, ſoliq; naturæ, quàm ſigni partibus. Futuri autem ſunt qui ſub Leone naſcentur, nobiles, ac probitatis, iuſtitiæq; cultores, mente elata, ceruice indomita, atq; ab adulationibus alieni: quod ſi Sol ipſe ſigni dominus cardine in aliquo inſederit, aut felicibus ſtellis amice conciliabitur, futuri ſunt ſplendidi atq; illuſtres, dominatumq; exercebunt. Huius autem ſigni fines primi ſex è partibus conſtituti, Saturnoq; dedicati natos reddent peritos, atq; experientes admodum, uerum meticuloſos, rerum quoq; naturæ ſtudioſos, ingenioſos, parcos, occultorum indagatores, myſticos, artificioſos,

cautos,callidos,ſteriles,atq; in rebus Veneris penè frigidos. Qui ſubſequuntur fines partibus quidem è ſeptem coacti,Mercurioq; atttributi,natos futuros innuunt literarum ſtudioſos, eloquentes,ſcios, legum decretorumq; ciuilium peritos,in rebus Veneris continentes, parumq; prolificos,quiq; popularibus delectentur,atq; in auditorijs,audientijsq;libenter uerſentur. Tertij loci fines partibus è ſex compoſiti, Veneriq; aſcripti,natos ipſos temperatos,quietos,ac ſapientes facient,in quorum etiam animis iucunditas multa inſideat,ac uoluptatis ſtudium,remiſſio item quaſi quædam à curis ac moleſtijs. Quarti loci fines partibus item è ſex coacti, Iouiq; addicti,natos eos in quorum genituris aſcenderint, reddent uiriles, experientes, in quorum etiam animis nihil humile, nihil abiectum inſit, quiq; imperare ſtudeant,ac militari in diſciplina proficiant. Quinti loci fines quinq; è partibus confecti, Martiſq; dominatum ſequētes,natos reddent corruptis atq; contaminatis moribus,flagitioſos,maleficos, uitioſos, ignominioſos, ualetudinarios,infelices. Particulatim itaq; ac pro finium naturis Leo talis eſſe perhibetur. Hæc autem in hanc à nobis ſententiam tradita ſunt,ſequentibus numerum finium atq; ordinem dominorum,qui à Ptolemæo probatus eſt, uti ſuprà docuimus. Aegyptiorum uero opinio longe quidem ab hac ipſa diſſentit, nam & primos fines Ioui attribuunt, eoſq; ſex è partibus conſtituunt,ſecundos Veneri,partibus è quinq;,tertios Saturno è ſeptē,quartos è ſex Mercurio, Marti ultimos, eoſq; è partibus itē ſex. Opinionē autem à Ptolemæo probatā nos ſuprà abūde confirmauimus,à qua Aegyptij quantopere diſſentiant,facile hic uidetur. Quo circa mirum uideri debet nemini,ſi hac nos in parte, tantaq; indiſcrepantia noſtrum adhibere iudicium nullum uolumus. Qui aūt hoc ſigno in horoſcopo conſtituto naſcentur, erunt propter ſigni naturam firmo ac conſtanti propoſito,in iram tamen atq; indignationem proni,ſolerti ingenio, elata mente,uehementibus cogitationibus,propter Solem autem ſigni dominum imperioſi,ſuperbi, propter Iouem triangulatorem improbos ac nefarios odio inſectabuntur,propter utranq; ſtellam clari, nobiles, ciuilium,militariumq; bonorū appetentes, magnis, atq; inuictis animis, primorumq; locorum ſemper auidi,quiq; primi inter alios eſſe atq; haberi uelintr,es nouas molientes,earumq; moliendarum artifices ſtudioſi. Etenim Leo regiū ſignū eſt,quo fit,ut ſi à Sole, ac Ioue feliciter irradietur, regios ſpiritus in natis ipſis excitet, regiamq; generoſitatem. Hæc igitur quædam quaſi naſcentium indoles,à Leonis ſigno in uniuerſum præfertur:quo aſcendente,in lucē qui ueniūt,pro menſura genituræ,hoc eſt generis,ac patriæ parentūq;,proq; erraticarū ſitu atq; irraditione erunt noti,honorum appetentes,rei familiaris ſtudioſi,quā inſudando ac multū laborando,ſeq;

pericu-

periculis obiectando comparabunt, est enim Leo signũ laborioſum: ijdem erunt iracundi, elati, cupidi, manu prompti, quiq; præferri alijs semper uelint. Culminante Leone qui nascentur, grauia atq; aduersa permulta patientur, uersabunturq; in laboribus plurimis, quos fortiter etiã obibũt: assequentur tamen magistratus, & in potestate aliqua cõstituentur, tandemq; procedenti tempore & honorem & rem familiarẽ tantam sibi comparabunt, adaucto paterno censu, ut magnam etiam alere familiã queant, alienosq; opibus suis pascant: nã & Leo laborioſum signum est, & Sol ac Iupiter id præstabunt, ut per labores atq; erumnas honores assequãtur, constituàturq; in magna aliqua præfectura. Hoc eodẽ signo occasum tenẽte incuiẽ qui prodeũt, in re uxoria parũ fortunabũtur, quippe qui uel ab alijs cognitam, impudicamq;, uel degenerem atq; indignam fortiẽtur uxorem, cũ qua etiam assidue rixentur, ac propter aduersantis illius mores cõtinua iurgia cõtentionesq; exerceant, aut illã sibi per uim, ac præter legem, aut forte per rapinã comparabũt, Sol enim signi huius dominus, in occasu, qui locus uxoris est, infeliciter collocatur. Quodq; occasus aduersatur ortui, non solum uxorem indignam denuntiat, uerumetiam aduersarios multos, uimq; inimicorum, atq; insidias portendit. Si Leo in infimo cœli loco constitutus fuerit nascente aliquo, is sibi patrimonium, domesticumq; peculium proprijs laboribus propter signi naturam, ut dictum est, comparabit, comparataq; conseruabit, eadem industria & opera: insidijs tamen sæpius petetur, forsitanq; ex hæreditatibus atq; è mortuorum bonis locupletabitur. Sagittario qui eiusdem est trianguli, octauum locum tenente. Verum, ut sæpius dictum est, ac singulis penè q; locis dicendum, inspiciendæ sunt stellæ non modo erraticæ, quæ aut præsidio sint, aut uires suas contrà ferant, quibus eæ in locis insideant, quo etiam aspectu loca ipsa irradient, uerumetiam fixæ. Quoniam autem regiones ipsæ, omnisq; terrarum orbis, quæq; in orbe uniuerso eueniunt, cœli, stellarumq; agitationes sequuntur, huic cœli parti quæ Leo dicitur, præcipua quadam seruitute obnoxia, ac tanquam è gleba ascripta est Italia omnis, præter Hetruriã, addita etiam parte illa, quæ olim Galliæ fuit, quæq; Alpibus adiacet, Padoq; intersecatur, item Sicilia insula. Fouet etiam Leo è regionibus quæ mediterraneæ magis sunt, Phœnicem, Chaldæam, atq; Orcheniam. Est autem Phœnix Syriæ pars mari exposita, quæ ab ipsa nomen accepit, pertinetq; Iudæam uersus ad Carmelum usq; montem, à tergo tum Libano, tum Antilibano montibus clauditur. Ad Cassium uersus montem præterfluit eam Eleutherius amnis, qui in mare delabitur è Libano. Fuere in ea quondam celebres Tyrus ac Sidon, nunc Tripolis tantum. Chaldæa Babylonis pars est adiacens montibus, qui eam dirimunt ab Arabia deserta,

fluuius etiam Euphrates à Mesopotamia, pertinetq; ad Mardocen paludem. Claruit hæc olim regio doctissimis uiris, qui disciplinam hanc illustrauere. Orchenia cum Arabia deserta includitur, dirimitur à felice perpetuis montibus, nec minus à Babylone, ab ijsdem illis montibus, qui Chaldæam dirimunt à deserta: pertinet autem ad sinum Persicum, cuius litoris longitudo ab alteris montibus ad alteros media extenditur.

De Virgine. Cap. VI.

RErum qualitates ordine quodam suo alteram altera sequitur necessitate naturæ, id quod in anni temporibus usuuenit propter Solem signiferum peragrantem. Siquidem ex ardentissimis caloribus quibus aër accenditur, dum Sol Cancrũ ac Leonẽ permeat, orbiculariter succedit, ut exucto humido summa subsequatur ariditas, quæ desinentẽ æstatẽ ineunti autũno coniungat: quoad enim humidum in Piscibus excreuit, uergente in uer hyeme, eatenus in Virgine oppositio Piscibus signo ariditas humiditati contraria augetur, declinante iam in autumnum æstate, efficiturq; de Solis circuitu quemadmodum quatuor anni temporum, sic ipsarum qualitatum in se naturalis illa de qua dictum est alternatio. Quibus è rebus nũc incrementũ, nunc imminutio proficiscitur, tanta cum uarietate, & commutatione, ut facile interitus sequatur, rursus ex interitu procreatio & uita. In hac igitur signiferi orbis portione, quæ Virgo appellatur, arescunt sic omnia, ut siccitas quæ suapte natura generandis rebus male idonea est, regnare iam incipiat, quam ob rem signũ ipsum Virginis sterile putatũ est, quodq; Græci dicũt ἄγονον hoc est infœcundum, parumq; omnino genitale, quinetiam ab artium humanitatis studijs Anthropides uocatum est: efficit enim natos bonos, honestos, uerecundos, delitiosos, literatos, eruditos, mysteriorum atq; arcanorum gnaros, computatores, rationales, dispensatores, morum institutores, scribas, negotiosos, curiosos, quæ uirtutes hominum sunt propriæ, nec immerito in Vrania nostra huic signo tantopere assurreximus. Quinetiam ut hominis ipsius initia erumnosa sunt, etenim infans cum primum terram attigit, in fletum prorumpit, sic qui nascente Virgine in lucem ueniunt, primos uitæ annos difficiles, ac solicitudinis & laborum plenos exigũt, pòst uero ætate progrediente fructus uitæ uberes consequuntur cum honore et laude. Ipsius aũt Virginis signum in uniuersum quidem humidum perhibetur, ac tonitruosum: diuisim tamen habetur huiusmodi, ut quæ antecedunt partes sint calidæ, corruptioniq; accommodatæ, quæ mediæ temperatæ, quæ ultimæ humentes ac pluuiæ: partes uero septentrionales uentosæ, quæ tamen in austrum tendunt, moderatæ. Est autem hoc naturæ tempo-

ris illi-

ris illius maxime accommodatũ, ut quo tempore Sol Virginem permeat, frequentiores in aëre tonitrus fiant. Nam & diurni Solis ardores minuuntur noctibus iã crescẽtibus, & exhalationes illæ calidæ in cœlo multæ simul coëũt, nec tamẽ regio illa humidis quoq; uaporibus uacua est, quos nec Sol omnino die potest absumere, & noctes refrigescere iam incipiunt, quæ alimentum illis præbent. Iure igitur tonitruosum signum cognominatum est. Cæterum ut uniuersum quidem humidum sit, nõ uidetur omnino probabile, quamuis eiusmodi esse in aliquibus fortasse regionibus propter terræ situm eueniat. Vltimas uero partes humentes ac pluuias putare, naturale omnino uidetur, siquidem eo tempore & multi & magni hymbres è cœlo funduntur, Sole ipso signiferiq; orbis conuersione hoc præstante. Quæ ĩ re fit, ut hæc ipsa signis accidere putentur, quæ tamen mutantur pro terrarum situ, nec ullo modo perpetua sunt. Nam & in Italia Campaniæ tractus abunde humens ac pluuius est, è contrario Apuliæ non modo siccus, uerumetiam siticulosus. Fines autem Virginis traduntur esse huiusce modi, ut primi fines, qui septem è partibus constant, Mercurioq; addicuntur, natos futuros indicent sublimes, excellentes, generosos, gnaros, rectores, administratores, rerum magnarum dispositores, probos, moderatos, æquos, mansuetos, solertes, ingeniosos, Veneris tamen in rebus male fortunatos, quas ad res signum hoc uniuersum quidem male idoneum esse putant, cum primis tamen septem has de quibus nunc loquimur, parum felices esse. An fortasse quod Venus in Virgine deijcitur, & tanquam corruit? cum sit altitudini eius aduersa, exq; eo fiat, ut ab eiusmodi rebus proficiscantur accusationes, atq; infamia. Sex quæ sequuntur partes, è quibus Veneris fines cõstant, natos reddunt opprobriosos, infames, quiq; in rem uxoriam turpiter prolabantur, ijdem exercebũt se in ludis ac spectaculis, rebusq; theatralibus. Quæ post has sequũtur partes quinq; Iouis finibus attributæ, agriculturæ studiosos, mãsuetos, ac recti probiq; amatores, fœcundos, quiq; aliorum procurationes exerceant. Quæ deinceps insequuntur sex, Saturni finibus dedicatæ, nati mores futuros portendunt contaminatos, flagitiosos, despicabiles, ac ridiculos, ipsum autem frigidũ ac parum uiuacem. Sex ultimæ quæ Martis fines constituunt, natos faciunt uiriles, atroces, sæuos, seditiosos, conuiciatores, popularium turbarum concitatores, fallaces, falsarios, calũniatores, impositores, quiq; noctu atq; in tenebris grassentur, tandemq; in uinculis ac carceribus macerentur. Aegyptij uero primos Virginis fines partibus è septem coactos Mercurio attribuunt, Veneri secundos è decem, Ioui tertios è quatuor tantum, quartos Marti partibus è septem, Saturno ultimos duntaxat è duobus. Quibus itaq; nascentibus Virgo horoscopabit, quoniam hoc in signo Mercurius habet etiam al-

titudinem, non modo domesticam iurisditionem, ad hæc quia Venus, Lunáq; præsunt huic triangulo, hi futurorum prudentes erunt: nam & ipsarum insomnia quædam quasi oracula futura sunt, & deorum se illis mentes aperient, per responsa, per sortes, aut per magicã disciplinã, religionum sectatores erunt, suasq; actiones ad deos immortales potissimũ referent, iucundi, humani, amicitiæ obseruatores, docti, rerum abditarum perscrutatores, bonarum artium gnari, facundi. Ineunte tamen ætate (quod suprà dictũ est) laboribus ac difficultatibus implicabũtur plurimis, uitæq; eorum principia solicitudinis atq; egestatis plena erunt: pòst tamen procedente, atque ingrauescente ætate abundabunt re familiari, magnæq; illis facultates obuenient, quarum comparandarum diuersæ causæ rationesq; futuræ sunt, propter Mercurium ac triangulatores quos dixi. Nam aut per negociationem, aut per legationes, aut per disciplinas, quæ Mercurij sunt munera, aut per sacerdotia, ac sacrorum genera, quæ sunt Veneris, aut per administrationes, promotionesq;, quæ ad Lunam potissimum referuntur, diuitias, censum sibi comparabunt. Eorum autem adolescentia futura est mollis ac delitiosa, quippe qui à lasciuia uicti totos se amori dedent, & (ut inquit Iulius Maternus) omnium mulierum concubitus concupiscent, pòst uero superata signi anaphora atque ascensionibus, sedata cupiditate, modestiam induent, ac intra uerecundiæ gyrum redibunt. Cum Virgo culminauerit, natos ipsos ad magistratus atque administrationes promouebit, conferetq; magnæ potestatis licentiam, proponetq; tribunalibus, atque eorum iussa audientur à subiectis, præscriptisq; parebitur: quin ab eisdem multa quoque in alios beneficia conferentur, siquidem opera, ingenio, atq; autoritate sua profuturi sunt quamplurimis, quos ingratos experientur propter Martis, Saturniq; maleficentiam, quorum alter domicilium habet in Capricorno, altitudinem alter: etenim Capricornus cum Tauro Virgineq; triangulatur. Occidente Virgine qui nascẽtur, futuri sunt diuites, cordati, secretorũ ministri, fideles, atq; in amicos officiosi, uxores incomparabili complectentur affectione, quas nonnunquam parum gratas, maleq; in amore beneficijsq; respondentes inuenient, quarum etiam dolore aut liberorum ex eis susceptorum infortunijs laborabunt. Licet enim locus hic uxorum sit proprius, suo tamen situ aduersatur ascendenti. Quocirca necesse est, situs ipsius naturam sequatur, ne ab inferendis molestijs discedat. Qui in lucem uenientes Virginem subterraneo in cardine habuerint, hi primam ætatem grauem ac laboriosam sentient, pòst mutata fortuna uita feliciore utentur. Illud quoq; aduertendum est, quòd Virgine ortum tenente, Gemini culminant, ea culminante Gemini occasum possident, ea rursum occasum tenente imum Gemini cardinem tenent, ijdem quoque horoscopabunt imũ

illa

illa cardinem poßidente: plurimum enim adiumenti confert, ut eadē ſtella præſertim bene collocata, duobus ſimul cœli cardinibus domicilij ſui auctoritate præſideat. Regiones autem uirgini ſubiectæ ſunt Meſopotamia, Babylonia, & Aſſyria. Finitur autem Meſopotamia qua ſeptentrionem ſpectat, maioris Armeniæ montibus, ac Tauri parte, quæ ab occaſu flumine Euphrate, qui ijſdem defluit è montibus, qua Syriam diuidit ab ea, ab ortu Solis Aſſyria & Tigri fluuio, à meridie quoq; idem Euphrates inter eam Babyloniāq; elabitur: etenim flumen ipſum à Chaldæa, de qua diximus, flecti incipit, ſinuoſiorq; perlabitur, donec Tigridi miſcetur, unde Meſopotamia, hoc eſt interamnia dicta eſt. Babylonia, quæ à Babylone urbe nomen accepit, nam & regio etiam ipſa Babylon dicitur, qua ſeptentrionem ſpectat, Euphrate terminatur, qui eam Meſopotamiamq; interſecat, flexuoſius illabens, ut dictū eſt, qua meridiē ſinu Perſico, ad occaſum uero Arabia deſerta, montibusq; qui illā à Chaldæa diuidunt, quā Leoni ſubiectam diximus, ad ortum Suſiana, ijſdemq; fluminibus, qui eodem alueo mare Perſicum, duobus tamen oſtijs ingrediuntur in eum ſinum, qui Meſanites dicitur. Aſſyria coniungitur Armeniæ, montibus ijs è quibus Tigris defluit, à ſeptentrione, ab occaſu autem Meſopotamiæ, à qua Tigris eam diſiungit, à meridie Suſiana, ab ortu Media. Græciæ quoque pars ea quæ quondam Ἑλλὰς uocata eſt, item Achaia, & Creta inſula ſubijciuntur Virgini, de quibus hæc trademus. Hellas antea fuit quæ poſtea Græco à rege uocata eſt Græcia. Eadem fuit etiam Theſſalia & Aemonia, ut Plinio placet, atque ab Achaia diuerſa, nunc utraq; Græcia eſt, quinetiā Græcia ipſa Macedoniæ bonam partem, Thraciamq; ipſam hodie complectitur.

De Libra. Cap. VII.



Libræ ſignum, quod uetuſtiſſimi Grecorum χήλας uocauere libentius, ex toto quidem uariabile & incertum eſt, propter anni tempus, Solisq; declinationem ad imū cardinem, cū orbis ipſe anni temporūq; eius qualitatū peruenerit ad eā partem, de qua ab arido in frigidū fit tranſitio, exuctis ac penè exhauſtis terræ uiſceribus, ſubductisq; in aērē aſpirationibus quamplurimis, quas craſſiores eſſe neceſſe eſt, ac terreſtris admodum: quippe cum ex intimo terræ ſinu adapertis meatibus ui quadam adhibita ſurſum perlatæ ſint, ea ſpiſſitudine, ut occupato cœlo caligare illud compellant. Quoniam autem aſpirationum earum ea natura eſt, ut uentos maxime generent, declinante die, ſuccreſcente nocte, aridoq; in frigidum tranſeunte, neceſſe eſt cœlum ipſum uentorū ui aßidue mutari: quinetiam ob uarietatem ipſam uentorū aſpirationumq;, cum Sol excoquere uaporem omnem nequeat, miſceri ac turbari

non ſolum ambientem nos hunc aërem, uerumetiam terras quas incolimus, mariaq; interfluentia. Quantoq; regiones ipſæ magis euaporant, atq; exhalant, aut propter ſitum conuallium, montiumq; maiores uaporum euectiones atq; exhalationum fiunt, tanto conturbationes ipſas maiores ac uehementiores fore neceſſe eſt, cœliq; ſtatum ſic mutari, ut in horas penè ſingulas euariet. Quocirca mirum uideri debet nemini, ſi omnino ſignum hoc uariabile iudicatum eſt, ab aëris ipſius affectionibus tam inconſtantibus, ſi autumnum ipſum tum uentorum, tum morborũ, qui ex aëris inconſtantia potiſſimũ generantur, patrem dixere. Ad hæc ſigna omnia quæ cœli cardinibus præſident, mutabilia ſunt, ac ſuapte natura uariantia. Diuiſim uero primas ac medias Libræ partis temperatas eſſe uolunt, ultimas humeſcenteis: quæ in boream ſurgunt, uentoſas: quæ in auſtrum declinant, humidas & corrũpenteis: quæ quidẽ omnia cũ natura temporis illius, hoc eſt autumni conueniunt, quando ea pars anni pluuia ac peſtilens eſt, uentorũq; concitatrix. Qui uero finiũ naturas explicant, Ptolemæiq; comprobationem ſequuntur, ita quidẽ tradunt, ut fines primi ſex è partibus conſtituti, quod Saturno ſubſeruiant, qui hoc in ſigno altitudinis iuriſditionem exercet, ſint regiæ excellentis q; naturæ, maxime in diurnis geniturıs. Quãobrem natos ipſos magnas ac generoſas ad res impellunt, maximis q; negocijs implicant, ſteriles tamen ſunt, humidãq; ob qualitatem corruptionẽ afferunt. At qui Aegyptiorũ opinioni aſſentiuntur, quanquã primos fines partibusq; è ſex Saturno dedicãt, fines tamẽ ſecundos, partibusq; ex octo cõflatos Mercurio tribuunt, tertios ſeptemq; è partibus Ioui, quartos Veneri item è ſeptem, ultimos duabus tantũ è partibus Marti. E Ptolemæi igitur approbatione ſecũdi loci fines quinq; è partibus cõparati, Venerisq; poteſtati addicti, in animis natorũ ſtudiũ ingenerant honeſtatis, pietatis, ac religionis, item picturæ, ſculpturæ, toreumaticæ, uerſuũ, canticorũq;. Erunt autem nati ipſi in re uxoria fortunati, atq; in pleriſq; felices. Tertij loci fines partibus quidem ex octo compoſiti, cũ ſint Iouis, natos locupletabunt uenalitijs quidẽ è lucris, ijſdemq; immundis ac ſordidis. Quarti loci fines quinque è partibus compacti, Mercurijq; ſtellæ aſcripti, natos ipſos ad ea quæ Mercurij ſunt, impellunt, ad mercaturã, ad forũ, ad commercia rerũ uenaliũ, commutationesq;, ad ſtudia Grammaticæ, ſcripturarum, epiſtolarum, quorum quidem animi nec à iuſtitia recedent, & res ſuas prudenter adminiſtrabunt. Vltimi loci fines ſex è partibus coniuncti, Martiq; attributi natos ipſos militaribus in rebus exercebunt: ducent enim ordines ac robur animi, ſtrenuitatemq; præ ſe ferent, rapinis gaudebunt, atq; in exercitatione militari, req; bellica ſatis felices erunt, meritq; illis magna animorum fiducia, uigor item elatióque, fratribus aut carebunt, aut cum illis male conue-

nient.

nient. Hæc Libra portendere pro natura finium existimata est ab autoribus non ignobilibus. Quibus igitur ea ascenderit, ij futuri sunt iustitiæ, modestiæ, honestatisq; studiosi, deorum cultores, liuidi tamen admodũ, quiq; alienis bonis inhient: quæ uitia de Saturni malitia ortum ducunt, qui non modo altitudinis, uerumetiam triangularitatis ius exercet in Libra. Genus uitæ eorum erit inconstans & uarium pro natura signi. Ipsi multis litibus contentionibusq; uexabuntur, uersabunturq; in ministerijs annonæ, ponderum, mensurarumq;, atq; inter pigmentorum operumq; officinas, quarum etiam rerum administrationi præsidebunt. Generaliter autem, ut in Vrania scriptum est,

Hoc igitur signo genitos primum æqua probumq;
Delectant, lucrumq; olei & Baccheia merces.
Præcipites sed liuor agit, tum pondera tractant,
Annonamq;, unguentaq;, & æquis cornibus instant.
Sed uariat fortuna suis mutabilis alis,
Et molles animum mores, & auara cupido
Inficiunt. Igitur libra fulgente per ortum
In lucem quicunq; uenit, non ille deorum
Contemptor, non recta animi sententia mentem
Deseret, aut claris exurgens gloria factis,
Sed uitæ tenor inconstans, morbusq;, laborq;
Turbabunt, & multa nouis discrimina rebus,
Nunc lites, atq; immeritis certamina causis,
Nunc aduersa fori uexabunt arma, sed ipse
Inuictus feret, ac multo se robore firmat,
Quem tamen amissis prosternent funera natis.

Saturnus itaq;, ut dictum est, hinc lites & contentiones causasq; dolorum atq; erumnarum suscitat, illinc animi firmitudinem ac robur in aduersis præstat. Venus autem signi domina præsidium quoq; suum non denegat, et inter tristitiam ægritudinemq; letitiam miscebit, peculiariq; uoluptate sua leuabit tristitiam, lenietq; ægritudinem. Horum etiam hominum iudicium erit rectum, sententiæ plenæ fidei atq; prudentiæ propter utranq; stellam Veneris ac Saturni. Nec deerit illis Mercurij fauor, signi ipsius triangulatoris, pro collocatione tamen cuiusq; in genitura, ac genituræ ipsius mensura. Qui nascentur Libra culminante, propter Venerem erunt eloquentes, eorumq; oratio suauis & grata, religionibus item dediti, uerecundi, modesti, eiusdem etiam stellæ beneficio liberabuntur à grauibus periculis, quod dijs immortalibus acceptum referent. Procedente etiam tempore fortuna secundior eis futura est, actionesq; felicius succedent. Siquidem ob

Saturni etiam ſtellam obijcientur eis aut hæreditates, aut theſauri, aut è ſe cretiore ac uetuſtiore re, negotioue bona conferentur, aut è rebus alijs, quæ à Saturno denuntiantur. Occaſum tenente Libra, in lucem qui uenient, propter naturam ſigni inconſtantis, & propter cardinem, eorum uitæ genus nunquam certũ erit, ſed continuatione quadam inconſtanti & lubrica uariabit adeò, ut ex imo ad ſummũ ſæpius locũ ſubleuẽtur, ad imũ à ſummo poſtea deturbentur: eodem modo è lætis ad triſtia, è triſtibus ad læta iocundaq; trãsferentur, ut tanquam alternis gaudiũ, mœror, felicitas atq; infelicitas inuicem certent, deq; uictoria inter ſe digladientur. Horum aũt hominum uita conſuetudoq; futura eſt in aula regum, aut apud ciuitatis principes, aut in publicorũ munerũ adminiſtratione propter Saturni pertinax ac potens ſydus: quod licet ſit laborioſum ac difficile, natos tamẽ ipſos extollit, et ab imo ad ſumma bene potenterq; collocatũ effert. Qui in lucẽ uenient Libra infimo in cœlo collocata, paternum cenſum amittent, partasq; à maioribus diuitias non retinebunt, prementurq; à laboribus multis, uitam autem longiorem ſortientur, nec in obitu ſepulturæ honore carituri ſunt propter Aquarij, ut arbitror, trianglaritatẽ, quẽ octauo in loco contingit reperiri, Libra in imo conſiſtente. Ad hæc cœli locus imus ea denuntiat, quæ poſt obitũ obuentura ſunt, ut ſuprà iã diximus. Verſabuntur autem in muneribus, ac miniſterijs popularibus, ita tamen ut uix ad primum negotij quod adminiſtrabunt locũ perueniant. Quas ad adminiſtrationes beneficio literarũ euehentur, præſidio potiſſimũ Geminorum, Mercurijq; eorum domini, qui de triãgulo ſuo rẽ ſuum loco huic ſubmini ſtrãtes afferẽt. Quodq; ipſi Gemini duodecimo in loco, pigro ſcilicet atq; abiecto reperiuntur, non poterunt nati ad primũ adminiſtrationis ſuæ locũ, ut dictum eſt, peruenire. Hæc igitur Libra in aliquo cœli cardinũ quatuor cõſtituta naſcentibus denũtiat. Libræ ſubiacet Bactriana, Caſperia, et Serica. Harũ prima contingit ab occaſu Margianam, à ſeptentrione ac Solis exortu Sogdianos, atq; Oxum flumen, à meridie Ariam. Serica ab occaſu habet Scythiam, quæ eſt extra Imaum mõtem, à ſeptentrione terram incognitam, ſimiliter ab exortu, at à meridie Indiam, quæ eſt extra Gangem. Caſperiam diuidunt à Sacis mõtes, è quibus defluunt, Indus, quiq; in Indum influunt Bidaſpus, Sandabilis, & Zuadris. Eſt aũt ſtatim poſt Indum, pertinetq; ad Zaradrum fluuiũ, qui eam à Gymnoſophiſtis diuidit, adiacetq; Sacarum montibus. Oaſis quoq; ac Thebais, quæ quidem diuiduntur à montibus, qui Libyci appellantur, Libræ addicuntur. Eſt autem Oaſis ſita poſt mõtem, qui Aegyptiaca lingua Arenoſus uocatur, ac ſecundũ Solis fontem, ac Meridem lacum. Duxit aũt nomen ab urbibus duabus eiuſdem nominis, quarum altera, quæ parua cognominata eſt, uergit ad

Meri-

Meridem, altera quæ magna, ad montem Arenosum. Thebais, quæ inter montes Libycos, & Nilum portenditur, quæq; ab urbe quondam celeberrima dicta est, Aegypti partem occupat. Item Troglodytica, quæ iacet ad mare rubrum, sinumq; Arabicum, quiq; Adulicus dictus est, pertinetq; ad Elephantũ montem. Labitur autem per eam flumen Astabora, qui è Garbato monte in Nilum influit, ad Meroën insulam unà cum amne Astapode, qui è Coloa palude per Struthiophagos decurrit.

De Scorpio. Cap. VIII.

PEragratis à Sole Chelis, caligante summum in modũ aëre, sursumq; euecto omnis generis halitu, aridoq; in frigidum declinante, cũ & dies minutatim decrescat, & Sol ad infima orbis sui declinet, necesse est cœlũ ipsum turbari, atq; in dies densius obnubescere, calido frigidoq; inter se certantibus, dum ignitæ fumigationes contendunt, ut ad æstuosam illam regionẽ sursum penetrent, aut dum inclusæ frigescentibus à uaporibus exploduntur, ac tanquam fugatæ constrepunt, tonitrus quoq; frequentissimos in cœlo fieri. Quocirca signũ Scorpij, quod uetustissimi Latini Napam dixere, non iniuria tonitruosum ab illis omni è parte iudicatũ est, nec minus etiã fulminosum: quo tempore & coruscat cœlũ sæpius propter densitatem uaporũ exhalationũq; inter se certantiũ, & fulgetræ plurimæ, inflammationesq; per aërẽ discurrentes cernũtur. Quodq; frigida uis in dies crescẽtibus noctibus, hebescente Sole, mirum in modum augescit, hymbres ferè continuè cœlo fundũtur. Quinetiam cogente frigore, non hymbres modo uehementer frigidi sæpius decidunt, uerumetiam niues: nec solum in montium cacuminibus, in quibus frigus ipsum regnat, uerumetiam in planis, locisq; demissioribus, Itaq; Scorpij partes primæ nimbosæ sunt, exuperantiq; iam frigore nimbos in niues cogunt, procellasq; atrociores excitant. Quoniam aũt expurgato iam aëre, solutis in hymbrem ac niuem uaporibus, naturale est cœlum ipsum dies aliquot conquiescere, hinc efficitur, ut mediæ Scorpij partes reddantur temperatiores, quo tẽpore sedatio quædam in aëre accidit. Pòst uero euaporante ac fumigante terra, frigescenti cœlo, multis rursus coactis nubibus, res omnis ad pluuias, nimbos, ac niues redit: quodq; post largã pluuiã serenitates, post austros, qui tũc potissimũ regnãt, boreæ subsequuntur, indeq; terræ superficies gelu concrescit, nec exhalari è terra inclusos flatus permittit, terræ ipsius motus quoq; fieri aliquãdo cõtingit. Vnde postremæ signi huius partes concussiones terrarũ excitare, quod res ipsa non raro cõprobat, iudicantur. Quibus de causis potissimũ autumni tẽpore motus hi fiunt: hicq; quidã quasi morbus, noxiaq; affectio à terra

concipitur, ut non ſolum pars hæc anni in animalium corporibus, uerum etiam in uaſta illa terræ ipſius mole morbos ingeneret, temereq; deinde eam cogat. Partes aũt ſigni huius quæ ſeptentrionales perhibentur, æſtuoſas ac torridas eſſe uolunt, auſtrales uero humidas. Qua uero ratione partes hæ noſtris in regionibus æſtuent ac torreant, non uideo: cum Sol ad eas niſi declinante iam autumno non accedat, quo tempore frigora iam intenduntur. Neq; enim in hoc terræ ſitu tanta eſſe poteſt fixarum uis, ſi quæ æſtuoſioris naturæ in proximo collocatæ ſunt, ut temporum naturam exuperent, etiam proximo à Sole calefactæ. Quod uero ad fines ipſos attinet, eiuſmodi eſt, ut primæ partes, quæ ſex ſunt numero, Martiq; addictæ, ut autem Aegyptij arbitrantur, ſeptem, tumultus, ſeditiones ac rixas excitent, mutabilitatem, infirmitatemq; animorum, nec non iracundiam, atq; indignationem exuſcitent: natos ipſos uerboſos, parumq; in loquendo moderatos, eoſdem etiam ardenteis in cupiditatibus atq; in uita inordinatos faciant, resq; ad militares impellant, quinetiam ut peregre multũ proficiſcantur, cogent. Eædem partes ut fratres complures, ſic filios rariores promittunt. Partes octo quæ ſtatim ſubſequuntur, Iouisq; fines conſtituunt, pontificatus, purpuram, honores, prætextas, magiſtratusq; decernunt, deorum etiam cultũ, beneficentiæ, itemq; humanitatis ac manſuetudinis ſtudium, natos ipſos gerẽdis atq; adminiſtrandis rebus deditos, magnopereq; actioſos ſignificant. Vt enim à negotio negotioſos dixere, utq; ab actu actuoſum duxit Cicero, ſic nos ab actione, hoc eſt ab agendi ſtudio habituq; actioſos deducimus. Hos aũt fines, quatuorq; duntaxat è partibus, Aegyptij Veneri attribuunt. At qui Ptolemæum ſequi uolunt, partes ſeptem, quæ Iouis finibus coniunctæ ſunt, Veneri aſcribunt, quæ nuptialibus in rebus felicitatem, erga deos cultum, erga homines dilectionẽ, mutuamq; beneuolentiam illorum portendant, rerum item familiariũ affluentiam, eorumq; quorum uoluptate nati capiantur copiam, multæ prolis ſuſceptionem, uitæ item ſuauitatem ac iucunditatem. Partes ſex quæ deinceps ſequũtur, Mercurioq; attributæ ſunt, armorũ atq; athleticorum certaminum ſtudium denuntiant, eosq; qui nati fuerint, contentioſos, conuiciatores, detractores, qui tamen flagitioſos ac nefarios inſectentur, ipſos aũt ſalaces ac multi coitus. Aegyptij fines hos quinq; è partibus conſtituunt, Iouiq; addicunt. Reliquæ tres Saturni, ut aũt Aegyptij arbitrantur, ſex, male quidem felices perhibentur, filios enim ac fratres uix largiuntur, nati ipſi futuri ſunt triſtes, oſoresq; mulierum ac ſuorum, uenena miſcebunt, multorum etiam ſcelerum conſcij, atq; occultis uitijs infecti, ſuſurrones, flagitioſi, contumaces, deteſtabiles, adeoq; etiam contaminati, ut eos dij hominesq; abominentur. Generaliter autem Scorpij ſignum pro ſua Martis q; natura natos efficit iracun-

iracundos, uersutos, subdolos, acutos, ingeniosos, uiolentos, infidos, protervos, sicarios, rapaces, alienorum cupidos, suiq; studiosos, ueneficos, maleficarumq; potionum ministros atque autores, cædis etiam, scelerumq; plurimorum conscios, insidiatores, periuros, quiq; nihilominus præsidijs deorum innitantur, aut eorum imbuantur sacris. Horoscopans aũt Scorpius largitur nascentibus acumen ac dexteritatem ingenij, ornatum, ac dicendi copiam. Erunt aũt ipsi in prima ætate laboribus multis oppressi, laborabuntq; diuerso genere infortuniorum, à quibus pòst procedente tempore liberantur, patriam, domiciliaq; mutabunt, in aduersis deorum præsidia requirent, aut sacris etiam imitiabuntur, delectabuntur rerum nouitatibus, amicorum etiam causa in pericula sæpius incident. Nam & ornatus uerborum, suauitasq; sermonis, & præsidia à dijs immortalibus petita, sacrorumq; initiatio à Venere proficiscuntur, quæ triangularitatem habet in Scorpio & in Cancro, qui horoscopante Scorpio reperitur nono in loco, qui est religionis ac pietatis. Prohibitio item, atq; auersio periculorum, et aduersantis fortunæ in prosperam cõmutatio à Ioue, nec sine Veneris ipsius Lunæq; beneficio proueniunt. Nam & Iupiter altitudinem suam habet in Cancro, domiciliumq; in Piscibus contriangularibus signis, et Luna Venusq; in eisdem signis triangulare ius exercent. Labores autem ac pericula à Marte, cuius malefica natura est, obijcientur, à quo etiam studium, rerumq; nouarum oblectatio gignetur, cui etiam Lunæ inconstans natura non parum adijciet, à qua ingenij aptitudo, dexteritasq; conferetur. Quod aũt Mars triangulo huic patrocinatur, maleficentia sua triangulum omne inficit, quocirca liberis quoq; nocebit, cum Pisces, horoscopante Scorpio, quintum, hoc est prolis locum teneant, amissam tamẽ sobolem ob Martis peruersam naturam Iupiter signi dominus instaurabit: ac Venus, quæ quinto loco, ut ante dictum est, præsidet, beneficaq; qualitatis est, habetq; in Piscibus altitudinem. Idem Scorpius culminans animi quidem robur, mores tamen difficiles nascentium denuntiat, quos & mutare patriam cogit. Quodq; locus decimus, id est cœli culmen non patriã modò, uerum artes quoq;, actionesq; designat propter Martiam infectionem, nati ipsi principio ad indigna, seruiliaq; ministeria compellentur: qui tamen paulatim ab hac ipsa negotiorum humilitate pòst subleuabuntur, potentis alicuius uiri auxilio & opera, præsertim si locus ipse decimus fuerit alicunde feliciter illustratus, ac Venus Lunaq; trianguli patronæ bene collocatæ fuerint. In re item uxoria initio erunt male fortunati, præsertim Leone, de quo dictum est, locum septimum, qui uxoris est, tenente. Idẽ quoq; in suscipienda prole sentient, siquidem Mars Scorpij dominus, ut etiam Maternus tradit, in septimo genituræ loco constitutus, coniugis ac filia-

orum locum acerrime insectatur. Quocirca signum ipsum eandem domini malignitatem decimo etiam è loco in uxorem ac liberos euomit. Septimum in genitura locum tenens Scorpius natos reddet gnaros, ac bene cordatos, quiq; in actionibus suis prudenter industricq; sese gerant. Etenim Mars ingeniũ calore suo acuit, neq; animos desidia marcere patitur. In infimo cœlo positus Scorpius administrationibus quibusdã natos præficit, in quibus primũ etiam locũ tenebunt. Illud uero aduertendum est, Martem quocunq; in cardine collocatũ, nascentibus diuersa mala periculaq; obijcere. Quocirca Scorpius ipse suapte etiã natura peruersum signũ, domini sui naturã in cardine cõstitutus induit: ac si quid boni decernit, illud de cardinis potius natura potestateq; puenit, quàm ab eius suffragio. Ascribuntur aũt Scorpio Mauritania, Metagonitica, ac Getulia, item Syria, Commagena, & Cappadocia. Est aũt Mauritania sita ad oceanum Atlanticũ, ac fretum Gaditanum, cuius etiam latus mari Hispano abluitur: eiusdemq; partẽ illam quæ ad fretum est, Metagoniticam Ptolemæus uocat, in qua est Tingis oppidũ hodie quoq; celebre, mutatis literis Tanger, à quo regio quondam Tingitana. Ipsa aũt Metagonitica, qua Atlantico clauditur mari, ad Atlantẽ minorẽ pertinet, qua Hispano ad Metagonitem promontoriũ, à quo uidetur nomen duxisse. Omnis aũt regio qua Balearico ac Sardo mari abluitur, ortũ uersus, ad Ampsagam fluuium pertinet, quicam ab Africa minore diuidit, à meridie clauditur Atlante maiore, post quẽ sunt Getuli. Plinius uero ait Numidiam appellatã Metagonitidem, de qua diximus, ac Massinissæ regnũ fuisse. Ptolemæus aũt, ut dictum est, eam finit ad fretum Gaditanum, Metagonitemq; promontoriũ, cum Numidia sit post Ampsagam flumen, atq; in parte minoris Africæ. Ad hæc Ptolemæus Numidiam & Africam Cancro, Metagoniticam Scorpio subijcit. Getulia sita est post Atlantem maiorem ad oceanum occiduum, quo monte disterminatur à Mauritania Africaq; minore: pertinet autem ad Garamantes, Libyæq; interiora, ac solitudines. Syria finitima est Ciliciæ à septentrione, ab occasu mari tunditur, quod ab ea Syrum dicitur, cõtinetq; Phœniciam, quam iam diximus Leoni subiectam esse, à meridie Iudææ atq; Arabiæ, quæ Petrea agnominatur, ab ortu uero Arabiæ desertæ. Commagena Syriæ coniuncta est, aut eiusdem potius pars ad Euphraten sita post Amanum montem ac Taurum, quibus à Cilicia Armeniaq; diuiditur. Cappadocia, quæ à flumine nomen sortita est, habet ab occasu Galatiam, hoc est Paphlagoniam, ac Pamphyliam, à qua Taurus illam separat, itemq; à Cilicia, quæ est illi à meridie posita. At qua exortum spectat, iungitur Armeniæ ad Euphratem: qua uero septentrionem, Ponto Euxino abluitur. Est in ea Trapezos, quæ post dedit nomen regioni, propter imperium, unde

hodie

hodie Trapezuntia uocatur: deleuere autem imperium ipsum paucis ante annis Turcæ, imperante Mahometo.

De Sagittario. Cap. IX.

RErum cœlestium scriptores, ac princeps eorum Ptolemæus tradũt Sagittarij signũ penitus uentosum esse, quamuis quo ad triplicem partium diuisionem, primam quidem humidã, secundam temperatam, tertiam calidam urentemq; esse uelint. Nec mirum quidem si primæ partes humidæ, ultimæ calidæ sunt, medias temperamentum quoddam sequi, desinente iam autumno, atq; appetente hyeme. Cur autem uentosum sit, præteritarum pluuiarum ratio palàm indicat: siquidem ea natura uentorũ est, ut post pluuias statim cessent, sedeturq; aër, è cuius sedatione uentorũ etiam cessatio sequitur. Cum enim uentorum materia sit terrestris illa aspiratio, maxime arefacta & torrida atq; à calore qui illam torruit, sursum rapta, multumq; agitata, ea humectantibus atq; refrigerantibus hymbribus prorsus extinguitur, qua extincta uentorum uis emoritur. Consueuere autem, Sole Libram & Scorpium permeante, fieri magnæ & ferè continuæ pluuiæ, nimbiq; admodum procellosi, quibus madefacta terra aspirationes illas suas, quas uentorum materiam esse diximus, tandiu intra aluum continet, donec pluuios illos uapores, quibus terra diluta madescebat, in aërem de more suo Sol sustulerit, quibus sublatis multam rursus aspirationem sustolli simul necesse est. Cumq; aër eo tẽpore non mediocriter frigescat, aspiratio ipsa arefacta, et fumida sursum perlata, ubi frigus sensit, deorsum ab illo reijcitur, quodq; leuitate ac fumositate sua nequeat deorsum omnino retrudi, unde exhalauerat prius, obliquo itinere atque contortis spatijs aërem impellit, agitatq; in diuersum: quo fit, ut Sole Sagittarium permeante, uenti plurimi gignantur, ac signũ ipsum uentosum iudicetur, taleq; plerunq; contingat esse ijs in affectionibus, quæ in aëre eueniunt. Quod uero ad genituras & hominum mores attinet, Sagittarij signum natos efficit generosos, liberales, magnanimos, iustos, maturos, beneficos, moderatos, faciles, misericordes, in tractandis tamen rebus subobscuros ac duplices, cum signum ipsum duplici etiam natura sit præditum, fratrum item, cognatorum, amicorumq; studiosos, & (ut ita dixerim) fratricolas, amicicolasq;, horũ etiam appetentes, iudicijs ac tribunalibus præpositos, quiq; amissa facile recuperent, ac repensent compendijs damna prius accepta, non tamen ut multa prole abundent, quandoquidem Sagittarius igneus est, nec abunde fœcundus, et, ut Græci dicunt, ὀλιγόγονος. Sequitur autem signum ipsum in ijs quæ dicta sunt, Iouis naturã, sub cuius est dominatu ac triangulari-

tate: ijdem nati Solis etiam suffragio, qui cum Ioue triangulum hoc posita det, in contentionibus ac certaminibus aduersarios suos prosternent. Quo ad fines autem ac finiũ partes Sagittarius ita distinguitur, ut primæ octo partes, quæ Iouis sunt, homines actiosos faciant, hoc est ad peragenda negocia, ipsasq; ad actiones accommodatos atq; efficaces: utimur enim uerbo hoc libenter: easdem etiã genitales esse uolunt, quæq; fratres liberosq; complureis promittant, quo uero ad qualitatem humectas quidem, certo tamen cum temperamento. Quæ deinceps sequuntur sex cum sint è Veneris finibus, in animis nascentiũ pietatem, temperantiam, gloriæ, laudisq; cupiditatem ingenerant: arbitrantur etiam conferre honores, coronas, autoritatemq; & apud populum, & apud principes: fratres ac filios complures promittũt, diuersisq; è mulieribus. Tertio loco numerãtur partes quinq; Mercurij finibus attributæ, quas perhibẽt eloquentiæ, sapientiæ, rerumq; cognitionis studium atq; cupiditatem in animis nascentium, earumq; indagationis ita infigere, ut nati ipsi excellere in aliquo doctrinæ ac scientiæ genere contendant. Quarto loco numerantur partes sex Saturni finibus attributæ, quas steriles, frigidas, noxias, uitiosas, damnosas, despicabiles, & in cunctis male felices arbitrãtur. Quinq; reliquas Martis finibus ascriptas, tradunt esse igneas quidem, ac periculosas, iniurias, contumeliosas, impudenteis, corruptas, contaminatas, atq; infidas. Deniq; Sagittarij signum ex omni parte in hominum actionibus peruariũ esse uolunt. Aegyptij uero in constituendis finibus numero duntaxat dissentiunt. Siquidem primos Iouis fines duodecim è partibus statuũt, Veneris secũdos è quinq;, Mercurij tertios è quatuor, Saturni quartos è quinq;, Martis quintos, eosdemq; ultimos, partibus è quatuor. Constitutus aũt in horoscopo genitu-ræ alicuius Sagittarius, natum illũ probitate, honestate, fide, ingenioq; admodum uersatili adornabit, ut tum artium, tum disciplinarum diuersarum cognitionẽ ac peritiam assequatur, utq; in publicis negocijs administrationibusq; uersetur: quod Iupiter signi dominus cum Sole triangularitatis socio præstabit, quam ad rem multum etiam cõferet natura signi, quod ex priore parte humanum est, adornat enim animũ dotibus ijs quæ hominis sunt propriæ. Patrimoniũ censusq; illi domesticus obijcietur præter spem atq; opinionem, atq; unde minime fortasse rebitur. Hoc autem eueniet propter Pisces, qui ascendente Sagittario imum cœli locum, hoc est quartũ obtinent: qua è re aquosis in locis cõuersabitur, aut negotia secundum aquas resue aquaticas ministrabit, hac enim ratione Iupiter duobus simul cardinibus dominatur, & ascendenti & imo, fauoremq; suum utroq; à cardine pro loci natura præstabit. Multum etiam eidem adiumenti adhibebit Mercurius tũ locupletandis ingenij bonis, cognoscendisq; disciplinis,

tum

tum etiam administrationibus negocijsq; obeundis, qui reliquis duobus cardinibus, id est occasui & culmini dominatur. Idem etiam multum terrarum & quidem sponte peragrabit, propter Leonem nono in loco qui peregrinationis est, constitutum. Etenim Leo ac Sagittarius eiusdem sunt trianguli cum Ariete, qui quintum in locum incidens sua quidem natura bonum ac felicem, inde auxilium etiam suum conferet. Verum, quod sæpius monui, uidenda est genituræ qualitas ac mensura, loca item ipsa quomodo irradientur, domini quoq; ac triãgulatores qua sint in cœlo ratione collocati. Laborabit etiam natus hic aduersariorum odio, atq; infectationibus: etenim Sagittarius in ortu, in medio, atq; in occasu constitutus genituræ tempore, nascentibus inimicos decernit, eosdem etiam peregre proficisci diutius cogit, propter signi naturam igneam, nec sibi omnino constantem. Humanitas enim ac feritas inter sese male omnino conueniunt, cuiusmodi constitutionis est Sagittarius, cum sit ex parte humanum, ex parte autem ferũ atq; atrox signum. Equi uero hominisq; societas ab arte existit, potius quàm à natura. Sed nec de nihilo traditum est signum hoc partim quidem ex homine, partim autem ex equo constare, quaq; homo fingitur, sagittis instructum esse, ac tractantem spicula, uulnera meditari, atq; ob feritatem, agresteq; ingenium palabundum esse, peregrinationibusq; gaudere. Idem signum in culmine positum genituræ tempore, eum qui nascitur agilem atq; idoneum agendis rebus pro natura sua decernit: amicitiæ studium, eiusq; obseruantiam, fidelem item conuersationem domini beneficio, atq; horoscopantium Piscium cognatione promittit, &, quod dictum est, inimicorum opera laborare, peregreq; proficisci, ac non mediocribus periculis iactari coget, Iouis etiã beneficio quod amiserit instauraturũ denunciat. Arbitramur aũt iacturam partæ prius substantiæ, hoc est rei domesticæ originem & causam ducere ab Ariete contriangulari signo, quod secundum, id est substantiæ locum obtinet, Sagittario in culmine consistente: cum sit Aries signum igneum ac uarians, infectumq; domini sui Martis ueneno ac maleficentia, quæ iactura postmodum Iouis benignitate instaurabitur. Idem hic natus rebus erit amatorijs deditus, nec mirum, cum Venus in Piscibus, quod signum culminante Sagittario horoscopat, altitudinem suam habeat, Marsq; triangularitatem. Huiusmodi autem genitura rum secreta hac à me iudicantur ratione uestiganda, quamuis complura sint à re, id est effectione ab ipsa potius iudicanda, quàm certa omnino ratione quærenda. Sagittarius in occasu positus genituræ cuiusp iam tempore, nato ipsi solicitudinem, animiq; inquietem, plurimaq; aduersa ob rerum uarietatem denunciat, odia item, atq; inimicitias, uitamq; extra patriam externis in locis degendam minatur, cum fratribus, affinibusq; contentiones graues, atq; damnosas. Etenim si-

gna ipsa ignea, maxime Leo ac Sagittarius, nã Aries Martis signum est, Marsq; ipse lætatur occasu propter noctem, cum ipse Lunæ socius atq; comes sit, non satis commode hoc in cardine sese habent, forsitan quod regio illa humida & frigens est, Solq; signorum ipsorum triangulator, ac lucis pater, quam ab ortu diffundit, tristatur regione illa, quæ luci contraria est, eiusq; qualitati quammaxime aduersatur. Ad hæc signa ignea uitalia sunt, occasus lethalis: ut enim ab ortu uita proficiscitur, sic mors ab occasu. In ima cœli sede collocatus Sagittarius natũ efficit agendis rebus accõmodatum, agilem, eruditũ, amabilem, notũ, sacricolam, quiq; felicem rerum suarum euentũ deo acceptum referat, idq; precibus, sacrificijsq; testetur: atq; hæc quidẽ propter naturam signi ac domini. Idem hic natus susceptã prolem lugebit, pòst uero noua susceptasobole mitigato dolore mœror ipse cessabit, atq; in lætitiam uertetur. Eueniet aũt hoc propter malam constitutionẽ cõtriangulariũ signorũ Arietis et Leonis, quorũ alterũ constituitur in octauo, alterũ in loco duodecimo, quo tẽpore Sagittarius imũ cœli locũ tenet. Si enim Sagittariũ in horoscopo collocaueris, locus filiorũ incidet in Arietẽ: si Leonẽ, prolis locus incidet in Sagittariũ. Vtrunq; autem signũ Aries ac Leo deiectum ac pernitiosum occupat locum, ubi Sagittarius imã cœli partẽ sortietur. Quocirca malignitate loci liberis damnũ infertur, quod postmodum Iupiter benignitate sua noua prole instaurabit. Rem aũt familiarem natus ipse accumulabit propinquorum suffragio atq; opera. Signa enim ipsa cardinalia inuicem cognata sunt. Ad hæc in eadem hac genitura (cum orientis & culminantis cœli signa Mercurio dedicata sint, infimi atq; occidentis Ioui) efficitur, ut cognatio hæc ipsa uideatur sibi inuicem suffragari. Ac de genituris hactenus. Paret autem signo huic Hetruria, quæ & Tyrrhenia, hodie Thuscana est, Italiæ quidem pars, quæ à Luna, Lunæq; promontorio incipit, qua è re ipsa regio ætate hac Lunesana, id est Lunensis dicitur: protenditur autem ab ipso promontorio per oram maritimam ad ostia Tyberis. Sunt autem in Hetruria Luca, Pisæ, Florentia, Sena, Clusium, Aretium, Perusia, Suana, Sutrium, Nepete: quocirca uidetur claudi Apennino monte, Tiberi flumine, & mari Tyrrheno. Huic item paret signo ea quæ Celtica à Ptolemæo uocatur, Hispania quoque, quæ & Hesperia, & Iberia dicta est, clauditurq; oceano, qui tum Hesperius, tum Ibericus ab ea nominatur, marique mediterraneo, quo satis angusto freto à Mauritania seiungitur: separatur autem à Gallia Pyreneis montibus. Quæ uero Celtica à Ptolemæo dicitur, ea Galliæ pars uidetur intellegenda, quæ Narbonensis prouincia est, quam Ptolemæus Sagittario subijcit, in qua est Narbon, unde Narbonensis, & Massilia nobilis urbs, tunditurq; à mari, quod

Ligusti-

Liguſticum dicitur: quo fit, ut ora quoq; Liguſtica, quæ Celticæ atq; Hetruriæ media eſt, Sagittario attribuatur: cui item attribuitur Arabia; quæ felix à noſtris agnominata eſt, à Græcis Eudæmon: ea eſt ad oceanum expoſita, ac mare rubrum. clauditurq; à duplici ſinu, ab occaſu Arabico, ab ortu Perſico, à meridie mari rubro, ſeparaturq; ab Arabia Petrea, itemq; deſerta montibus, qui à ſeptentrione inſurgunt.

De Capricorno. Cap. X.

PEragente curſum ſuum Sole, qualitatibusq; inuicem ſe uertentibus, dicq; ad ultimũ lucis detrimentũ iam redacto, frigidaus uſq; adeò iam excreuit, ut regnare prorſus in aëre uideatur. Cumq; ſolaris ille calor labefactatus maxima è parte iam refrixerit, nec quos uapores ſurſum euexerit, concoquere ullo pacto queat, terra ipſa madeſcente, neceſſe eſt hymbribus ac niuibus pro regionum natura cœlum permanare. Etenim conuectis in editũ uaporibus, terra mirum in modum grauida, obſiſtenti quoq; ſua in regione frigore, uapores ipſi aut in hymbrem diffluunt, aut in niues concreti dilabuntur. Quocirca Capricornus, ad quem Sol Sagittarium permenſus confeſtim præterit, merito humidus ab antiquis eſt dictus: quandoquidem eo ipſo Solem hoſpitio ſuo accipiente, multæ ac calidæ decidunt pluuiæ, fitq; ut uniuerſim putetur ſignũ ipſum humeſcere. Diuiſim autem Ptolemæus putat primas eius partis uehementer urere, ſimulq; corrumpere, humidum enim à calido facile corrumpitur: quæ quidem omnia ſigno huic cæteriſq; item alijs obueniunt propter Solis progreßionem, orbisq; ſolaris à punctis æquinoctialibus euectionem ac declinationem. Finitimæ etiam ſtellæ non parum ſua de qualitate conferunt. Medias autem temperamentum quoddam retinere, idẽ Ptolemæus eſt autor, ultimas uero maxime pluuias eſſe hymbriferasq; arbitratur, quod fore neceſſe eſt tum propter rationes, quas attulimmus, tum quia partes auſtrinæ ſeptẽtrionalesq; utraq; è parte ſuas ob cauſas humectant admodũ atq; corrũpunt, quæ quidem autoris eiuſdem opinio eſt. Non uidetur aũt aduerſari rationi, neq; repugnare rerũ naturæ, quod Capricorni ſignũ cũ ſit, ut initio diximus, terrenũ, fiat humidũ ab euentu, atq; ex aëris accidentia. Siquidẽ nõ raro uidemus æſtates maxime pluuias, contrà hyemes admodum ſiccas. Qua autem uia primæ Capricorni partes urere habeãt noſtris in regionibus, nõ uidemus, in quibus frigora tũc maxima contingũt Sole Capricornũ ingreſſo, quo tẽpore niuibus etiã cõplẽtur omnia. Plurima enim ſecus Aethiopibus atq; nobis accidũt: cancer enim illis plurimos ac penè aßiduos hymbres fundit, æſtus aũt nobis ingẽtißimos. Forte igitur ut nobis capricornus propter remoti-

onem frigora, sic illis contrario modo ob propinquitatem æstum adduñ. Nam ut stellæ fixæ urentis naturæ hoc præstent, fieri ex parte potest, ratio tamen hyemis in terris nostris plus pollet ad frigiditatem. Quo ad fines autem, finiumq; ipsorum rationem, quæ sit signi huius significatio, statim explicabimus. Partes sex primæ, quæ Veneri ascribuntur, Veneris ipsius significationibus sunt appositæ, siquidem luxum eius ac profusionem referunt: faciunt enim natos helluones, libidinosos, pathicos, discinctos, infames, ac luxu ipso perditos. Quæ sex aliæ insequuntur partes Mercurio ad dictæ, natos indicant futuros histriones, mimos, scenicos, personarum fictores atq; imitatores, lenones, ganeones, allectores, captatores, quiq; hac uia lucris inhient, homines quidem degeneres atq; abiectos, gratos tamen atque opulentos. Partes septem quæ statim sequuntur, cum sint Iouis, natos reddũt in ipsa etiã copia inopes, in honore ac gloria inglorios atq; inhonoros, in alto gradu cõstitutos humiles atq; abiectos, eosdẽq; sordidos, atq; inculcis moribus, necnon steriles, aut qui fœminas tantũ gignant, ac fortasse monstrosas. Nos hæc ab antiquis scriptoribus Græcis, Aegyptijsq; hunc in modum prodita referimus, mirati à Ioue ac Venere talia decerni: ni forte natura signi à Saturno Marteq; infecti propter altitudinem ac dominatum, tum Veneris nitorem ac munditias, tum Iouis generositatem contaminet ac nobilitatem. Sex quæ insequuntur cum sint Martis, natos extollunt ad potentiam, ad ordines, honorésque militares, ad dominatus, ad tyrannidem, eosdem faciunt adulteros, propriarum facultatum dißipatores, cognatorum insectatores, peregrinationibus, homicidijs, contentionibusq; gaudentes. Quinque reliquæ cum sint Saturninæ, natos gignunt austeros, tristes, difficiles, morosos, acerbos, dolosos, liuidos, tardos, futuris de rebus solicitos, frigidos, sine filijs, itemq; sine fratribus. Dissentit autem & numero, & ordine, omniq; è parte finium hæc constitutio ab Aegyptia constitutione. Siquidem ab Aegyptijs primi fines Mercurio, secundi Iouis septenis è partibus ascribuntur, tertij partibus ex octo Veneri, quarti Saturno, quinti Marti è quaternis utriq;. Signum autem ipsum Capricorni pro qualitate sua, proq; natura Saturni ac Martis, alterius domini, alterius in eo altitudinem habentis, natos efficit plerunq; agriculturæ studiosos, rerumq; abditarum ac naturæ exploratores, laborioſos, sedulos, uigilanteis, erumnosos, simulatores, superstitiosos, quæ à Saturno proficiscuntur: uerbosos item, mendaces, inconstantes, insidiosos, libidinosos, fœdos, puerorum amatores, quæ uitia Martis sunt: ijdem propter Venerem trianguli huius participem delectabuntur uerborum lenocinijs, capiẽturq; dicendi suauitate. Capricornus igitur in ortu constitutus prodeunte in lucem aliquo, animi eius applicationem futuram indicat erga itinera uisendi

orbis

orbis studio obeũda, idq; à natura signi mobilis, & orbis parte tropica constituti decernitur: cũ etiã Virgo cõtriangulum signũ in loco nono, qui peregrinationis est, collocetur. Rei item familiaris alimonia, satisq; amplæ facultates denuntiantur, cum idem Saturnus & horoscopanti signo, & domesticæ facultatis domicilio præsit: tametsi Saturni stella difficilis est, ac laboriosa. Indicatur etiam cognitio quædam rerum naturæ occultarum, aut ceremoniarum, sacrorumq;, aut humanorum etiam secretorum: quarum rerum inuestigatio atq; peritia Saturni propria est, necnõ in administrandis rebus cautio, atq; prudentia portenditur, quadam quasi cum simplicitate mixta. Etenim Saturnus propter innatum timorem et cauet, & simpliciter in agendo progreditur, ne dolus appareat, & superstitione potius quàm religione animos imbuit, atq; ad deorum preces uotaq; inaduersis conuertit. Quodq; Mars propter altitudinem signum ipsum magnitate sua inficit, cum etiam Taurus eiusdem trianguli signum Venerea am ad rem inuitet, natum amatorijs in rebus ardentiorem reddet. Sunt enim Martis propria adulteria, amoresq; intemperati: qua ex intemperantia efficitur, ut quam in delitijs habuerit, paulò pòst odio insectetur, infamiaq; afficiat, nec minus ipse quos beneficijs affecerit, ingratos pòst, contumaces q; experiatur. Idẽ Capricornus cœlo in medio collocatus, nascente aliquo, præficit eum negotijs administrationibusq;, è quibus gloriam sibi uendicet, domesticasq; accumulet facultates cum ornatu & copia. Largitur etiam acumen ingenij, multamq; cognitionem rerum à natura arcane abstrusarũ, præsertim cœlestium rerum peritiam. Idem erit propter ingenij dexteritatem, multis rebus negotijsq; accommodatus adeò, ut iudicetur non utilis modò, uerumetiam necessarius. Hæc autem præstantur à Saturno. Nec Mars tamen acuendo ingenio fauorem suum denegat: siquidem Saturnus cum atræ præsit bili, is humor calefactus ubi fuerit, mirum in modum tenuatus acuitur. Nec iniuria emanauit etiam in uulgus dictum illud, omnis melancholicos ingeniosos. Etenim ignis ipse ubi querno inhæsit stipiti, quod lignum est admodũ terrestre, & calorem emittit maiorem, et diutius in eo seruatur, quàm in populeo, aut abiegno stipiti, in quo quasi è uestigio ignis extinguitur, euaporata repente flamma. Itaq; Saturnina ingenia pertinaciora sunt, suaq; pertinacia atq; obduratione ad occultiora penetrant, assequunturq; pertendendo quod quæritant. In occasu etiã collocatus natum similiter ingeniosum, rerumq; obscurarum indagatorem, ac scium præstabit, quiq; propter situm ac naturam cardinis ac domini, Martisq; hostilem qualitatem, insidijs plurimis laboraturus sit, magnaq; passurus incommoda, propter calumnias, accusationes, atq; occulta odia, è quibus tandẽ emerget, uiuetq; quietior, quimetiam occultis corporis aut

animi doloribus ac uitijs laborabit. Vt autem hoc è loco Capricornus insidias, plurimáq; parat incommoda, sic ex imo loco qui est paternæ substantiæ, euertit illam, quodq; antea partum est, dilacerat. Pòst uero laborando, agendo, multumq; insudando natus ipse aut amissa recuperabit, aut nouas sibi parabit facultates, quibus senectutem suam tranquille admodũ traducat. Liberos aut non suscipiet, aut ignobiles quidem atq; è matre humili et abiecta suscipiet, aut illos sibi adaptabit: quod idem Saturnus efficit, qui non solum quarto loco, qui census est, uerumetiã quinto, in quo Aquarius succedit, dominatur, illumq; corrumpit. Saturni tamen malefica uis post primum decursus sui spatium mitigatur, & quod in acerbis pomis usuuenit, matureſcit. Capricorno autẽ dedicatæ sunt regiones hæ, India, Ariana, Gedrosia, quæ quidem in Asia sunt: in Europa uero Illyrium, Macedoniã, ac Thracia. Secernitur autem India qua septentrionem spectat, à Sacis, Imao monte: à Gedrosia uero Indus eam separat, ipsaq; Gedrosia diuiditur à Carmania montibus qui Persici dicuntur, percutiturq; Indico mari. At Ariana iungitur Parthiæ, ac Carmaniæ solitudinibus. Duxit aũt nomen ab Ario flumine, qui eam secat, ac lacum efficit: de quibus (quoniam remotißimæ à nobis sunt) aliud non uidetur dicendũ. Illyrium autem quod in se continet Liburniam, ac Dalmatiam, hodieq; ex parte uocatur Sclauonia, itemq; Croatia, ex parte Albania, à septentrione habet Pannonias, quæ hodie Hungaria est, à qua distinguitur montibus, ab occasu Istriã, quæ Italiæ annexa est, ab ortu Mysiam superiorẽ, quæ hoc tempore Hungariæ pars est, à meridie Macedoniæ partẽ, abluiturq; ab occasu Hadriatico sinu, à quo Macedonia protenditur ad mare Aegeum, coniungiturq; Thraciæ, à Solis exortu, ad Strymonis amnis ripas: separatur autem ab Illyrio, ac Mysia montibus, itemq; ab Epiro, atq; ab Hellade, & Achaia, de quibus iam diximus. Græcia hodie omnis ea regio à nostris dicitur, Epiri tamen pars Albania uocatur. Thracia iungitur à septentrione Mysiæ inferiori, ipsius autem Mysiæ pars, itemq; Thraciæ Bulgaria nunc est: ab occasu Mysiæ superiori, quam Hungari tenent, itemq; Macedoniæ, cui etiã iungitur à meridie, ab ortu Solis habet Propontidem, hoc est mare, quod è Callipoli ad Constantinopolim procurrit, & Bosphorum, qui Thracius dictus est: ea quoq; regio Græciæ nomine nunc comprehenditur, in qua Turcarum reges solium sibi constituere, propter urbis Constantinopolis magnitudinem.

De Aquario. Cap. XI.

AQuarij signum hybernũ, id est frigidum, atq; humidum, qualis hyems est, ab antiquis esse dicitur. Tunc enim & maxima in-

gruunt

gruunt frigora, demersis penè ab euaporationibus Solis radijs, & hymbribus, pruinis, aut niuibus inhorrescunt omnia, quando ui frigoris de gelu glacieq; occupantur. Vltimas autem partes (cum primæ humidæ, mediæ uero temperatæ tradantur) uentosas esse perhibent, nec sine ratione. Si enim primæ partes pluuiæ, ac magnopere nymbosæ, mediæ autem temperatæ sunt, dum scilicet uenti cessant, ob præteritas pluuias, quæ uim illam fumidam, è qua uenti gignuntur, extinxere, necesse est pedetentim post tantam terræ madefactionem, congelationemq;, aspirationem quoq; multã à Sole subduci: quæ cum materia uentorum sit, ut eos plurimos citet, perquàm naturale quidem est. Bene igitur atque appositè traditum est, primas Aquarij partes admodum madescere, ultimas abunde flare, quæ autem ad boream spectẽt, urere: quod nostris in regionibus per anni tempus quo pacto contingat, non uideo: quæ uero ad austrum, niues plurimas fundere opinantur. Hæc itaque uniuersim in aëre contingere, Sole Aquarium peragrante, uolunt. Quod uero ad hominum genituras, cœliq; decreta pertinet, tale est, ut natos plerosque gignat molles propter signi naturam, est enim humanum signum: qua è re fit, ut animi nascentium emolescant otio, deuitentq; laboriosa & aspera, ut quasi effœminentur. Propter Saturnum autem signi dominum faciet eosdem parcos, sordidos, inuidos, osores suorum, astutos, cautos, consiliorum suorum celatores, pertinaces, elatos, delatores, atque calũnioſos Quocirca quibus Aquarius in genitura ascenderit ob artis aliquas, rectamq; institutionem noti erunt, ac potentibus uiris accepti, faciet hoc Saturnus signi dominus, ac triangulator. Quodq; Mercurius habet etiam in hoc signo triangularem prærogatiuam, suffragabitur eis beneficio literarum atque eruditionis, necnon etiam Venus præsidio religionis, ac sacrorum, cum Libræ præsideat, quam nonum, id est religionis locum tenere manifestum est, quoties Aquarius in horoscopo collocatus fuerit. Huius etiam stellæ fauore ac beneficio liberati maximis è periculis euadent, quã ob rem à laboribus, erumnisq; circumuenti natura duce ad aras, deorumq; auxila confugient. Iidem bona parta, ob Saturni maleficentiam, hominumque inuidiam, amittent, amissa repensabunt opera utiq; atq; industria sua. Bonis quoq; affluentibus, in multos beneficia conferent, deq; suo erogabunt, quorum illi quidem ingrati erunt atque immemores. In remunerandis enim beneficijs, gratiáque referenda Mars ac Saturnus aut auariſsimi sunt, aut ingratiſsimi. Quibus Aquarius culminauerit in genitura, & propter cardinis maiestatem, & propter Saturni præsidatum, nati illi diuersabuntur apud potentes & magnos uiros, publicosq; magistratus gerent, quibus gerendis rem sibi familiarem comparabunt, administrabũt autem

res plerunq; aquosas pro signi ipsius natura, aut in locis fortasse fluuialibus ac maritimis. Laborabunt hominum inuidia, ac fortunæ uarietate. In loco septimo, hoc est in occasu constitutus, ueniente in lucem homine Aquarius ipsum illum multa rerum inconstantia uersabit, ac quatiet: ut si quid ante cõmodi, ac bonæ fortunæ præbuerit, haud multo pòst tantundem incommodi atq; aduersi obijciat. Cardo autem ipse horoscopo aduersans aduersarios atq; accusatores decernit, criminaq; ob inuidiam, lites etiam atq; infamiam, necnon solicitudines uxoriæ rei gratia, uitia insuper corporis, aut occultos decernit dolores. Siquidẽ Saturnus signi dominus, itemq; triangulator, Mercurius quoq; eiusdem trianguli particeps septimo in loco positi uitia corporis naturaliter inducunt. Ac nihilominus Saturnus hoc è loco senectutem bonam atq; opulentam pollicetur, quod signum ipsum suo à domino mutuatum in natis referet. Ad hæc contriangula signa Gemini ac Libra tenente occasum Aquario, alterum ab undecimo, alterum à loco tertio felici tuentur aspectu. Ex imo etiam cardine Aquarius uidetur natos insectari, minatur enim non in aquis modò labores, incommoda, periculaq;, uerumetiã hæc ipsa mala prope loca aquosa, aut secundum flumina, lacusue, aut paludes, ac maria: Saturnus enim maleficentiam in aquis suam maxime exercet. Qua in re illud etiam aduertendum, signa contriangula in locis pigris, disiunctisq; collocari. Siquidem Libra duodecimo in loco, Gemini in octauo ita desident, quoties aquarius imum cardinem obtinet, ut contagione quasi quadam pariter ægrotent. Qui uero de finibus signi huius præcepta tradunt, Ptolemæi approbationem secuti, sic quidem sentiunt, ut primæ partes sex Saturno attributæ maleficæ quidem atq; infelices sint, quippe quæ sterilitatem afferant, filios ac fratres penè abnegent, uitia in uiscoribus ingenerent, ac præsertim in membris è chartilagine, aquam quoq; intercutem, neruorumq; distentiones, hydropem, spasmumq; excusitent. Quæ sex autem insequuntur, Mercurioq; addictæ sunt, ut nati animum cogẽdis diuitijs exacuant, ut diligentiam, sedulitatem, curam, atq; prudentiam in actionibus largiantur, ut legum etiã peritiam, instituẽdi rationem, doctrinarum cognitionem, ingeniumq; admodum uersatile, cum innata quadam aptitudine ad res administrandas, domesticasq; ad rationes dispensandas, cum perpetua animi solicitudine, atq; metu. Tradunt etiam insequentes octo partes Veneri ascriptas in animis nascentium ingenerare summum pietatis atq; amicitiæ studium, ueri, honestiq; amoris affectionem: fore etiam arbitrantur, ut cœli benignitate magis quàm aut labore, aut industria, sed tanquã ex improuiso nati ipsi locupletentur. Iidem in Venerem intemperati, impuriq; futuri sint, siquidẽ cum uetulis, aut sagis, magicisq; mulieribus consuescent, aut cũ eunuchis,

sterili-

sterilibus, exoletis, cinædis ue se miscebunt, ex hacq; coitus impuritate diui tias sibi parabunt. Forsitan & ij dem nauicularia res q; maritimas exer cebunt. De quinq; partibus insequentibus Ioui dedicatis ita sentiunt, ut qui partibus his horoscopantibus in lucem uenerint, futuri sint fortunati, qui tamen minutissima quæq;, quinetiam uilia ac sordes ipsas curent, gloriam ac famam negligant, obscuritate lætentur, liberos suscipiant, fratres tamen odio insectentur. De partibus quinque reliquis fines ultimos statuentibus, Martiq; attributis hæc tradũt, ut eæ natorum corpora occultis morbis ui tijsq; infestent, animos contaminent, ignauos ac secordes reddant, inuidos ac dissolutos faciant, torturis, supplicijsq; proponant, & ad omne flagitij genus præcipitent. At qui Aegyptios secuti sunt, fines hac ratione partiun tur, ut Aquarij partes septem Mercurio primum, deinde sex Veneri, dein ceps septem Ioui, post has quinq; Marti, ultimo totidem Saturno. Famu lantur autem signo huic de terrarum partibus ac prouincijs Sauromatia, Oxiana, Sogdiana, Arabia, Azania, mediaq; Aethiopia. Iunguntur au tem simul Oxiana ac Sogdiana: habent autem fines ab occasu atq; à septen trione cum Scythis, quos supra Sacas uocauimus, nam Persæ sua lingua Sa cas uocabant, qui nostra erant Scythæ, nunc uero sunt Tartari: ab ortu itẽ cum Sacis, in quibus numerãtur Massagetæ, qui & Alani, à meridie cum Bactrianis. Vtraq; cepit nomen à fluminibus. Oxa enim qui & Ossus di citur, atq; à Caucaseis montibus qui Oxij dicuntur, fluit, dedit alteri nomẽ quod altera assecuta est à geminis fluminibus eiusdẽ appellationis, duo eius latera præterlabẽtibus. Sauromatia pars est Sarmatiæ, spectatq; ad Mæo tidem paludem, permagnusq; est gentis eius in Asia, atq; in Europa tra ctus. Nam à finibus Mysiæ inferioris, quæ est ad ostia Danubij, quam re gionem hodie Valachiam uocant, ad Hyperboreos montes citra ultraq; Tanaim, atq; ad mare Caspium Sarmatia pertinet, in eaq; habentur Ros sia, Transiluania, ac Polonia. De Arabia felice iam est dictum: hæc autem ipsa Arabia intellegẽda est Petræa ac deserta, utraq; autem est inclusa duo bis à lateribus, hinc Syria ac Iudæa, illinc Mesopotamia, à tergo autẽ feli ci Arabia, hoc est Eudæmone, ac sinu partim Persico, partim etiam Arabi co, ab ipsa uero felici disterminatur montium perpetuitate. Media uero Ae thiopia sita est post Marmaricam, iacctq; inter Libyæ deserta, paludesq; Nubam ac Chelonidem, Nilum item flumen ac Meroën insulam, per quã etiam altissimi procurrunt montes, qui Aethiopici nocantur: regio autem ipsa uasta est. Azania est ad sinum Arabicum, in qua plurimi elephantes, coniungiturq; regioni Cinnamiferæ. Sunt in ea Masta, ac Pylei montes, Coloa palus, ptenditurq; illinc ad Nili paludes, atq; ad Anthropophagos, Aethiopes, hinc iungitur Troglodytis uersus mare rubrum, & Memnoni

bus, ubi duo illi amnes simul miscentur, postq; in Nilum influunt.

De Piscibus. Cap. XII.

QVi uenti à septentrione spirant, mensi quidem Februario ual de familiares sunt. Siquidē Sol ante Capricornū, pòst Aquarium emensus, cardiniq; æquinoctiali propinquior factus in regionibus, quæ positæ sub septentrionem sunt, concalescere aliquantulum iam cum cœperit, uapores passim multos, multamq; aspiratione in aëra sursum euehit: qua ex euectione fit, ut aspiratio ipsa deorsum à frigore geluq; reiecta, in nos, regionesq; has deuexiores ingruat, uehementiore etiā cum impetu frigoris ac niuiū. Itaq; accōmode atq; è re ipsa traditū est à maioribus nostris, Piscium signū omnimo frigidum ac uentosum esse. Etenim de natura orbis Solis atq; anni, cū hyems frigida & humens sit, frigidum ipsum eò proceßit, ut cedere iam humido naturaliter debeat, aduentante etiā Vere: quo tempore humida uis incrementū suū accipit: qua de re fit, ut Pisces sint maxime frigidi, in humidumq; declinēt. Opinatur aūt Ptolemæus primas signi huius partes tēperatas esse, medias humectas, quæ ultimæ sunt, urere. Quod hæ quidem urant, illæ uero temperatæ sint, in Ptolemæi regionibus potest usuuenire, minime autem in nostris, atq; ad septentrionē: quæ uero ad boream, uentos spirare: quæ ad austrum, pluuias fundere. Qui uero fines partiūtur, è Ptolemæi opinione de significationibus eorū, quæ singulis à finibus portenduntur, hæc quidē tradunt: ut primæ partes octo numero, quæ Veneri dedicatæ sunt, hilares, iucundæ, suaues, lasciuæ, uoluptariæ, urbanæ, gratæ petulcæ, genitalesq; esse perbibeantur, itemq; beneficæ, dijs acceptæ, atq; amabiles, quippe quæ huiusmodi affectiones in animis nascentiū ingenerent. Partes insequentes sex cum sint Iouis, arbitrantur esse rerū naturaliū studiosas, peritas, experienteis, eloquenteis, cōcionatriceis, curiosas, populari auræ, ciuiliq; clientelæ deditas, fratrūq; ac filiorū fœcūdas. Quæ deinceps sex aliæ insequūtur, Mercurioq; addictæ sunt, eas esse perhibent honorabileis, præpositas magistratibus amicitiæ appetēteis, gratas, misericordes, religiosas, pias, modestas, officiosas, atq; etiā genitales. Sex itē alias insequētes, Martiq; addictas, actionibus deditas, efficaceis, maritimis rebus gaudētes, hinc eripienteis, illinc profundenteis, loquaceis, uarias, incōstanteis, nefarias, scelerū magistras, quæq; uiolentā mortem portendant. Quatuor reliquas Saturno ascriptas asserunt humidas, noxias, quæq; neruis obsint, malosq; humores instillent, ac fortunæ bonorū damna, iacturasq; deniūtient: qui ij; illis horoscopātibus nascūtur, eos utiq; eiusmodi tū utijs, tū uirtutibus præditos fore autumāt. Qui uero Aegyptiam partitionē sequūtur, ij Veneri duodecim, Ioui quatuor

tuor, Mercurio tres, Marti nouem, reliquas duas parteis Saturno tribuũt. Fines autem domini sui naturam ubiq; ferè sequuntur. Plerunq; autem sub Piscibus nascuntur, qui libenter peregre proficiscantur, uisendi orbis studio capti, quorũ etiã uoluntates ancipites sint, atq; incerta consilia, quod signi ipsius natura præstat: ijdẽ pòst ab erroribus ad quietem transibũt, à laboribus ad otiũ ac trãquillitatẽ: futuri etiã sunt sedatis atq; cõpositis moribus, fideles, ingenioſi, religioſi, rerum popularium ſtudioſi, fœcundi, pro natura Iouis, ſigni domini, atq; itẽ Veneris, quæ altitudinem, ac triangularitatẽ eamq; cum Luna ſimul habet in Piſcibus, quã ob cauſam futuri ſunt etiã molles, laſciui, procaces, conuiuijs, cantibus, luſibus, reiq; amatoriæ dediti. Horoſcopantibus igitur Piſcibus, in lucẽ qui ueniunt, futuri ſunt ingenioſi, amicitiæ cultores, ſano conſilio, fideli beneuolentia: præponentur autem negotijs, aut magiſtratibus, è quibus gloriam conſequantur, ex ijsq; gradatim ad alios transferentur: in itineribus uerſabuntur, qua è re in magnã hominum notitiam uenient: tandem procedente tempore diuitijs req; familiari multum abundabunt, aduerſariorum iniquitatem facile ſuperabunt: quæ omnia ſtellarũ, quas ſupra poſui, fauore illis præſtabuntur, præſertim cũ Iupiter ſit etiã medij cœli dominus, oriẽtibus enim Piſcibus Sagittarius culminat. Iiſdẽ Piſcibus in medio cœlo collocatis, ubi qs ex utero matris prodit, is in locis maritimis, fluuialibus ue, aut aquoſis negocia ſua, actionesq; exercebit, patrimonium & amplum & opulentum ſibi comparabit, alienis q; è facultatibus, contributionibusq; locupletabitur, nec uno tantum in loco poſsidebit, cum Piſcium ſignum bicorporeum ſit, quæ quidem bona non tam cardinis quàm Iouis ac Veneris beneficio conferentur, auxiliante etiã Luna Cancri domina: quod ſignum culminantibus Piſcibus ſecundo in loco, id eſt in domeſticæ rei parte inuenitur, quibus è locis ſigna ipſa ſibi cõtrigonum tantur. Cõſtitutis in occaſu Piſcibus, qui in lucem uenit, is in itineribus aſſiduus erit, peregreq; noteſcet, gratia, beneuolentiaq; multum apud homines ualebit, in conuerſationibus, familiaritatibusq; gratus erit, præſtabit ingenio, atque adminiſtrandis negotijs continue occupabitur, quibus è rebus etiam diteſcet. Videntur autem ſigna humida, quæq; Lunæ, Martis, ac Veneris triangularitatem conficiunt, ſecus atque ignea, propter ſimilitudinem qualitatis, occaſu quodammodo gaudere in hominum genituris. In imo poſitis Piſcibus quicunque in lucem uenit, ille multa fide, integritate, ingenijq; dexteritate præditus erit, atq; ob hanc rem magnam ſibi autoritatem in adminiſtrandis negotijs conciliabit: cuius etiam patrimonium, reiq; familiaris ſuppeditatio uidetur futura, aut ex aquoſis locis, aut è miniſterijs, quæ in aquis, aut per aquas exercentur, propter ſigni, cardinis q; naturam. A re autem uxoria aut abhorrebit, aut erga uxorẽ coniu-

gali beneuolentia parum afficietur, moresq; illius deteſtabitur. Quod propter Saturnum continget, quem triangulatorem eſſe Geminorum, Aquarij ac Libræ diximus. Siquidem Piſcibus imum cœli tenẽtibus, Gemini in occaſu reperiuntur, quem locum uxoris eſſe traditum eſt. Quam igitur malignitatem ſignum à triangulatore ſuo accipit, cardini quoq; infigit, ex eaq; contagione rem uxoriam uexat. Ad hæc Mercurius Geminorum triangulator & dominus, ſeptimo in loco genituræ, ut ante quoq; dictum eſt, non ſatis bene ſeſe habet, diurno præſertim tempore. Illic enim inuentus eum qui naſcitur, impuræ quidem libidinis cupiditate fœdabit. Hacq; è re ſignũ ipſum domini ac triangulatoris ſui contactu quaſi quoddam male affectũ quem concepit habitum, in re uxoria, maritaliq; coniunctione referet. Sub Piſcibus ſunt Phazania, Garamantica, Naſamonica, Lydia, Cilicia, Pamphylia. Sunt autem Garamantes ultra minorem Africam, poſtq; Libyæ ſolitudines: è quorum montibus decurrit Cinyps fluuius, qui Africã ipſam perlabitur, & ex alijs item montibus Bagrada. Protenduntur autem uerſus Aethiopiam quæ eſt in Aegypto, latere ab uno, ab altero uero Getuliam uerſus, tenduntq; in interiora Libyæ. Naſamonica pars eſt Marmaricæ eius quæ eſt ad montes Anagombros, iungiturq; Ammoniacæ, Meſamonicam ſunt qui uelint olim dictam, quod loca tenerent in arenas ſita. Phazania ſita eſt in Africæ ſolitudinibus, uerſus minorem Syrtim, porrigiturq; uerſus deſerta, in quibus mons eſt ab exuſtione uocatus, atq; ad Garamantum fines. Lydia minoris Aſiæ pars eſt, quæ & Mæonia quondam dicta, in qua ſunt Hermus & Pactolus celebrati à Poëtis fluuij, ac Sipylus, & Tmolus montes. Pamphylia terminatur ab occaſu Lycia, atq; Aſia minore, à ſeptentrione Galatia, ab ortu Cilicia, & Cappadocia, à meridie mari Pamphylio, ab ipſa cognominato. Ipſa uero Cilicia habet ab occaſu Pamphyliam, ab ortu montem Amanum, & Armeniam, à ſeptentrione Cappadociam, ac Taurum montem, à meridie mare in quo eſt Cyprus inſula, & ſinum Iſicum ab oppido in ora ſito appellatum propè portas Amani montis, per quas in Syriam eſt aditus.

Libri quinti De rebus cœleſtibus finis.

IOAN

IOAN. IOVIANI PONTANI AD SVARDINVM SVARDVM,

De rebus cœlestibus Lib. Sextus.

PROOEMIVM.

PINVM hanc (in hortis enim sumus) admirari te magnopere uideo Suardine Suarde, proximãq; illi nucem, ob tantam uidelicet stirpium, ut arbitror, proceritatem, laxitatemq; ramorum, adoleuere nanque mirificum in modum, plurimumq; in crassitudinem dilatauere sese, quanquam pro sua stirpis utriusq; natura. Me uero non tam ipsa proceritas trahit in admirationem, tametsi admiratione perquàm digna res est, quàm quod paucæ admodum radices, infixaq; maioribus radicibus capillamenta, & quidem pertenuia ac perminuta tantam alere sumministratione sua, pluribus etiam seculis atq; ætatibus molem ualeant. Quæ enim Deus optime maxime exugendi è terra succi uis radiculis illis inest tanta, ut & alere tandiu materiam tam grandem possit, & tam uberem frugum copiam ferre, ut ad hominum non solum usum, uerum ad plurimorũ quoq; animalium alimoniam adiumenti tantum conferant? Vbi aũt mecum ipse reputo, minutissimis è principijs corpora ipsa proficisci, atq; è tantulo nucleo tantæ prouenire proceritatis arborẽ, desino iam admirari: cum præsertim uideam paucissimis è uoculis ac literis manare tam uberẽ uerborũ copiã, tantamq; uerbis ipsis uim inesse, ut & oratio finitis è literulis progressa in infinitatẽ abeat, & animos hominũ ad iram ac uoluptatem, contrariasq; inter se affectiones sic impellat, ut dominari in animis ipsis nostris oratio uideatur. Atq; hæc quidem ipsa in hunc maxime modum à natura comparata sunt. Quocirca si educendo è terra succo pertenues etiam raditulæ tantum adeptæ sunt uirium, quas inesse stellis facultates, quo etiã robore ac potestate præditas illas existimabimus, immittendis è cœlo illis q; è corporibus radijs, & tanquam imprimendis notis in ijs ipsis, è quibus constamus, humoribus? Afficitur ipse quidem per quem spiramus aër, ab eius uero affectione sensus, mox etiã animus titillatur, ubi aut per ignẽ, aut per suffitum myrrhæ tantulum, Arabicũe cuiuspiã odoramenti naribus obiectũ fuerit. Non concipiuntur tamen naribus stellarũ effectiones, non auribus, at actionibus ipsis hominũ, animorũq; cõmotionibus sentiuntur. Non sentitur attactu, non odoratu uis pestifera: quæ tamen sit, quàm etiam lethalis, docent funerà, & orbitates quodã modo urbiũ ac populo-

rum. Inhærent solo infixæ arbores, contrà mouentur homines, atque incedunt. Atque ut hæc ipsa contraria sunt officia, sic diuersa admodum ratione & arborum & hominum constituta sunt corpora. Ducit alimentum à radicibus imis arbor, qua parte stipes infixus est terræ: at homo summo à capite, ubi & os formatũ est, per quod alitur, & lingua sita est, per quam sapores sentit, & aures dispositæ sunt, & item nares, quarum & audit & olfacit ministerio. Oculi quoq; eodem sunt inclusi capite, quorum ipsorum officio luce fruitur, mundiq; intuetur pulchritudinem, ac contemplatur. Hæc aũt omnia per aërem homo assequitur, in quo perinde ut patentissimo quodam in campo stellæ uires suas assiduis agitationibus, discursibusq; exercent. Etenim oculi, quorum nullum esset absq; aëre officiũ, sciendi atq; intelligendi uiam nobis aperuere. A motu enim cœli stellarumq;, atq; è diuersitate tum rerum, tum temporum, quam tantam esse cernerent, in admirationem conuersi cœperunt præstantissimi quidam uiri rationẽ, causasq; exquirere. Quibus è principijs rerum ac naturæ ratio in eam peruenit cognitionem, quæ nunc scientia dicitur. Itaq; ut à terra stirpes alendis corporibus, sic ab aëre homines exercendis sensibus opem mutuantur: quẽ maiores nostri tum spiritum, tum animam uocauere, quod ex eo potissimum uiueremus. In eo igitur stellarũ uires maxime ostẽduntur, quod manifestissime omnium docent Sol ac Luna, propter principatum alter lucis ac caloris, propter propinquitatem altera. Quod uersibus etiam decantatũ est à nobis in eo libro, qui Meteorica inscribitur. Atque ut translationes arborum, itemq; insitiones peperere eam quæ nunc est fructuum diuersitatem, dum rerum semina inter se commiscentur, aliudq; atque aliud in solum transferuntur, coagmentatis simul libris atque corticibus: Sic ingeniorum quoque proueniunt diuersitates tam multæ de commixtione radiorum, quos stellæ diuersis è signis ac locis, diuersis etiam è configurationibus miscendo iaculantur. Quemadmodum igitur paruis è principijs profluũt corpora, sic è tenui humorum mixtura atque à uarietate radiorum, diuersitateq; agitata & fota uarietates proueniunt corporum atque ingeniorum. Etenim ingenia siue acuta ea sint, siue obtusa, pro humorum qualitate corporumq; textura & acuuntur & obtunduntur in nobis. Anima enim suis instrumentis usa, quod artificis est proprium, tum materiæ ipsi, tum instrumentis sese accommodat, proq; materiæ atq; instrumentorum natura aut hebetius mouetur, aut solertius ad agendum: qua è commotione actiones ipsæ quoq; proueniunt eiusmodi, ut à corporea fermentationis natura haud ita multũ tamen discedant. Actametsi animæ sit officium imperare sensibus, perinde ut artificis est materiæ atque instrumentis, nihilominus artifex ipse sic materiæ, sic instrumentis imperat, ut illis utatur

tur etiam pro sua ipsorum qualitate ac temperatione. Neque enim faber statuarius scabroso è topho statuã sic fõrmabit, ut, quod poëta inquit, uiuos perinde ut de marmore uultus ducat. Tanta itaq; ac tam diuersa ingeniorum uarietas minime à parentibus ortum habet. Quotus enim in tanta multitudine, & ciuium copia inuenitur filius, qui paternum parte ab omni ingenium referat ac mores? Quin infinitus penè filiorum potius est numerus, qui diuersas artis, diuersa studia, diuersa etiã à paternis instituta consectentur, cũ sæpenumero totà illis (ut dici solet) fronte sint aduersi: quæres exemplorũ locupletatione minime indiget. Proficiscuntur igitur hæc omnia ab erraticarum natura configuratione, habitu, situ, radiorumq; inter se complicationibus atque mixturis: quæ quidem infinitæ cum sint, infinita quoque uarietate humores è quibus constamus, ut afficiantur, necesse est. Has aũt affectiones in actionibus etiam suis refert anima, quæ tametsi institutione atq; exercitatione plurimum adiuuatur & colitur, tamen, ut Horatius non minus probate quàm eleganter dicit,

Naturam expellis furca, tamen usq; recurret.

Quod in agris quoque usuuenit, ut quamuis agricolæ cultu, diligentiq; non minus quàm assidua opera multum sibi ad ubertatem frugum, ac probitatem comparant, ad naturam tamen statim redeant, ubi opera ipsa cultusq; defuerint. Nihil enim natura potentius, quando uis eius perpetua quidem est, cum habitum ipsum mutari sæpenumero aut externã ob uim, aut per electionem uideamus. Sed nos postquàm non ab re præfati hæc tecum Suardine sumus, ad ea quæ rerum cœlestium explicandarum ordo iam postulat, redeamus.

De Saturno & Ioue simul genituræ imperantibus. Cap. I.

QVoniam autem quas in animis affectiones ingenerent erraticæ singulæ, ubi solæ genituris præfuerint, abunde iam diximus, consentaneum uidetur, earundem quoque significationes, ubi binæ simul æquata etiam potestate genituris dominabuntur, ordine suo explicare: siquidem earum è commixtionibus quæ uidentur, diuersitates proueniunt morum atque ingeniorum. A Saturno igitur exordiemur, qui ubi cum Ioue simul dominatum obtinuerit, & uterque bene atque opportune collocatus suam cum autoritate dignitatem in figura retinuerit, natos ipsos ad probitatis ac modestiæ studium excitabit. Quapropter inerit in illorum animis summa ac singularis tum aduersum senes, natuq; maiores obseruantia, tum erga magistratus atq; institutores, eósque in quibus signa sapientiæ uirtutisq; apparuerint. Etenim Iouis, id est sanguinis ipsius tẽperatio Saturni frigus siccitatemq;

ita fouet, ac tanquam refocillat, ut in natorũ etiam animis eius opera idem temperamentum agendis refratur in rebus, utq; illorum ipsorũ instituta pro humorũ corporis moderatione sint etiã moderata. Sequẽtur itaq; probitatẽ, uerecundiam, modestiam: erũt in conuersationibus, familiariq; consuetudine suaues & grati, colent iustitiã & honestatem: seruabunt in iudicijs, in arbitratibus, in ferendis sententijs & iuxtũ & honestũ & leges, ab æquoq; & bono nequaquã recedent: in consilijs grauitatẽ retinebunt: in electionibus, delectibus, administrationibusq; mensurã ac rationem adhibebũt: amicos, domesticos, ac notos homines beneuolo prosequẽtur affectu: mansuetudinem, lenitatem, æquabilitatem ubiq; præse ferentes, atq; in distributionibus faciendis benignitatem ac rectitudinem: quodq; ait Virgilius, ut alio etiam loco testati sumus, cum de pascendis capellis præcipit, occultum eas in lacte saporem salis referre, ad nostram hanc institutionem transferentes, eiusmodi uisiones in hominibus excitatum iri dicimus, cuiusmodi in procreandis, atq; informandis illis fuerit corporum humorumq; fermentatio ac temperatura. Has aũt ipsas uisionum cõmotiones, quibus animi pòst afficiuntur, natura duce sequuntur etiam actiones, mores item, assiduaq; ab exercitatione habitus. Etenim liquandis herbis, succisq; expurgandis ubi ignis moderanter admotus fuerit, liquores ipsi moderationem quoque suam retinent: ubi uero admotus ignis uehementior fuerit, aut exuretur liquor, aut penitus exhalando euanescet, aut uitium omnino aliquod contrahet pro ignis ipsius intemperantia ac uitio. Hæc Saturni Iouisq; temperatura, atq;, ut ita dixerim, condimentum, quod Saturnus contemplationem atq; pensitationem habeat in sese, quod Iupiter moderationem ac mensuram, natos ipsos prudenteis, graueis, atq; considerados efficiet, ex illis enim prudentia constituitur: eosdem etiam reddet benefaciendi ac proficiẽdi alijs studiosos, quiq; in commune etiam bonũ consulant, atque arcendo iniuriam, tucantur oppressos: Quippe cum Iupiter natura beneficus sit, Saturnus oderit uiolentiam. Neque enim frigidi & sicci est uim inferre, cum è contrario sanguinis, id est humidi calidiq; proprium sit fouere corpus, ac tutari illud. Ex hac temperatione ac natura nati ipsi efficientur defensores iuxti atq; honesti, propulsabunt iniurias, arcebunt uiolentiam. Iidem erunt magni animi, quem Saturno Iupiter propter calefactionem subministrabit. Siquidem, ut supra de atra bile diximus, humor hic natus est oblatũ sibi calorẽ accipere, acceptumq; etiã fouere diutius, quod in lapidibus, qui in calcem excoquuntur, aperte cernitur. Erunt rei rusticæ studiosi, amabunt prædia & fundos. Siquidem Saturnus terræ præest, Iupiter affluentiã amat, & copiam: atq; in nostris corporibus nihil est sanguine ipso uberius, copia uero domesticæ rei ex

agris

agris ac fundis prouenit, fundiq; à fundendo dicti. Neq; philosophiæ illis bonarumq; institutionum ac legum studium defuerit, neq; tolerandis duoris patientia ac fortitudo: cum hæc ipsa animi fortitudo ab ipsius magnitudine proficiscatur, quam quidem magnitudinem, ut dictum est, Iupiter præbeat: terrestris autem uis, cui Saturnus præest, sit cum primis solida, ac ferendis oneribus potissimum accommodata. Cumq; Iupiter sit honesti defensor, tribuatq; iudicij rectitudinem, Saturnus contemplationem amet, rerumq; abditarum cognitionem, quinetiam cum morum grauitatem, & in agendo maturitatem sectetur, ab hac ipsa harum inter se duarum stellarum commixtione atque communitate etiam philosophiæ excitabuntur studia, cuius propria est rerum naturæ cognitio atq; scientia, uitæ item grauitas, rectaq; animorum informatio, ac sapiens illa & in docendo & in agendo institutio & ueritas. Hæc tamen omnia non modò imminuentur, uerum etiam in contrarium facile uertentur, si aut utrunq; sydus male collocatum in genitura fuerit, perinde ac propria dignitate amissa, aut ipsorum forte alterum abiectum prostratumq; ignobiliter iacuerit. Quod ubi euenerit (quoniam Saturni uis quæ in malum prona est, nihil habet quod malignitati obsistat suæ, quin eadem ipsa ob infelicem cœli situm atq; habitum magis magisq; ad malignitatem impellatur) eo in statu qui nascuntur, futuri sunt alieni ab amicitijs, atq; ab hominum beneuolentia & societate. Quid quod liberos ipsos, suamq; progeniem odio insectabuntur, uiuentq; in solitudine, qua mirifice capientur? ijdem erunt suspicaces, simulatores, ficti, suorumq; consiliorum celatores, sacrilegi, templorum ac sacrorum uiolatores, inertes, languidi, imbecilli, querueli, susurrones, sine delectu, sine iudicio, indiscrete confuseq; se suaq; administrantes, sine fide, sine fiducia, inepti, fatui, ignorantes, tamen ambitiosi ac patientes. Eosdem forte aut furor quandoq; agitabit ac uesania illa quæ Græco uerbo μανία est, aut inuidia odiumq; compellet ad miscenda uenena, mortesq; potionibus perpetrandas, fortasse etiã precio capti illas procurabunt. Videsigitur quid mixtura faciat, quid felix infelix'ue stellarum collocatio atq; positura? ut ab illa, de qua diximus beneficentia, animiq; magnitudine fiat permutatio ad uenenorum ministeria, mortesq; preciosas. Hæc autem ipsa uarietas tam diuersa morum ingeniorumq; (ut cœli res ad hominum artificia quæstusq; transferamus) maxime apparet in pictura, & ea quæ suo nomine tinctura dicitur: siquidẽ ex colorum ipsorum permixtione nũc pluscula, nunc minuscula, nunc pusilla, nunc mediocri, infinita penè colorum diuersitas oritur, quod in panni tum è lana, tum è serico, atq; in tabulis pictis uulgo cum summa etiam admiratione cognoscitur: cũ tamen colores ipsi qui simplices dicũtur, nequaquam multi sint, quinpotius pauci admodum, & quinq;, ut sic loquamur,

digitis comprehensi. Itaq; ab ipsa commixtione, proq; commixtionis temperatura cuncta hæc proficiscuntur, quod mathematicè est non secus ac medici, omni arte diligentiaq; perspicere. Cum etiam (ne ab ipsa pictura discedamus) in maximis quoq; pictoribus uideamus alios excellere in effigiandis senum simulacris, alios in adolescentum: hos in uariandis pratis ac syluis, illos in auiculis, aut feris animalibus exprimendis. Quod in Poëtis etiã usuuenit, ut quos natura ipsa forte extulit Heroo in carmine, deprimat in Iambico: quos in Elegiaco, eosdẽ Heroicis in numeris sordescere omnino faciat. Atq; hæc quidem neutiq; parentum seminio, cum maiores ipsorum neq; pictores fuerint, neq; Poëtæ, sed cœlo ipsi stellisq; tribuenda sunt, earumq; fermentationi ac mixturis.

De Saturno & Marte simul. Cap. II.

QVocirca his iam explicatis, ueniamus ad Saturni, Martisq; commixtiones, quorum stellæ intemperantes sunt, ac propterea maleficæ atq; infelices habitæ. Iulius autem Maternus de stellis his ubi coniunctæ simul partiliterq; in genituris fuerint, tradit alteram alterius aduersantem uim cohibere ac modificare, quod ignis etiam ipse frigido in loco accensus præstat, cum locum eum calore suo tepefaciat: qua è tepefactione locus ipse ita temperatur, ut neq; omnino frigeat, neq; penitus exæstuet, cum inter frigidum æstuosumq; medium quasi quoddam tepor teneat. Ignea enim atq; exæstuans illa Martis natura frigescentem atq; obtorpidam Saturni uim fouet, quo è fomento temperamentum tale enascitur, ut qui tunc in lucem ueniunt, nec ira rabieq; præcipites eant, neq; atram ob bilem obtorpescant, adeò ut nullam ad rem aggrediundam incaleant, quinpotius eiusmodi euadant, ut hinc Marte, id est rubra bile compellente, illinc Saturno, hoc est atra retrahente, incerti sint utram in partem declinent, hóc ne an illud consilium prius sequantur. Hæc autem Mars Saturno coniunctus eadem insigni particula præstat in genituris, in quibus quidem eædem stellæ autoritatem & prærogatiuam simul suam cum quadam quasi maiestate retinentes, natos ipsos faciunt laboriosos, multisq; erumnis comprimunt: quod utriusq; stellæ, cum maleficæ ambæ sint, propriũ est præstare. Siquidem hinc nimius feruor incitat, illinc frigus angit, alter nimio plus impellens, alterum cohibens atq; deterrens. Quo fit, ut non solum & laborent, & angantur, & soliciti admodum sint, uerum ut & aliquando supra quàm oportet audeant, & ijdem haud multo pòst metu uicti ab incepto turpiter desistant, sintq; ostentatores & glorioſi magis quàm fortes, atq; ad ferociam feritatemq; potius declinent, quod est bestiarum proprium, & illarum quidem quæ suo nomine feræ dicuntur. Itaque

que Græco nomine de audacia metuq; composito θρασύδειλοι uocantur. Iidem quod nequeant quiescere, nunc metu cogente, nunc caloris ipsius impulsu conciti turbas excitant, seditiones ac discordias serunt inter ciues, nihil quietum patiuntur, rixarum ac contentionũ cupidi, siquidem alia ratione nequaquam securos fore se arbitrantur, odiorum ubique ac iniuriarum memores, cum Saturnus parcere ob metum nesciat, Mars uero propter iram nequaquam patiatur inultum se abire, ac suapte natura subinde dolor recurset. Qua è re immites, immisericordes, implacabiles, inclementesq; redduntur, nedum ut sint austeri, ac perdifficiles. Arida enim & sicca male flectuntur, cum accedente calore, si quis reliquus succus inerat, exiccetur penitus atque inarescat. Et quoniam illinc metus, ut dictum est, hinc fiducia eosdem & reuocat, & compellit, neq; quod aggredi parant, uirtute se assecuturos confidunt, plerunq; insidijs ac fraude nituntur in dolum prorsus conuersi: nihilominus habendi cupiditate expugnati, quoniam utraq; stella perquàm cupida est, tyrannicos mores exercebũt, efficienturq; intolerabiles, odio, maleuolentiaq; ciues ipsos persequentes infestabunt, utpote ab omni iustitia, modestiaq; alieni, quæ uitia tyrannorũ sunt propria, quos hinc metus, dum sibi prætimẽt ad immania etiam impellit, omni prorsus pietate, humanitateq; exutos: hinc cupiditas urget, uim manusq; humanis ac diuinis ut inferant rebus, promiscuecq; undiq; rapiant, quam ob cupiditatem & obiectent se periculis, & militiam sequantur. Itaq; huiusmodi homines futuri sunt fallaces, subdoli, infestatores, seditiosi, deceptores, alios contemptui habentes, aliorum bona occupantes, terrifici, formidabiles, dum enim magnopere timent, id agunt, ut alijs formidinem incutiant, qua uia securiores se futuros arbitrantur, neque in hominum despectum uenturos, peruersis denique atq; corruptis erunt moribus, utq; de Catilina scribit Sallustius, ingenio malo, prauoq;, agiles tamen administrandisq; negocijs apti, quos etiam, ut quod ardenter concupiscunt, omnino consequantur, non pudeat & inter agendum, & inter loquendum de loco, iureq; ei cedere, à quo impetrare aliquid studeant, illiusq; indigeant opera, cum etiam assentatorum personas induant, nihilq; ipsorum sit uerbis blandius, aut uultu gestuq; summißius, tametsi contemptui alios habent, & præferri cæteris studeant. Qua è re iudicari etiam potest, quàm sint inanes ac uentosi. Illud quoque prætereundum non est, quod cum sint præcupidi, ex alia etiam parte sunt nonnihil incurioſi, quodq; aliunde corraserunt, per incuriã quoque labi aliquando aut patiantur, aut negligant. Quod si stellæ ipsæ importunæ, ignobiliterq; collocatæ fuerint, ut altera temperare alteram nequeat, neque retineri pensi quippiam possit, Marsq; bilem illam suam accenderit adeò, ut Saturnum quoque contactu suo calfecerit, secq; in frigidam,

atq; arentem illius naturam calore suo insinuauerit, quod fornacalibus in lapidibus cernitur, nascentium animos sic inficiet, ut futuri omnino quidem sint rapaces, grassatores, adulteri, malis plurimis expositi, & ipsi quidem malefici, turpibus atq; infamibus quæstibus dediti, improbi, contumeliatores, insidiatores, furaces, periuri, sicarij, paricidæ, comedones, uoraces, atq; ita in uentrem proni, ut ne illicitis quidem cibis abstineant: quinetiam ab omni pietate, humanæq; societatis affectione sic alieni, ut ueneno mortales petant, quorum etiam cadauera spolient, ac sepulchra uiolent, templa polluant, sacris manus inferant, incesti, sacrilegi, ac omni è parte contaminati. Quibus omnibus in bonũ, malúmue perpẽdendis, attendenda signa sunt, in quibus stellæ ipsæ genituræ tempore inueniuntur, qui sint signorum ipsorum domini, quo etiam intueantur aspectu, & quo in loco figuræ collocentur, an prærogatiuam suam libere, aut ex alterius præscripto exerceant: ut ex hac perpensione iudicari examußim de animorum propensionibus, deq; futuris nascentium uirtutibus queat, aut uitijs.

De Saturno & Venere. Cap. III.

SAturnus suam in genituris cum Venere potestatem commiscens, communicatis inuicem uiribus nonnihil de tristitia sua demit. Siquidem Saturnina ariditas Veneris liquore humectata redditur temperatior, de sterili etiam fœcunda, quæq; antea dura, & rigens erat, emollescit, lenitate quasi quadam superinducta. Arida enim mollescunt humore adhibito, ac lentescunt quæ dura sunt. Ex hac igitur Saturni, Veneris q; temperatione modificatis utriusq; humoribus, ut neq; Veneris mollities nimis diffluat, neq; Saturni durities, tristitiaq; obrigescat, his socijs beneq; collocatis qui nascuntur, futuri sunt bona suauiq; conuersatione, temperatis moribus, proba institutione, singulari uerecundia ac pudore, summa etiam reuerentia. Rem autem uxoriam fideliter, constanterq; seruabunt, ac nihilominus zelotypia, riualitatis q; affectu uehementer laborabunt. Cumq; abstinentes ipsi sint, indigne ferẽt, ubi perperàm, atq; indigne actum secũ uiderint. Itaq; & indignatione magis magis q; afficientur, & hac in parte ab insita modestia ad impatientiam declinabunt. Iidem multa taciturnitate præditi erunt, ut cogitare quàm loqui malint. Saturnus enim, quod atræ bilis proprium est, in hominibus ipsis cogitatiões fixiores, magisq; assiduas ingenerat, quæ è re taciturni efficiũtur. Etenim qui mentẽ uehementius exercent, linguã libentius cohibent. Loquacitas nanq; tum modestiæ, pudoriq; aduersatur, tum cogitationes impedit, mentemq; ab officio illo suo ad linguæ munus detorquet. Quoniam autem pudentis beneq; instituti est animi, pietatem colere, ijdem quoq; religiosi, Deorumq; cultores erunt, sacrificuli, mysteriorum, ac ceremoniarum scij, quiq;

quiq̃ libenter in templis uersentur, sacerdotia administrabunt, sacrorum arcana cognoscent, aut ipsi quoq; uaticinabuntur. Cum aũt religio metus quidam deorũ sit, is aũt metus in mulierculis maxime regnet, sitq; Veneris stella naturæ, qualitatisq; fœmineæ, naturaliter à stellis his religionis diuinarumq; opinionũ studiũ portenditur. Verũ de uaticinijs, uaticinantiũq; furore suo loco diffusius ac distinctius à nobis differetur. Has igitur animis hominũ applicationes Saturnus ac Venus indunt, ubi utriusq; in genituris stella opportune, excellenterq; collocata, cõmunicatis simul uiribus dominabitur. At ubi aut utraq; stella, aut ipsarũ altera ignobiliter oppressa iacuerit, quoniã temperantia illa, quæ de amborũ mutua cõmixtione prouenit, retineri nullo pacto potest, nati ipsi futuri sunt lasciui, petulantes, in libidinẽ ita proni, ut neq; sexui, neq; ætati parcãt, ac ne à belluis quidẽ abstineãt, honestatẽ, uerecundiã, pudorẽ in propatulo habeãt: quorũ etiã ipsorũ studiũ sit puellas nubiles, nuptasq; solicitare, solicitatas decipere, uitamq; in ganeis inter scorta & popinones agere. Omni tandẽ genere turpitudinis, obscœnitatis, seruiliũq; impuritatũ contaminabuntur, ac (ne qua uirtute redempti sint à uitijs, ut de Crispino Iuuenalis prædicat) sacra, profanaq; promiscua habebunt, humanitatẽ, pietatem, diuinum cultum contemnent, uenena miscebunt, falsis testamentis subscribent, omni deniq; flagitij genere inquinabuntur. Hæc autem ipsa flagitia maiora minoraq; futura sunt, magisq; aut minus nota pro stellarum ignobilitate, ac signi cuiusque natura, proq; aspectu benecuolo aut aduerso. Quoniam autem dum de stellarum harum communitate loquimur, de libidine quoque mentio facta est, non uidetur alienum, uini quoq; hac in parte similitudine uti, quod spiritus quidem plurimos gignere, uehementiusq; inflare uenas spuma ipsa, & dum miscetur in poculis, & dum humi diffunditur, docet: quo enim uinum potentius, hoc etiam spumosius est, spiritusq; uberiores creat: inflari autem uenas ab atra bile, uenarum ipsarum plenitudo, ac tumor in ijs hominibus qui melancholici dicuntur, aperte monstrat: siquidem illorum uenæ plenæ ac tumentes sunt, non tam præsanguinis copia, quàm spiritus easdem inflantis. Id quod in ijs non euenit, qui sanguine multo abundãt. Itaque ut uini calor libidinem excitat (neq; enim nisi ẽ re ipsa tam diuulgate dicitur, Venerẽ frigescere sine Baccho) eodẽ modo bilis atræ calor illam accendit, siquidem magnopere, uinum ut ipsum, inflat. Cieri autem concubitum ab inflatione iudicare inde potest, quod genitale membrum de frigore iacet, ubi uero calorem sentit de inflatione à calore suscitata, turgescit ac tenditur, flatusq; ipse per meatus à calore immissus semen impellit in coitu. Quocirca naturale est, qui homines atra bile, eaq; calida abundent, eos libidinosiores esse, propter multũ spiritum à

calore ſuſcitatum, ac per uenas impulſum. Pleraq; enim inflantia, ut terræ tubera, Venerem inuitant. Quod ſi Saturnus propter humorẽ hunc atræ bilis libidinem prouocat, Veneri quidẽ coniunctus, cuius ea appetitio propria eſt, tanto illam ardentius prouocabit, nec modum in ea retinere aliquem patietur, præſertim ubi naſcentium animos propter infelicem collocationem, in uitia, exuperantiamq; impellit. Eſſe aũt bilem atram huiuſmodi naturæ, ſimiorum genus aperte docet, cum animal illud & abundet plurimum hoc humore, & ob libidinem etiam ſæuiat, uertaturq; in rabiem. Eſſe item tam ſpirituoſam, quàm profecto eſt, palàm oſtendit puluis ille intra ænea tormẽta bombardas q; incenſus, qui huic humori maxime ſimilis eſt etiam colore, nedum ſiccitate. Is enim puluis, ut dictum eſt, incenſus tantos flatus progignit, ut ingentis magnitudinis ſaxeam, aut ferream pilam longum per aëris tractum eiaclet, & quo iactauit quæ habuit, obuiam cuncta proſternat ac diruat.

De Saturno & Mercurio. Cap. IIII.

IN hac ipſa noſtri corporis et animæ cõpage Mercurius eam ſibi partem uendicat, quæ rationalis dicitur, qua de re pòſt abunde ſuo loco diſſeretur. Cum igitur rationi Mercurius præſit, ac Saturnus propter naturam atræ bilis, quæ pertinax admodũ eſt, ac magnopere ſpirituoſa, libenter cõtempletur, perquiratq; rerum cauſas, quarum cognitionem multum cogitando, diutiusq; in illis perueſtigandis, atque intelligendis perſiſtendo conſequatur, quoties ambo ſimul excellenter opportuneq; collocati in genituris fuerint, ac uires ſimul ſuas contulerint, ſoliq; unà principatum tenuerint, erit natus ille in cuius genitura hoc contigerit, in ijs uel artibus uel negotijs in quibus uerſabitur, abunde diligens, atque in ijs adminiſtrandis ſingulari utetur ſedulitate & cura, ſciſcitabitur occulta, ſtudebitq; incumbens ad arcana penetrare, rerum ac naturæ cauſas inquiret, ciuiles conſtitutiones nõ ignorabit, hominum explorabit ſecreta: quo fiet, ut pro natura ſigni configurationisq;, ac pro genituræ menſura, uel ad medicinæ, rerumq; naturalium, uel iuris ciuilis, uel grammaticæ, literarumq; cognitionem, uel ad numerorum, aut rerum cœli peritiam ingenium ſuum applicet, uel ad hominum ſecreta intellegenda, conſiliaq; pernoſcenda, aut ad epiſtolas ſcriptitandas, aut ad mandata explicanda, quod munus oratorum eſt proprium, aut ad alienas res diſpenſandas, negotiaue adminiſtranda. In uniuerſum autem erunt eiuſmodi homines diligentes, ſagaces, ſeduli, ſciſcitatores, inueſtigatores, cauti, negotioſi, computatores, arithmetici, aſtrologi, herbularij, medici, iuriſperiti, grammatici, ſcribæ, ſacerdotes, ac myſtæ, quiq; in-

genij

genij uiribus, ac pertinaci opera quod sibi proposuerint, tandem consequantur. Forsan etiam euadent uiatores, cursores, nuntij. Erũt sanè acerbis atque asperis moribus propter humoris ipsius asperitudinem. Arida enim attactu ipso aspera sunt, ac propterea in conuersationibus non omnino tractabiles, aut satis iucundi & faciles. Contrà uero stellis ipsis male indigneq; se habentibus qui nascuntur, euadent tristes, atque ab omni iucunditate remoti, peruersi, dolosi, immites, seductores, insidiatores, fallaces, proditores, tortores, ac suppliciorum ministri, quiq; odio, maleuolentiaq; alios prosequantur, fures, noctiuagi, magici, uenefici, uenenorumq; ministri, falsarij, captatores, quiq; fraude, ueneno, illecebrosisq; captationibus, ac malis artibus cupiditati satisfaciant suæ. Etenim ut corrupto corpore à uitiosis humoribus, ac febribus laboranti, sensus quoque corrumpuntur, ac præcipue gustus, per quem potissimum alimur: sic corrupta rationis natura, hacq; animæ ipsius parte, necesse est, ut animæ quoque uirtutes corrumpantur, quibus corruptis, ea quæ diximus uitia, flagitiosæq; applicationes necesse est subsequantur. Quod enim corruptis corporum accidit humoribus, ut gustatus, & uis ea per quam appetimus, etiam quæ aliena sint à sanitate, cum primis appetat, idem in animæ quoq; actionibus usuuenit, qua à uisis corrupta, naturales illæ propensiones, relicta ratione ad improba dilabuntur ac flagitiosa.

De Ioue & Marte. Cap. V.

PEracta iam ea parte, quæ ad Saturni communicationẽ cum planetis singulis in hominũ genituris attinet, transeundum est ad Iouem, ad easq; animorũ applicationes explicandas, quas in genituris Iupiter futuras decernit, ubi cũ inferiorũ planetarũ aliquo singulatim dominatũ cõmunicauerit. Ac primum quidem de cõmunicatione eius cũ Marte, deinde ordine suo cũ Venere, Mercurioq; explicabimus. Quoties igitur Iupiter ac Mars soli in genituris cõmunicatis uiribus dominabuntur, eritq; uterq; magnifice atq; è sententia collocatus, qui tunc nascẽtur, procedente ætate gerẽt magistratus, præsidebũt administrationibus, adipiscentur honores, præficientur tribunalibus, uitæ, necisq; potestatẽ exercebũt, deq; litibus, causis, ac criminibus sententiam ferent. Horũ enim corpora cum sanguine atq; calore potissimũ foueãtur, sitq; ignis propriũ, propter leuitatẽ sursum ferri, atq; in altũ elabi, eorũ animi abunde calefacti ad eorũ quæ summa sunt appetitionẽ affectactionemq; accendentur. Rerum aũt humanarũ omnium uitæq; ciuilis summa penes honorem putatur consistere, atque in muneribus administrandis, cum inter ciuilia, quæq; πολιτικὰ dicuntur bona, primum honor lo-

cum obtineat. Ex hac igitur accensione animi extolluntur ipsi quidem, ab elatione autem suscitatur appetitus ad gerendos magistratus, ad præfecturas moderandas, quoq; animus ipse magis incenditur, maiorq; existit, eo etiam maior est, honorumq; maiorum appetitio, pro quibus adipiscendis nihil non parati sunt & agere & pati, ut sæpenumero relictis bonis artibus impellantur ad ea, quæ sine turpitudine fieri nequeant. Quoniam autem nimius calor, ac præsertim qui à Marte accenditur, consueuit incandescere: ignis uero ipse ubi uehemētius exagitatus est, in flammas euolat, eaq; inflammatio iram gignit atque excandescentiam: hinc nati ipsi futuri sunt iracundi, elati, insolentes, asperi, truculenti, quiq; alijs subijci nulla ratione patiantur, quippe cum in omni contentione cuadere superiores uelint. Propter animorum autem uehementiam, atque id quod quærunt ut assequantur, incauti, præcipitesq; in pericula sæpe incurrunt, nimio plus ad appetendum, atque audendum cupiditate inciti. Atque ut ijdem ipsi impigri admodum ac maxime acres sunt, administrandisq; negotijs apti, uehementerq; in agendo efficaces, propter caloris ubertatem, ac sanguinis copiam, sic etiam sunt magnopere contentiosi, rixisq; atque litigijs dediti, quibus etiam lætari uideantur. Vbi uero stellæ ipsæ deiectæ fuerint, earumq; status ignobilis, qui nascentur, facile in cōuicia, opprobriaq; prorumpent, eruntq; obstinatis animis, singulari peruicacia, summa petulantia, magna ingratitudine, fluxa fide, infirmis promissis, perdito luxu, immensa profusione, uarianti consilio, mutabili uoluntate, mira leuitate, corruptis moribus, inexorabili duritia, ingenti cupiditate: quos etiam iuuat discordiam serere, turbas excitare, seditionem mouere, rapto uiuere, uim rapinasq; exercere, uulnerare, cædere, iure atq; iniuria multum queri, criminaq; etiam immerenter impingere, quos forte & delirium aliquando occupet, & ipsi mente capiantur. Oppresso enim Ioue, id est sanguine, humidoq; exusto, ob intemperatum Martis ardorem, uehementioresq; rubræ bilis inflammationes, ratio retineri nullo pacto poterit, ex eoq; aut uesania, aut delirium nascatur oportet, aut eiusmodi eorum actiones futuræ sunt, quæ furorem præse ferant, ferinamue immanitatem, pro locis tamen proq; signis, partibus, atque aspectibus utriusque stellæ. In hac autem Iouis Martisq; communicatione, æquataq; inter eos uirium potestate, ubi Iouis moderatio, sanguinisq; temperies adeò corrupta fuerit, ut Martis retinere impetū nequeat, Martis uero effrenata uis, ac rufæ bilis ardor in immensum efferbuerit, illud usuuenit, quod in uino maxime dulci, ubi inacuit: fit enim acetum ipsum eousque acre, ut linguam exurat, ustiletq; palatum.

De Io-

De Ioue & Venere. Cap. VI.



Coniunctio ipsa Iouis ac Veneris in genituris ubi bene fortunata fuerit, facile indicat quid in ijsdem genituris utriusque stellæ habeant portendere, ubi potestatem æquato iure solæ sibi uendicauerint, quales etiam animorum applicationes futuræ sint, quæ item actiones, atq; affectus. Veteres igitur scriptores, & in ijs Iulius Maternus scriptor maxime probatus, ex harum coniunctione stellarum in genituris, ubi ea bene feliciterq; contigerit, decerni tradunt honores & quidem insignes, magnorum etiam uirorum familiaritatem atque amicitiam, mores quoq; probatissimos, fidem, religionem, integritatem, honestatem, nitorem, lautelam, cum illustribus mulieribus consuetudinem, ex eaq; domesticarum facultatum affluentiam, felix coniugium, prolis gratam susceptionem, cupiditatemq; ad res Veneris semper accensam, & penè insatiabilem. Quamobrem in hac communitate uiriu, ac potestatis inter se ubi Iupiter ac Venus soli, feliciterq; collocati præsidebunt in genituris, natos ipsos efficient pios, religiosos, beneficos, puros, simpliccis, innocēteis, mundos, iucūdos, bene institutos, uenustos, publici boni ac iuxti honestiq; cultores, eleganteis, gratos, modestos, pudenteis, dapinatores, ut Plautino utar uerbo, uoluptarios, amatorijsq; rebus deditos: quæ quidem applicationes à Iouis, sanguinisq; moderatione, atq; à Veneris quæ appetitionem mouet, natura proueniunt. Hæc autem ipsa commotio à Ioue temperata, nec à Veneris recedens natura, quæ tranquilla & modesta est, mores eiusmodi excusitat, ut nati erga deum futuri sint pij, erga hominnes benefici & iuxti, in ijs quæ ad utilitatem spectant, frugi, moderati, & continentes, in referenda gratia memores ac grati, in cogitationibus recti et simplices, in cultu atque ornatu mundi, nitidi, elegantes, quosq; in dictis factisq; multa uenustas gratiaq; subsequatur, nec tamen ipsi amatorijs in rebus recedent ab honestate. Itaq; & casti & pudentes erunt, neq; in ipsa uoluptate modestiæ pudorisq; obliuiscentur. Et quoniam à natura ipsa nō ad ea tantum quæ utilia sunt, uerum ad iucunda uehementer trahimur, præterquàm quod nati ipsi uoluptatibus erunt dediti, illis præsertim quæ è coitu capiuntur, ac dapibus, delectabuntur musica, cantibus, uersibus, spectaculis, mimis, ludis theatralibus, agonisticisq;, picturis, tabellis, statuis, margaritis, gemmis, unguentis, odoribus, illis etiam artibus quæ subministrandis uoluptatibus repertæ sunt, quæ quidem uoluptates uidendo, audiendo, odorandoq; & excitantur, & capiuntur. Quodq; corporea concretio natorum ipsorum de Iouis, Veneris q; humoribus temperanter fermentata est, uisq; illa uidendi, & repræsentandi, quæ phantasia dicitur, nihil nisi moderatiū, rationiq; consentiēs suggerit intellectui, bene utiq; ipsi sentiēt, atq; in bonis rectisq;

cogitationibus exercebuntur: qua de re & recti & probi & sapiẽtes erũt, quietisq; admodum ac tranquillis consilijs, & actionibus dediti, recta etiã honestaq; ubiq; sequentes, & in iudicando, & in consulendo, quos etiam cupiditas laudum gloriæq; propter Iouem nonnihil ad se trahet. In quibus tamen assequendis adipiscendisq; nõ recedẽt ab insita moderatione ac temperantia, neque à bonis artibus, quibus honor gloriaq; comparari debet. Ac mihi quidem ubi Iupiter Venusq; in unum simul conuenerint, uidetur fortasse non iniuria dictum, formam ipsam materiamq; ita simul coire, ut temperamento illi, quod recte in formandis hominibus conuenit, nihil omnino desit: Cum utraq; stella sua in qualitate moderata sit, & altera perinde ut Solis in generatione socia formæ studeat, altera ut Lunæ adiutrix materiam instruat, aptetq; informationi, ob idq; necesse sit, temperamentum animati corporis omnino consequi, ex eoq; temperamento actiones etiam homine ipso dignas, moresq; quam probatissimos. At ubi indigne, abiecteq; in hac potestatis cõmunicatione stellæ ipsæ se habuerint, erũt qui nascentur, in quibus diximus rebus maxime intemperati, ut luxu, delitijsq; eorum animi emolliti eneruatiq; effœminentur, in cœnas conuiuiaq;, resq; amatorias pecuniã effundant, pudicitiam uenalem habeant, uitã in ganeis atq; inter scorta turpissime agant, ac tanquam sues cœno libidinis uolutati infames habeantur, quippe qui artes etiam lenonias, quæstumq; meretricium sint exercitaturi, aut ubi minus infames fuerint, euadent histriones, pantomimi, citharœdi, chorearum magistri, quiq; ex his, similibusq; è quæstibus uitam ducant. Atq; hæc quidem omnia & in hac Iouis Venerisq; communicatione, & in cæteris omnibus ita miscenda & temperanda sunt, ut signorum, locorum, aspectuum, finium, altitudinũ, deiectionum ratio quam diligentissime habeatur.

De Ioue & Mercurio. Cap. VII.

IVpiter ac Mercurius æqualem in genituris potestatem nacti, soliq; simul imperantes, ac suam in configuratione dignitatẽ retinentes, natos præstant ingeniosos, quorum applicationes futuræ sint tũ ad ea quæ ciuiles ad mores pertinent, tũ ad illa quæ ad animos spectant, cognitione excolendos ac rerũ scientia. Itaq; pij erunt, religiosi, frugi, benefici, ciuiles, patrocinia, procurationesq; exercebunt, rem familiarẽ cumulabũt, pecunijs abundabunt, plebi accepti erunt, quibus è rebus honores dignitatesq; assequẽtur, eloquẽtiæ operã dabũt, atque in cõcionibus plurimũ ualebunt, magnãq; inde autoritatem sibi cõparabunt. Iidem animos excolent Grammaticæ, Geometriæ, Mathematicæ, Philosophiæ, Poëticæ, artiũq; bonarũ studijs, euadẽtq; docti et clari, quiq; suasio-

suasionibus, admonitionibus, cõsilijsq; suis & docendo & instituẽdo, aere cte prudenterq; cõsulendo plurimũ alijs cõferant. Ex hac enim Iouis Mercurijq; communicatione, &, ut ita dixerim, condominatu alterius leuitas, cui acumen etiam perquàm tenue inest, alterius grauitate ac pensõ tẽperatur. Cũ enim Martis, id est rubræ bilis sit propria celeritas, uehemẽtiorq; festinatio, Saturni uero ac bilis atræ tarditas, quædamq; quasi oscitatio, solius quidem Iouis, hoc est sanguinis moderatio est, motusq; maturus ac pensitatus. Quocirca Mercurij uelox atq; acuta uis Iouis pensitatione, fremo quasi quodam retenta ita perficitur, & tanquam conditur, ut huiusmodi hominum ingenia futura sint non solum acuta & prompta, uerum matura & recta, sententiæ graues, consilia fidelia, facundia grata, atque autoritatis plena, doctrina exquisita, iucunda cõsuetudo atq; familiaritas, mores planè ciuiles, res familiaris opulenta. Cum enim Iouis stella felix sit, & honorum ac diuitiarum ministra, diuitiæ, honores, dignitates per artes operasq; Mercuriales illis conferentur cũ autoritate & gloria. Quod si stellæ ipsæ ignobiliter abiectęq; iacuerint in hac ipsa uirium inter se communicatione, natorum applicationes longe differunt ab eisdem, quas diximus. Siquidem ipsi futuri sunt, pro qualitate abiectionis ignobilitatisq; stellarum ipsarum, bardi, stulti, insipientes, stupidi, nebulones, nonnunquam autem nugatores, mordaces, irrisores, sapientiæ simulatores ac uirtutis, multa sibi arrogantes, fallaces, circulatores, quiq; in triuijs multarum rerum peritiam profiteantur, sæpe etiam profitebuntur in scholis, aliquando tanquam numine afflati futura prædicent, lymphatiq; diuino, ut creditum est, furore agitabuntur. Atque hæc quidem uarietas ab habitu manat naturaq; atræ bilis. Etenim ut uinum, quod supra iam diximus, suapte natura peridoneum est ad prouocationem libidinis, risus, lacrymarum, itemq; ad mouendam lætitiam, tristitiam, ad inducendam taciturnitatem, uerbositatem, metum, fiduciam, aliasq; atque alias affectiones: sic atra bilis animos hominum ad alias atque alias maxime diuersas res, studiaq; ad diuersa applicat, & propensos facit. Quanquam autem hæc ipsa bilis naturaliter frigida est, ita tamen est frigida, ut calorem etiam concipiat, atq; aliâs quidem modicum, aliâs uero plusculum, nonnunquam ut maximum quoq; in modum incalescat.

De Bili. Cap. VIII.



Bea igitur, ubi frigescit, metus gignitur, & animi consternatio: quo fit, ut eiusmodi humore qui plurimũ abũdãt, sint meticulosi, suspiciosi, stupidi, à spe ipsa sæpenumero destituti, ut ob desperationem uitam finiant aut laqueo, aut gladio, aut

alio uoluntariæ mortis genere. Contrà ubi concaluit, spem ac fiduciam gignit, quoq; calor ipse maior est, tanto etiam maior excrescit fiducia, à qua excitatus animus uehementior efficitur ad ea comparanda, quorum studio trahitur, moueturq; cupiditate. Vt enim uinum ipsum, eiusq; concalefactio & spumas agit, & spiritus excitat, sic atra bilis ubi concaluit, spiritus etiã gignit, excitatq; animum tanquam adhibitis stimulis, nec conquiescere illũ patitur, eaq; inquies atq; commotio propter continuationem (inhæsit enim calor in arido ac solido) id præstabit ac efficiet tandem, ut perueniat quò sibi iam proposuerat. Quam ob causam qui præclara in re excelluerint alia, siue Philosophi, siue Poëtæ, siue rerum publicarum administratores, ne de humilioribus loquar artibus, pictura, sculptura, musica, architectura, eos melancholicos fuisse compertum est. Quid plura? Hercules huiusmodi fuisse, Cæsarq; perhibentur, quod morbus indicare comitialis potest. Nec qui Alexandri res gestas moresq; examinate considerauerit, non illũ melancholicum fuisse uel asseuerauerit. Quod & à Seneca dictum est, atq; in prouerbij loco habitum, nullum magnum ingenium absq; dementiæ specie: cuius rei bilis atra causa est, quæ ubi efferbuit, non nisi uehementior esse atq; excandescentior potest: quod in aqua potissimum cernitur, quæ natura cum sit frigidissima, tamen feruefacta non solum carnes excoquit, uerum etiam excdit, uellitq; ab ossibus. Atq; ut aqua & tepefit, & calefit, atq; etiã efferuescit, subiectis ignibus, proq; ignium qualitate ac continuatione plus minúsue à calore afficitur, sic atra etiam bilis perinde ut affecta ipsa fuerit, hominum mouet afficitq; ingenia. Quo fit, uti melancholicorum hominum genera sint admodum diuersa, & in multis etiam artibus multa. Ciceronẽ quoq;, qui irridere uidetur uelle quod iam diximus, autore Aristotele, ac medicorum optimo quoq;, uel cum primis atra bile affectum ac percitum fuisse inueniet, si quis mores eius, eloquentiæ ac philosophiæ studia, honorũ tantam illam appetitionem, ac primi in republica loci affectationem, tot ac tantas obinde susceptas contentiones, omnem denique uitam eius probe exacteq; examinauerit. Huic autem atræ bili licet Saturnus ob frigus atq; ariditatem præsit, tamen qua humor ipsa concalescit, qua exercendæ atq; inquirendæ rationi ingenia præparat atq; exacuit, qua etiam spiritus suggerit, qui animum conquiescere nullo modo patiantur, dum eò perueniat quò uis illa compellit, nimirum Mercurio subijcitur, cuius stellam retorridam esse diximus. Quæ enim torrida sunt, diutius ignem fouent, qui in arido ac solido, quæ natura terrestris est, potissimum alitur. Quocirca fotus à Ioue Mercurius, atraq; illa bilis à Iouis igne calefacta, atq; ab eius humectatione temperata, neue exuratur penitus de calore continuo, humido quidem ipso materiam suggerente, magnorum autor est ingeniorum, magnasq; in

animis

animis hominum commotiones, spiritusq; excusitat. Quapropter præclari ac maxime noti euadent, siue arma sequantur, siue literas, siue alias ad actiones animos suos applicent, in quorum genituris Iupiter ac Mercurius bene feliciterq; collocati, suamq; cum dignitate autoritatem retinentes, prærogatiuas suas, suam etiã potestatem unà cõmunicauerint, æquataq; inter se iurisditione ius suum exercuerint. Quocirca nec immerito Iouis filius à poëtis Mercurius est dictus.

De Marte & Venere. Cap. IX.

MArs & Venus quoties soli sibi in geniturarum cõfiguratiõnibus dominatum arripuerint, suamq; cum dignitate autoritatem retinuerint, quoniam Veneris humecta uis Martis feruorem mitigat, Martis uero uirilis ille calor fœmineam Veneris naturam fouet, ac fouendo calfacit, ut non inepte poëtæ finxerint Vulcanum Veneris maritum, natorum animos sic afficiunt, affectosq; ita moderantur, ut futuri illi sint læti, hilares, iucundi, beneuoli, simplices, grati, concinni, ludis ac spectaculis dediti adeò, ut ipsi etiam mimos agant, in uoluptatem, atq; in res Veneris proni ac procliues, ne à maribus quidem tẽperaturi, sumptusq; his in rebus plurimos facturi, obtrectationis quoq; morbo, & ea quæ Græce ἡλοτυπία est, laborabunt, Veneris etiam beneficio concupita facile consequentur. Itaq; hæc ipsa inter Martem ac Venerem dominatus in genituris communicatio tale temperamentũ affert nascentium concretioni, ut cõmotiones ipsæ sensuum ac naturæ nihil nisi iucundum ac uoluptariũ animis repræsentent. Quæ è repræsentatione assidua & grata, quod dictum est, efficitur. At ex ignobilitate, ac male affecta configuratione, nati ipsi præter modum ac mensurã à libidine rapientur, nullus ab eis honesti respectus habebitur, nihil illis sanctum erit, quippe quorũ etiam oculi procaces futuri sunt, gestus lasciui ac petulantes, uerba illecebrosa, & lenocinij plena, ac molliendis corrumpendisq; mulierũ animis nata. Siquidẽ nuptas, uirgines, matronas omni arte solicitabunt, nec conuicijs, contentionibus ue, aut rixis parcent, facile etiam ob innatam libidinem periurabunt. Fas & iura promiscua habebunt: plurima etiam per temeritatem patrabunt. Nec uero à natura rationeq; alienũ fuerit, ut post tantam, tamq; continuatam intemperantiam comitiali infestentur morbo, aut mente etiã capiantur. Martis igitur Veneris q; ignobilitas, infelixq; configuratio, ubi soli simul genituris dominabuntur, compagem corporis atq; animæ sic inficiunt, ut sensus quoq; animũq; inde ipsum labefactent: quæ è labefactione actiones quoq; corruptæ intemperantesq; proficiscentur, mores item peruersi, neq; corporis habitus satis bonus.

De Marte cum Mercurio. Cap. X.



Martis ac Mercurij commixtiones ingenium ut facile acuunt, sic difficile admodum est animum ut temperent, cum uterq; propter naturam humoris cui præest, sit concitatus ac subitaneus, Marsq; naturaliter uiolētus, Mercurius aūt inconstans & uarius. Rufa enim bilis ubi incēsa est atq; incanduit, nihil nisi iracundiū, immoderatumq; repræsentare animo potest: eaq; ubi atrā excīuit, deq; feruore etiam suo illā calefecit, mutuo se uterq; humor mirandum in modū & fouet, & uires inuicem sumministrat: quo fit, ut cōmotiones illæ quæ ab utraq; proficiscuntur stella, utriusq; naturam in animis hominum atq; in actionibus eorum referant. Itaq; ubi ambo, soliq; in genituris dominabuntur, suamq; autoritatem cum dignitate retinebunt, erunt qui nascuntur, acuti, ingenioſi, impigri, uersatiles, agiles, efficaces, astuti, captioſi, subdoli, circūuentores, tergiuersatores, fraudulenti, simulatores, insidioſi, quiq; ad ea quæ uolunt, facile, summaq; cum dexteritate se accommodent, consequanturq; concupita. Iidem erunt etiam loquaces, nec satis sibi constantes, malis etiam artibus imbuti, ac formidabiles, curioſi, alienorumq; consiliorum ac uoluntatum exploratores, quiq; alios inter se artibus suis committant, atque hac ratione in simultates & contentiones impellant: atque ut ijdem ipsi in hoſtem acres atque uehementes sunt, sic de amicis optime mereri studeant, quos sibi ipsis similes eligunt: magistratus gerent, in quibus armati præerunt, forsitan & ipsi in militiam proficiscentur. Tales denique futuri sunt, qui negotijs, laboribusq; magnopere delectentur. Malus uero habitus stellarum ipsarum, ignobilitasq; collocationis in genituris, atq; in hac ipsa potestatis communicatione, ijsdem applicationibus, humorumq; commotionibus acceßionem uehementer grauem ac noxiam facient: qua ex acceßione id efficitur, ut nati ipsi futuri sint peruersis moribus, præcipiti consilio, mente elata, audacia uel summa & temeraria, nulla religione, aut in Deum reuerentia, manibus cōtaminatis, lingua petulanti ac profana, fide incerta, inconstantiq; proposito, ut quod proposuerint, facile mutent, quinetiam incœpti conuentiq; pœniteat, nec stare pactis uelint, factumq; infectum cupiant uerbis blandis ac fallacibus. Horum quoq; peculiaria sunt mēdacia, furta, periuria, latrocinia, grassationes, seditioſæ factiones, paricidiorum patrationes, falsæ obsignationes, ueneno-rum ministrationes, magicæ incantationes, ærarij cōpilationes, sepulchrorum uiolationes, pecuniarum profusiones, criminum impositiones, templorum spoliationes, nocturnaq; incendia, atq; eiusmodi generis scelera plurima. Quam ob rem Martis Mercurijq; mixturæ temperari uix poterūt, ubi soli sibi imperium assumpserint. Etenim rufa bilis cum è sanguinis inflam-

inflammatione, deq; illius excessu ingeneretur, ubi diutius feruescendo exilijt, indeq; paulatim subsedit, moxq; in cineres deferuescendo abijt, tandem in atram iam bilem refrigescendo transit: ut quemadmodum rufa ipsa è sanguinis inflammatione gignitur, pari etiam modo atra de rufæ excessu exuperantiaq; gignatur, uidelicet post rufæ ipsius concrematã incandescentiam, cum quò ulterius procedat non habet, extinctis iam fomentis. Quo fit, ut ex horum humorum commotionibus actiones nisi intemperantes ac peruersæ proficisci nullo pacto queant.

De Venere cum Mercurio. Cap. XI.

VEneris ac Mercurij socia potestas in genituris ubi utriusque stella feliciter se habuerit, corporis concretionem sic afficit, ac temperat, ut de ingenio ac nati moribus parentes quæcunq; ad ingenij excellentiã, morumq; temperantiã spectẽt, iure sibi promittãt. Etenim Mercurialis illa bilis, de qua suprà iam diximus, Veneris humore non aliter temperatur, quàm ubi terra hortensis, tenuis ac suauis pluuiæ irrigatione madescit, qua è madefactione accedente pòst moderata Solis irradiatione germinat, suasq; herbas fundit, multa cum uenustate & copia. Neque enim aptiorem afferre similitudinem hoc in loco iudicio nostro possumus. Siquidem humor ille retorridus hoc ipso genitali Veneris atque admodum feraci humore large fotus, in natorum ingenijs ea præstabit, quæ in hortis bene cultis, ac pulla terra lenior præstiterit pluuia. Cum enim Mercurius rationi præsit, Venus appetitioni, hæc quidem ipsa ad rationis perscrutandæ studium, nati appetitum assidue excitat, & in appetendo, & in perscrutando uoluptatem, quæ Veneris est propria, quasi rorem quendam diffundit, qui perscrutationis laborem non modo leuet, uerumetiam suauitate ad illum sua inuitet ac trahat, ac primum quidem ad excolendum ingenium, sequendasq; arteis ingenio dignas, illius cogitationes spiritusq; excusitat. De qua quidem excusitatione continua & grata, & quidem naturali, animi ipsius æpplicatio, ingenitaq; propensio ad illud assidue recursat, ac uolens eò fertur, quod natura ipsa quidem tanta cum uoluptate sequendũ proposuit. Dignæ aũt ingenio artes perhibentur, quæ in illis quidem uersantur quæ animi dicuntur bona. Præcipuum autem ac maxime gratum iucundumq; animi bonum est scientia, rerumq; cognitio, in qua mens ipsa, mentisq; peruestigatrix illa cuagatio cõquiescit. Quocirca qui eiusmodi erũt ingenio, Veneris ac Mercurij dono præditi, ij futuri sunt naturæ ipsius penè artifices, rerũq; naturæ magistri, philosophi, poëtæ, quiq; sciẽtes ac intellegentes dicũtur, optimeq; instituti sunt: quorum animi affecti atq; etiam ornati erunt pietate,

manſuetudine, lenitate, hilaritate, comitate, urbanitate, in amicos beneuolentia, in deos reuerentia, in miſeros miſericordia, in omnis bonos charitate: quibus profecto efficitur, ut ament honeſta, probent æqua, ſequantur legitima, rem familiarem frugaliter tueantur, ſtudeant prodeſſe quamplurimis, reprehendant ac deteſtentur facinoroſa & impia. Eorũdem etiam iudicia erunt iuxta, præceptiones æquabiles, ſermo ſuauis & gratus, cogitationes quæ nihil niſi bonum atq; honeſtum reſpectent, mens etiam in rerum cognitione ac ſcientia ſemper occupata. Ipſi autem propter ingenij bonitatem, atq; aſsiduam mentis operam, cogitando, perſcrutando, commentando, quarum rerum ſtudijs capientur, à ſemetipſis eas diſcent, ac cito etiam diſcent. Illorum aũt quæ manu exercentur, artifices erunt nõ minus lepidi, quàm ingenioſi & probi, nec minus in ijs quoq;, quæ ad machinas atq; architecturã pertinẽt: in cunctis demũ artificijs ſiue manu fiant, ſiue ingenio elaborentur, ſolertes erunt ac ſeduli, & opera eorum affabre facta. Quodq;, ut diximus, Veneris lætitia afflati ſunt, erũt blãdi, delicioſi, elegantes, ornatus ac munditiarum ſtudioſi: nec cantus ſuauitas, & ea quæ muſica dicitur, minus quàm uerborum gratia, ac ſermonis facilitas futura eſt eorum comes. Quibus è rebus omnibus, atq; à morum ſuauitate amabiles reddentur, eruntq; populariter dilecti. Vtinam autem aut in re amatoria, ac præſertim uxoria, non ſint obtrectatorum ſuſpitione laboraturi ac riualitate, quam nos uulgus ſecuti in Obedientiæ libris Geloſiam uocauimus, aut puerorum amoribus turpißime dediti, ſeq; morumq; nobilitatẽ tantam hoc infamiæ genere laſciuientes fœdent. Animi autem dotes tam egregias, donaq; cœli tã rara ſubuertet, aut magna ſaltem è parte corrumpet ſtellarum ipſarum ignobilis infelixq; collocatio in genituris. Nam pro linguæ ſermonisq; ſuauitate utentur maledicentia, dicacitate, obſcœnitate: pro ingenij acumine, intellectusq; agilitate artes manuum & quidem ſordidas exercebunt: criminabuntur innocentes, decipient quos fimiliaritate uideri uolunt fuiſſe complexi. fallent in commercijs ac promißis, periurabunt libenter, exultabunt dolis atq; inſidijs, calumnias ſtruent, mares fœminasq; ob libidinis impotentiam uitiabunt, cum alijs aliter loquentur, ſeq; nunc cum his ſentire, nunc ab eiſdem diſſentire una eademq; in re oſtendent: homines deniq; incompoſiti, contaminati, incommodi, maledici, male ſentientes, peruerſe cogitantes, obtrectatores, infamatores, corrupti: & ob hæc atq; huiuſmodi uitia iudicum ſententijs expoſiti condemnabuntur, meritasq; aliquando pœnas dabunt.

Libri ſexti de rebus cœleſtibus finis.

IOAN

IOAN. IOVIANI PONTANI AD PETRVM BEMBVM, De rebus cœlestibus Lib. Septimus.

PROOEMIVM.

POETAE qui primi de natura rerum per confabulationes quasi quasdam scripsere Petre Bembe, tradunt Geryonem quendam regnantem ad Hispanicũ Oceanum treis animas, tria etiam corpora habuisse, hisq; tribus fuisse usum. Nimirum triplex corporis genus, triplex etiam animæ mirificis his è dictis innuere uoluerunt. Siquidem genus unum est corporis arborum herbarumq; proprium, idq; à uegetatione, solaq; corporis ipsius alimonia atq; enutritione uegetabile dictum est, animæq; huius aliud officium est nullum præterquàm educatio ipsa sola, soli etiam inhærct corpori, neq; extra quicquam se mouet, nisi quantũ succos ipsos è quibus uegetatur ad sese trahit, ac trahendo corpori insinuat, in proceritatemq; cõuertit. Secundum corporis atq; animæ genus est, quod à sentiendo nomen duxit, nam & corpus ipsum mouetur per loca, & uictum hic atq; illic quæritando alitur: & anima ipsa uidendo, audiendo, olfaciendo, gustando sic afficitur, ut corpus ipsum moueat, impellatq; ad ea exterius quærenda quæ profutura sentiat, contraq; ad ea fugienda quæ uideãtur nocitura. Neq; enim sine motu esse sensus ipsius opera potest ulla, aut motus aliquis per loca corporeus ac suus absq; sensu. Hæc ipsa anima uiribus his suis usa, per uisum, per auditum, per olfactum extra corpus ipsum penè egressa, ea quæ extrinsecus posita sunt, uidetur sentire, atq; ita quidem sentire, ut etiam dijudicet quid ex illis profuturum, aut offuturum naturæ sit suæ, indeq; sentiens anima uocitata. Atq; hæc quidem corporis atq; animæ duo genera naturaliter seruilia sunt, tertioq; illi generi, quod rationale genus est animæ, obediunt. Hoc autem ipsum rationalis animæ genus, quantum à uegetante, atq; à sentiente recedit anima, tantum superiori illi naturæ, aut potius, ut nunc loquũtur, essentiæ quæ diuina dicitur, sese adiungit, atq; inhæresc it. Quocirca aliud quoddam corpus huic rationalis animæ generi attribuitur, tum figura, tũ temperatione diuersum: ut si & uegetetur, & sentientibus utatur uiribus, ueluti ea corpora, quæ tum uegetabilia, tum sensibilia dicta sunt, tamen alio quodam modo, & figuratione, & membrorum dispositione, & humorum præcipue temperatione affectum est. Tertium tamẽ illi nomen nullum inest, nisi quod est genus corporis aptum natum rationali animæ subseruire.

Atq;,ut Aristoteles tradit, in ipsa anima ineſſe parteis alias rationi obtemperantes,alias quæ nullo modo rationi uelint subijci: sic mihi partienda uidetur sensibilis corporis ſpecies, ut alia quidem ſit quæ nobis cum belluis ſit communis,alia quæ tantũ ſit noſtra,id eſt hominis ſolius propria. Quã ob rem non inepte à Poëtis traditum eſt, Geryonem triplici anima,triplici etiam corpore fuiſſe præditum. Quoniam autem rationalis animæ imperium eſt proprium,uegetantis autem ac ſentientis ſeruitium, ut Salluſtiano utar uerbo:ita quidẽ ſentiens uis ſubſeruit ratione utenti,ut eius tanquã miniſtra atq; exploratrix exquirat, præparet, repræſentetq; illi omnia quæ uiderit, audiuerit, olfecerit, guſtauerit,quóque etiam modo tetigerit. Quibus repræſentatis,& tanquam oculis eius,id eſt intellegenti ui expoſitis,ſic omnia conſiderat,atq; perpendit, eadem illa tanquam in trutina expendendo ſecernat,ſecernẽdo ſingillatim inſpiciat,demum iudicet,ſicq; inſpiciendo ac iudicando in illa illabatur & penetret, ut poſtmodum eorum omniũ rationem & cauſas appoſitiſſime reddat: à qua effectione quoniam hac in parte præſtat atq; excellit,rationalis cognominata eſt anima:ab hac autem ipſa anima hominum proficiſcuntur actiones,quarum aliæ membrorum corporis miniſterio aut ſolum,aut maxime indigent, aliæ aut parum, aut fortaſſe nihil præterquàm quod anima ſenſuum ſumminiſtratione,operaq; illorum utitur. Nam & cogitando, & perſcrutando, & diſtinguendo,& diſcutiendo,& multa ſimul ſeparatim'ue cõtemplando,ſenſus quoque fatigantur. Inſunt etiam animæ huic tres ſiue potentiæ, ſiue uires, ſiue affectiones:ſunt qui uirtutes uocauerint. Nam & M. Vitruuius arborum uirtutes atq; herbarum uocat. Nec M. Cicero hoc ipſum non etiam innuere uidetur,cum ait: Nam nec arboris nec equi uirtus quæ dicitur. Eas autem tum ab ira,quæ de ſanguinis accenſione gignitur,iraſcibilem,tum à cupiditate utilis ac iucundi concupiſcibilem nunc uocant. De rationali uero cur ita nominetur, iam diximus. Quocirca cum erraticæ ſtellæ humoribus, è quibus homo conſtat, præſint, hiq; ab illis moueantur, motus autem uiſiones excuſcitent,hæq; animam afficiant,anima uero uiſionibus ipſis excita eò tandem propendeat,atq; applicet, quò aßiduo quaſi quodam uento agitata impellitur: hinc efficitur, ut nos ipſi eas artis actionesq; ſequamur, ad quas natura ab ipſa impellimur, & quodãmodo inſtituti ſumus. Neq; enim niſi impulſus quaſi quidã,perinde ut uẽtorũ eſt,aßidua illa uiſionum recurſatio. Atq; eo quidem maior eſt & uehementior, quod uentus exterior quidam impulſus eſt,uisq; aliunde aduenienſ:at uiſionum impulſio interna eſt ac potius natiua. His autem partibus, hoc eſt iraſcibili, concupiſcibili,rationali,tanquam earum motores,ac rectores quaſi quidã præſunt Mars, Venus,ac Mercurius. Cur autem præſint, etſi ratio ſatis per ſe manifeſ-

manifesta est, nihilominus in hac etiam parte differendum esse aliquid duximus. Iræ motus, hoc est calefacti sanguinis excitatio animam mouet, motus autem hic ipse maior ac minor futurus est, pro excitationis ipsius mensura. Commotio autem hæc animæ hominem ipsum ad agendum impellit. Actiones uero eiusmodi futuræ sunt, cuiusmodi calefactio illa sanguinis fuerit: ea uero Martis qualitatem sequetur, qui Solis astro hac in parte assistit, & tanquam administer informatori adest, generationis q; autori. Qualem igitur temperaturã inflammato sanguini, ac rufæ bili, quæ inde, ut Physicis placet, prouenit, Mars in genituris adhibuerit, talem temperaturã inflammatio ipsa in mouendo animo retinebit. Mars igitur & excitator cõmotionum earũ, & temperator iure dicitur: iure etiam irascibilis pars moderationi eius imperioq; subijcitur. Quoniã autẽ artes ipsæ quas homines sequuntur, actiones quædam sunt, & continuatæ quidem actiones, ac propterea quodammodo naturales, secundum enim naturaleis cuiusq; proclinationes artes ipsæ existũt, hæ quoq; suas ad stellas referẽdæ sunt. Artes igitur, siue ingenuæ, atq; ab animi generositate profectæ, siue quæstuosæ, quæq; manu exercẽtur, quæ à sanguinis inflãmatione, deq; rufæ bilis humore portenduntur in genituris, quoniam à Marte ipso portenduntur, ab ipso etiã Marte quærendæ sunt. Pro eius enim collocatione, altitudine, deiectione, dignitate, ignobilitate, aliarumq; erga illum stellarum aspectu artes ipsæ futuræ sunt in hoc ipso artium genere nobiles aut ignobiles, utiles aut inutiles, felices aut infelices, celebres aut infames. Itaq; & irascibili parti Mars præest, eiusq; moderator ac rector est: & artes similiter, quæ à bile rufa, sanguineq; inflammato portenduntur, ad Martem quoq; ut earum suscitatorem referendæ sunt, atq; ab eius statu quærendæ in genituris ac pronuntiandæ. Appetitioni autem, eiq; animæ parti quæ concupiscibilis uocatur à Philosophis nostri temporis, Veneris stella præsidet: ea in aptanda, sugerendaq; ad generationem materia, Lunæ, ut diximus, socia est atq; adiutrix. Cuius quidem materiæ ut proprium est formã appetere, sic etiam suæ ac propria utriusq; est conseruandi sui appetitio, postquã in unũ coiuere, quæ è coitione constitutũ est animal, quod quia sentit, ut appetat quoq; necesse est. Quibus enim sentiendi uis inest, & ijs pariter appetendi uis est indita. Conseruatur autem formæ ipsius, materiæq; connexio atq; societas, ut eorum adeptione quæ utilia & iucunda futura sunt, sic inutilium ac tristium euitatione & fuga. Versatur igitur concupiscibilis atq; appetens animæ uis in appetendis illis quæ utilia & iucunda existimantur. Qualis autem quãtaq; appetẽdi uis hæc futura sit in anima nati, à Venere in illius genitura portẽditur, pro sua ipsius collocatione & statu, codẽ etiã modo quã sit artẽ secuturus, eã nanq; sequetur quã uisiones ac titillationes ipsæ à Ve

nere excitatæ animo ac menti repræsentauerint. Quod autem de artibus dicimus, de actionibus quoq; dicimus, quæ futuræ quidem sunt pro eiusdem stellæ collocatione, & statu, genituræ tempore. Vis autem rationalis nullo in corporis humore, nulla in eius parte collocatur, eam tamen uim sensus qui corporei quidem sunt, adiuuant, fouent, & tanquam itineris duces uiam quasi quandam ad exquirendam, assequendamq; rationem demonstrant atq; aperiũt. Huic animæ parti ac uirtuti eius, ut etiam in cõmentationũ libris ostendimus, Mercurius præsidet, atq; ita quidẽ præsidet, ut Soli hac in parte subseruiat ad perficiendum hominem, quod rationale animal de ratione ipsa uocatum est: idq; ut perfici atq; absolui à Sole posset, quatuor primum humoribus opus fuit, sumministrante materiam Luna, tanquam generationis socia. Itaq; uice aëris sanguinem sibi à Ioue Sol mutuatus est, qui calore quidem Soli, humido autem Lunæ opitularetur: loco terræ bilem atram à Saturno, qui frigiditate sua Lunæ adesset, siccitate uero ei, siccitas enim caloris est familiarißima: pro igne autem bilem rubram à Marte, qui calore ac siccitate sua suffragaretur, quemadmodum Venus frigido atq; humecto Lunæ. His igitur elementis, atq; humoribus, his etiam auxiliatoribus in fingẽdo humano corpore usus est Sol, & quidẽ appositißime. Primum enim quod generatio futura esset è cõtrarijs, Sol se pro uiro ac mare gessit, usus Luna pro coniuge ac muliere. Itaq; hinc forma ex parte Solis, illinc materia ex parte Lunæ simul conuenere. Quoniã autem duo aduersantia atq; omnino contraria conuenire in unum nequeant, nisi medijs adhibitis, quæ contrarietatem atq; repugnantiam utrinq; temperent, nec forma ipsa impingi nisi per calorem in humidam posset materiam, cui tamen frigiditas ei insita repugnaret, media adhibita sunt, quæ inuicem secq; omniaq; simul mixta moderarentur: siccitas, quæ tum calori, tum frigori familiaris esset, hæ enim qualitates agentes sunt: & feruor Martius, qui calori adesset Solari, ne ab humido extingueretur: tum etiam Saturninũ frigus, quod humidum à calore atq; exarescẽtia tueretur, præsertim quod animal hoc mortale futurum esset. Calori Solari, qui genitalis esset, adiectus est feruor Martis urens ac corrumpens: Lunari autem frigori adiecta est Saturnina frigiditas, quæ ueneni uim quandam in corrumpendo retineret. Nullis igitur in humoribus corporis sita est ratio, nullis in membris: non Ioui addicta, qui dominatur sanguini, à quo corpori alimentum sufficitur: non Marti, qui rubræ bili quæ de sanguine ipso excernitur: non Saturno, qui atræ: nõ Lunæ, aut Veneri, quæ pituitæ. Quomodo enim in terreno humore ratio, collocabitur, qui tantopere obtusus est, nulliusq; cõmotionis? quomodo in aqueo, cuius motus est etiam magnopere tardus, uis autem hebes ac retusa? cum aëria etiam qualitas nequaquam tanti acuminis sit, tantæq;

celeritã

celeritatis ac penetrationis, ut rationalis potestatis sedes in ea collocari debeat. Nam ignea ac Martia uis si idonea est iræ, parum tamen apta est conquirendæ rationi, cui motus temperatior, minimeq; præcipitatus accommodari debeat: ipsum autem acumen ut penetrabile, sic minime attenuatũ ac frangibile, ne tanquam furtim surrepat, hucq; atq; illuc fugitiuus dissiliat. Sol igitur uim hanc rationalem sibi ipsi retinuit, atque ut autor præstantissimus humani corporis, partem hanc hominis præstantissimam sibi adiudicauit, ea tamen conditione, ut regiam sibi maiestatem retinens in potestatis rationalis uim autoritatemq; Mercurio subrogauerit, utpote maxime sibi uicino & familiari, ut natura tantopere uersatili prædito, ut nulli omnino qualitati addicto, ut qui facile se in aliorum naturam non modò conuerteret, uerumetiam naturas, mores, applicationesq; induceret, cuius ad eum accessus, itemq; ab eo recessus essent etiam frequentiores, quà è re familiaritas tanto maior atq; obstrictior inter ipsos iniretur. Nam Veneris natura (licet eius stella sit etiam Soli proxima) quia fœminea, quia Lunæ socia, quia uersatilis nequaquam esset, si cupiditati apta est, non tamẽ idonea est, quæ præsideat rationi. Mercurij itaq; status in genituris rationalis animæ futurũ statum denũtiat, actiones item atq; artes futuras, illarumq; qualitates. Si enim bona cum Saturno familiaritate iunctus fuerit, mutuatus ab eo tarditatem, firmitudinemq; cogitandi, & indagandi constantiam, atque è tarditate constantiaq; contemplationem, ac rerum pensitationem, celeritatem suam, insitumq; sibi acumen temperabit: quinetiam persistet diutius in cogitationibus atque in suscepta inuestigatione firmius perseuerabit, singulaq; magis ac magis intuebitur, & cautius considerabit, maturiusq; ex eo de illis iudicium feret: à Ioue mutuabitur rectitudinem ac mensuram, iudicijq; integritatem cum æquabilitate et penso, pro natura familiaritatis atq; aspectus. Hæ enim ipsæ affectiones tũ Saturni, tum Iouis, humorum quibus illi præsunt, naturas sequuntur: à Marte alacritatem, uehementiam, fiduciam, ut sit acris atq; alacer in suscipiendis cogitationibus, uehemens in persuadendo, atque in iudicando generosus & liber: à Venere suauitatem, bonitatem, iucunditatem, ut sit in suadendo iucundus, in iudicando bonus, cogitationes uero eiusdem suaues ut sint, ab omniq; acerbitate alienæ: à Luna uero mutuabitur non ea solum quæ Lunæ sunt propria, uerum & illa quæ à stellis alijs ipsa sibi mutuata fuerit, assidua decursione sua. Hæc tamen omnia pro cuiusque statu ac suo, quæ tamen ipse & ad Solem referet, & à Sole ad ipsum referentur. Neq; enim alia ad rationem inueniendam est uia, nisi huc atque illuc discursando, hæc atque illa aut sequendo, aut fugiendo, alia considerando, alia reijciendo, ijs inhærendo, ab illis recedendo, quædam probando,

quædam contrà improbando, præterita memorando, præsentia pensitando, futura præsagiendo, singula deniq; seq; ipsum, resq; suas metiẽdo. Atq; ut ad Solem ipsa tandem refertur generatio, sic ea quæ ad perficiendam rationem accommodata sunt, tanquam ad principem unum aliquem referenda sunt ad iudicium, à quo rationis rectitudo, ueritasq; emanat, iudicium autem confertur à Sole autore omnium ac magistro. Eorum uero quæ iudicium antecedunt, inquisitio, inuestigatio ac repræsentatio, unius Mercurij est propria. Atque ut Mercurij qualitas est retorrida, sic inuestigatio omnis, omnis item iudicatio concocta esse debet, nihil enim retorridum quod non omni etiam sit parte concoctum. Ad hæc humor ille, quem Mercurialem diximus, quiq; Saturni iurisditioni proprie tamen attribuitur, neque enim nisi ex euentu (atque ut nouo, idoneo tamen utamur uerbo) ex accidentia quadam attribui Mercurio potest, multum à natura ipsa parti huic rationali conferet, ut tametsi à natura Saturno sit addictus, accidentia tamen quadam efficiatur Mercurio perfamiliaris, ac penè Mercurij ipsius suus. Efficit enim hic ipse humor cogitationes fixas ac permanentes, atque exinde concoctas & defecatas. Et quia ubique dubitat, undecunque etiam quærit, & quia quocunq; sese offert, sciscitabundus perscrutatur singula, ac perscrutando ad secretiora penetrat, aperitq; quæ prius erant obscura & incognita: quinetiam proficiscitur ulterius ad intentata, dum non solum acuit spiritus, uerumetiam fidentiores illos facit, redditq; indefessos. Præesse autem rationi Mercurium illud etiam docet, quod ab eodem Mercurio manat oratio, quæ rationis ipsius, rationalisq; animæ interpres est ac ministra. Attribuerunt etiã ueteres ac probati scriptores Mercurio linguam, item fel humoris illius persimile, de quo iam multa diximus, ac dicturi sumus. Aristoteles tamen arbitratur fel inutile iecinoris excrementum esse, nec cunctis animalibus, sed ne omnibus etiam hominibus inesse. Quoniam autem hæc ipsa potestas est illi à Sole tradita, diligentissime uidendum est, qualis sit eius cum Sole status. sit'ne matutinus, an uespertinus, orientalis'ne, an occidentalis, rectó ne itinere, an regrediendo incedat, sit Soli proximus, an ab eo remotior, aut quàm fieri potest remotissimus: præterea feratur'ne eodẽ cum Sole signo, an alio, signa etiam ipsa qualia sint, signorumq; ac partium domini quomodo sint in figura collocati, amicé ne, an hostiliter conspecti: ut quale futurum sit nati ingenium, quæ uis rationalis animæ eius, absolutius iudicari queat. Quia uero satis probatum est, tris illas animæ potestates, irascendi, appetendi, ratione utendi, Marti, Veneri, ac Mercurio ascribendas esse, ab ijsdemq; solis actus hominum artesq; proficisci, reliquũ est, ut de singulis, cum honus ipsum tradendæ artis acceperint, disseramus: hoc tamen præfati, primum

attenta-

attendendum esse nati ipsius genus, generisq; mensuram: qui enim nobili è genere nascuntur, diuitijsq; abundant, uix unquam artes quæ manu fiunt, secuturi sunt, quamuis cœlum sic uideatur decernere. Sæpenumero enim humanæ leges, ciuiliaq; instituta cœlestibus præferuntur. Deinde patria uidenda est, cum sat notum sit, non omnis artes quocunque in oppido exerceri posse. Quis enim unguentariam exercebit in Apennini iugis, aut Alpium appendicibus uitam ducens? Cauenses plerique omnes ædificiorum structores sunt, Anglonenses ferrarij atque ærarij fabri, Sulmonenses aurifices. In Marsis non pauca inuenias oppida, quorum oppidani præter ouium pasturam aliud omnino nihil aut exerceant, aut curent. In Apulia qui agro colendo tantummodo studeant. Tertio loco climata, terrarumq; acclinationes, cum differant inter se, nec eædem sint in illis significationes, ac stellarum decreta.

De Marte datore artis ac magisterij. Cap. I.

MArs igitur cum fuerit magisterij atq; actionum dator, proq; dignitate ac excellentia præfecturæ huius suæ collocatus, si feliciter, felicibusq; à stellis conspectus illustrabitur, nocturna quidem in genitura (siquidem nocturno gaudet Mars tempore) decernit militiã, decernit militari ab exercitatione ac disciplina, bellicisq; item ex artibus gloriã, honorem, magistratus, præclaraq; pollicetur insignia. Præficietur enim natus ille aut cohorti, aut legioni, aut tribunus erit, aut equitũ magister, aut ductabit exercitũ, aut maximã aliquã potestatem maxima cũ licentia exercebit: quæ quidem Martis decreta minuentur ex dignitatis autoritatisq; eius imminutione. Quod si autoritas imminuta fuerit adeò, ut ad artis opificas, ac manuum magisteria descendendum sit, tamen ut in his decernendis dignitatem quoq; Mars suam magna è parte retineat, natus ipse quæ circa ignem, aut quæ circa ferrum uersatur, artem exercebit, quadam cum nobilitate atque præstantia, interq; artifices alios commendatione & fama. Erit autem ars quæ igni exerceatur, ubi Mars Soli ratione aspectus aliqua configurabitur, qualis est ars fabri ferrarij, aut fornarij, aut fornacarij, aut fusoris, conflatorisq;. Vbi uero nulla cum Sole aspectus ratione iungetur, ars ipsa ferro administrabitur, futurusq; est natus is aut agricola, aut lapicida, aut faber lignarius. Quod si aspirare ad illa Martis ipsius status eũ non patitur, artes minus nobiles ac minus honestas, aut ex igni, aut è ferro nihilominus sequetur, futurus aut lanius, aut faber ferrarius, aut cultrarius, spathariusue, aut loricarum thoracumq; fabricator, aut æreorũ uasorum, aut tympanorum, aut æneorum tormentorum fusor. Sin Mars in pigris ac deiectis constitutus

locis fuerit, aut in signis, in quibus ipse parum lætetur, artes decernet multo ignobiliores, maioreq; cum ignobilitate exercendas, ut qui lapides in calcem uertunt, quiue animaliũ intestina in cacabis grandioribus ad esum coquũt, ut qui fossores sunt ac lignatores. Si enim Saturni aspectus accesserit, erit faber naualis natus ille aut purgator sentinæ, aut coriarius, aut sentinarius, aut coquus. Si uero Iupiter Martem intuebitur, erit aut publicanus, aut gregarius miles, aut caupo, aut portitor, aut famulabitur. Futuræ autem sunt artes atque actiones ipsæ utiles, honorificæq;, lucraq; inde magna quidem prouentura, si Mars benuolentibus à stellis benuolenter ad hæc ipsa præstanda cõspectus atque adiutus fuerit. Sin à maleuolis tantum stellis, maleuole hostiliterq; irradiabitur, labores, artificiaq; infeliciter cedent, natiq; ipsi non alijs modò uiuent obnoxij ac subiecti, uerum inopia laborabunt, ac multis prementur erumnis. Quocirca singula omnia adamußim metienda sunt, ut quæ decernantur artes actionesq;, benè cognitum ac perspectum mathematico sit, & quibus cum lucris celebritateq;, aut contrà quibus cum damnis, quaq; cum ignobilitate sint exercendæ. Hæc autem colligentur ab aspectu statuq; tum benuolarum, tum maleuolarum stellarum, à signis, à finibus, à locis, in quibus constitutæ fuerint, & ab ipsorum signorum ac finium dominis. Sintne benuolæ stellæ, an maleuolæ, potentioribus prærogatiuis præditæ, an & felices, & infelices simul conspiciant, an solæ aut benuolæ faueant, aut impugnent maleuolæ. Qualis enim benuolarum & maleuolarum status fuerit, tales ex artibus obuentiones, redditus, commendationesq; futuræ sunt, talia etiam tum damna, tum infamia. Quod enim sæpius nostris in libris & quidem libenter admonemus, oportet mathematicum in his pronuntiandis à medici officio nullo modo recedere, stellarumq; significationes simul miscere ac temperare, singula in unum colligere, tandemq; de ijs in unũ collectis sententiam ferre. Sed neq;, ut paulò ante dictum est, aut parẽtum, aut patriæ, aut regionis, terræq; declinationum immemorem esse par est.

De Venere quando erit domina magisterij. Cap. II.

VEneris stella ubi conferendæ artis, actionumq; potestatẽ sortita fuerit, ac benè feliciterq; collocata, felicibus etiã benuolarum stellarũ radijs conspecta foue bitur, suis in signis, suis etiã in finibus, primarijsq; in locis cõstituta, actiones decernet nobilißimas, maximeq; insignes, præsertim si nocturna genitura fuerit, quibus ex actionibus magnæ facultates atq; opes, magna item cum gloria prouẽturæ sunt. Quinetiã hominũ benuolentia & ciuiũ gratia tanta inde conciliabitur, ut nato illi in cuius genitura hæc contigerint, certatim

unusquisq;

unusquisq; prodesse contendat, maximusq; illi uel ab uxore, seu uxoris gratia, uel à matrona præstanti aliqua matronæue suffragio fauor cõferetur. Venus enim patrocinationem suam per mulieres ac matronas potissimum exercet. Non omittemus hac in parte quod Iulius Maternus de Venere actus conferente in quarto Matheseos libro tradit. Futuri sunt, inquit, regũ imperatorumq; quamsimillimi, in tanta potestate, tantisq; constituentur opibus quicunq; suis in genituris, decernendis q; artibus atq; actibus Venerem habuerint in domicilio suo constitutã, suisue in finibus, partiliterq; in horoscopo, aut in culmine, aut in undecimo, quintóue in loco præsidentẽ, cui Iupiter feliciter trianguletur, Lunaq; imminuto ad illum feratur lumine, sitq; Iupiter item ipse suo tanquam in solio constitutus, dignamq; Ioue maiestatẽ retineat. Impertitura est igitur nato huic Venus, cui se in conferendis artibus benignam præbuerit, magnos honores, amplas dignitates, honestos magistratus, ornamenta senatoria, autoritatem inter ciues, beneuolentiam in populo, propter iustitiam, morumq; suauitatem, procurationem annonæ, ac publici horrei, sacerdotia, sacerdotiorumq; primaria loca. Quæ quidem omnia maiora minoráue futura promittuntur, pro Veneris ipsius statu, ac prærogatiuis. Vbi enim tanta fiet imminutio, ut nõ modò in signis, in locis q;, de quibus dictum est, non inueniatur, uerum in alienis signis finibusq;, & in locis alijs quàm quæ diximus: aut si non hæc illi desint omnia, uerum ex ijs pars aliqua, sitq; ad manuum magisteria declinandũ, erunt magisteria ipsa honesta & munda, nati enim futuri sunt pictores, chorearũ magistri, cantores, organarij, induziarij, bracteatores, aurifices, auri argentiq; artifices, textores pannorũ ex lino, aut lana, aut serico, pannorumq; tinctores, unionũ ac gemmarum exquisitores ac magistri. Quod si stella hæc in deiectis ac pigris locis inuenta languerit, artes ipsæ aliquanto ignobiliores atq; abiectiores decernentur, ipsiq; artifices erunt unguentarij, aromatarij, popinones, caupones, aut cauponum pueri, rerumq; illarum aut uenditores, aut artifices, quæ uoluptatem aut sumministrent, aut homines illius admoneant, aut ad oblectandos sensus potius quàm animos spectent. Hæc autem decernenti Veneri, si beneuolæ stellæ felix suffragabitur irradiatio, erunt magisteria utilia, magniq; inde quæstus prouenient. Sin suffragatores nulli affuerint, cõtrà hostiles offuerint irradiationes, sordescent artes, ac magisteria, ipsiq; artifices erunt immundi, sordidi, alijs subiecti, ac propter sordem despecti, ut fartores, obsonatores, cuppedinarij. At ubi fauor hinc stellarum accesserit, illinc iræ, minæq; ingruerint, adhibendũ erit, de quo supra dixi, commiscẽdi simul ac temperandi iudicium, ne prædictio ac denunciatio mendax futura sit, omninoq; inanis & uana. Si enim Saturnus Veneri artem tribuenti suffragabitur, natus erit aut sumministrã

tor, aut mercator rerum earum quæ uoluptati ſubſeruiant, animoſq; emolliant, aut ſorte erit ueneficus aut leno, atq; huiuſmodi è quæſtibus rem ſibi familiarem comparabit: Iouis uero ſuffragium faciet athletam, atq; in certamine uictorem, præmiumq; ac coronam inde referentem, quiq; magno in pretio habendus ſit, atq; à matrona ſeu matronæ alicuius beneficio in gradum quempiam promouendus.

De Mercurio magiſterij & artium datore. Caput III.

ARtes, actus, magiſteria, ubi eorum autor ac diſtributor Mercurius fuerit, plerunq; ingenio, linguaq; exercebuntur. Itaq; ubi in conferendis artibus inuentus fuerit in ſignis ac finibus ſuis, et in locis cœli primarijs, atq; à beneuolis ſtellis feliciter irradiatus, in primis q; Soli conciliatus, præficit eos qui in hoc cœli naſcentur ſtatu, tribunalibus, prætorijs, iuri dicundo, aut regijs, publicis q; rationibus, fiſcaliq; adminiſtrationi. Futuri enim ſunt præſides, rectoresq; prouinciarum, cauſarum auditores, ac iudices, aut quæſtores, exactoresq; publicæ regiæue pecuniæ, aut regiorum theſaurorum cuſtodes, procuratoresq;, aut regum ac maximorum principum inſtitutores, ac magiſtri, aut illorum cenſus, ac rei familiaris diſpẽſatores aut uicarij. De his autem omnibus quo certius ferri à Mathematico iudicium queat, ſigna ipſa in quibus Mercurius inuenietur, diligenter conſideranda ſunt. Si enim ſolidum ſignum fuerit, natum præficiet prætorijs, tribunalibus, prouincijs, iuriq; inter populares dicundo, aut publicis regijsq; rationibus, pecuniarum adminiſtrationibus, theſauris cuſtodiendis, portorijs exigendis, aut fiſci iuribus procurandis, tuendisq; ab iniuria & fraude. Sunt autem ſigna ſolida Taurus, quod Veneris domicilium eſt: Leo, quod Solis: Scorpius, quod Martis: Aquarius, quod Saturni proprium hoſpitium eſt. Quocirca uidendum quoque eſt, quo in ſtatu ſit dominus ſigni ſolidi, per quod tunc Mercurius fertur, qua etiam cum Mercurio familiaritate, irradiationeq; coniunctus: plurimũ enim hoc ipſum cõferet ad decreta intellegẽda, atq; ad ferendam ſententiã. Si uero fuerit tropicum, hoc eſt aut Cancer, aut Capricornus, nati officium uerſabitur in rerum commutationibus, mercibusq; peregre comportandis atq; in emundo & uendundo. Has autẽ artes à Mercurio denunciari Plautus innuit in Alcmena fabula. Quoties autẽ fuerit æquinoctiale, ſiue Aries ſiue Libra, natus ipſe præficietur publicis ponderibus, illorumq; interarti fices diſtributioni. Vbi autem fuerint ſigna duplicia, ſiue Gemini, ſiue Sagittarius, ſiue Piſces, natus portenditur futurus aut medicus, aut iuris ac legum peritus, aut aſtrologus, aut arithmeticus, aut geometra, aut inuentor,

aut

aut literator, aut epistolarum magister, quiq; nunc Secretarius dicitur, aut haruspex, aut somniorum coniector: cum primis autem natus erit ingeniosus, gnarus, atq; abunde cordatus, multaq; eruditione præditus. His igitur è rebus nati ipsi comparabunt sibi tum diuitias plurimas, tum summã commendationem ac famam, cum singulari etiam autoritate & gratia, si Mercurius in his decernendis benevolarum stellarum fauore suffragijsq; adiutus fuerit, secus uero cum à benevolis destitutus atq; à maleuolis impugnatus. Vbi autem Mercurij status mediocris fuerit, decernuntur mediocria munera, magistratusq; mediocres, siquidem futuri sunt nati notarij, bibliopolæ, exscriptores. Quod si Mercurius in pigris ac deiectis inuenietur locis, artes quoq; quæ decernuntur futuræ sunt humiles atq; abiectæ, ut custodia portoriorum, ne quid in comportandis aut exportandis mercibus fraudis fiat, ut portarum urbis, ne quid detrimenti patiantur uectigalia, ut disquisitio fraudum ac furtorum, ut alia eiusmodi siue onera, siue munera quæ persæpe habentur non solum humilia, atq; inhonesta, uerumetiam infamia. Aspectus autem atq; familiaritas stellarum aliarum in hac artium distributione, atq; in agendis rebus quid præstet, prætereundum ne id quidem est. Si enim Mercurio Saturnus affuerit, natum faciet in actionibus suis, suoq; magisterio tacitum, maturum, suspensum, grauem, austerum, qui tamen quandam mansuetudinem præ se ferat, qui consilia sua in pectore contineat, qui occulta animi superbia inflammationeq; laboret, qui multa sibi ipse persuadeat, multa etiam aut dissimulando prætereat: seq; curare parum ea ostendat, quæ quidem sit uel admodum curaturus, aut simulando procuraturũ quodãmodo promittat, quod etiã sponte præteriturus sit: deniq; suæ qui cõsilia, quodq; animo destinauerit, celare alios semper cupiat, cautus, obscurus, difficilis, rigidus, futurorum prospector, præsentiũ prolatator, atq; in exequendis rebus cunctator. Hæc quoq; Saturni cum Mercurio familiaritas atq; configuratio natum faciet rerum alienarum dispensatorem, aut somniorũ coniectorem, aut interpretem, aut hariolũ, aut futurorũ prædictorem, aut numine afflatum, aut qui in tẽplis conuersetur. Vbi aũt Mercurio Iupiter suffragator astiterit, in administrandis rebus nato præstabit animi magnitudinem, in iudicando rectitudinẽ, in coërcendo moderationẽ, in reddendo iure iustitiam, in moderando populo grauitatem, in deliberando pensitationem, in sedandis seditionibus animi robur ac firmitatem, in componendis odijs, simultatibus, inimicitijs dignitatem ac supercilium, in puniendis facinoribus seueram animaduersionem, in pace conseruanda studium quamdiligentissimum, in interpretandis legibus circumspectionem, in condendis prudentiam: denique in singulis actionibus natus ipse præse feret æqui, recti, honesti, publiciq; boni curam, item continentiæ, atque

æquabilitatis, dictorum, conuentorumq; obseruantiam & fidem, de honore, laude, uituperatione, infamia summam solicitudinem: eritq; ita institutus à natura, ut iussis ac præceptis suis planè obtemperari uelit, ac nihilominus in contumaces placabilitate utetur pro tempore, rerumq; conditione. Hoc autem ipsum Ioui suffragium faciet natum Iurisconsultum aut rhetorem, aut sophistam, qui deniq; cum primarijs uiris conuersationem habeat familiaritate coniungatur. Quoties uero Mars Mercurio suffragabitur, nati animum & in actionibus, & in artibus quas exercebit, atq; in rebus gerendis instruet fiducia, audacia, uirilitate, festinatione, contumacia, peruicacia, iracundia, perfidia, uiolentia, incontinentia, rapacitate, stolidita te, leuitate, uarietate. Nam & promissorum neglector ac contemptor erit, et facile de proposito, incœptoq; mouebitur, ac propter animi uehementiã erit incautus, fraudibusq; expositus, quiq; ut per uim, iniuriamq; superare alios nititur, sic ab alijs facile capiatur, pronus, promptusq; ad res aggrediendas nouasq; suscitandas, atq; in gerendis illis incompositus, inordinatusq;: à Venere autẽ beneuolẽte, ac fauorem suum liberaliter offerente, mutuabitur sibi Mercurius in magisterijs, in artibus, in agendis rebus, in exponendis mandatis, animiq; consilijs explicandis elocutionem, lenitatem, claritudinem, pietatem, misericordiam, commiserationem, gratitudinem, iustitiam, simplicitatem, beneuolẽtiam, reuerentiam, bonitatem, pudorem, gratiam, cultus atq; ornatus studium, consuetudinis facilitatem, splendoris nitelã, cœnarum lautelam, in Deum metũ, ac ceremoniarũ eximiã curam. Idem nec irasci sciet, iratus autem facile sedabitur, motusq; animi componet. Hæ autem affectiones à stellis ipsis hominum animis inditæ sequuntur, ut à nobis suprà ostensum est, humorum ipsorum è quibus corpora compacta sunt, qualitatem atq; efficaciam, quam pòst in uitijs uirtutibus q;, atq; in rerum administrationibus referunt. Eadem etiam ratione hoc ipsum in disciplinis referẽt, ut alij acutiores sint, atq; celeriores, alij hebetiores, tardioresq;: alij in differendo arguti & cauti, alij captiosi & lubrici: his ut placeant obscura & perplexa, illis clara & explicita. Deniq; ut si qui medici euaserint, in curandis morbis alij felicissimi sint, alij infeliciſsimi: itemq; qui Astrologi, in prædicendis stellarum significationibus ut quidam sint ueracissimi, contrà nonnulli maximum in modum uani.

Quando uel duo uel tres fuerint datores magisterij. Cap. IIII.



Is autem è tribus qui nam sibi tradendi magisterij autoritatem artiumq; exercendarum capiat, cœli quidem situs ostendet, locorumq; constitutio. Qui enim eorum in cœli culmine aut in horoscopo, aut in occiduo seu imo in cardine, aut in po-

tioribus

tioribus cœli locis repertus fuerit in genitura, cum reliqui tamen duo humilioribus in locis collocentur, neq; bene se habeant, illi utiq; tradẽdarum artium prouincia uni erit decreta. Sin & alter paribus ac similibus prærogatiuis suffultus fuerit, uterque simul æquata potestate actiones, magisteriaq; decernet. Quod ubi mathematicus uiderit, uires ac facultates utriusque stellæ in decernendo miscebit, simulq; temperabit quàm poterit exactißime. Vbi autem cõtigerit tris hos artium dispensatores pigris atq; deiectis in locis mœrẽtes iacere, et tanquam sordescere, omnibus quidem præsidijs ac fauoribus uacuos, aut forte hostiliter ab aduersantibus stellis oppressos, in quo nam hominum numero natus ille habendus sit nesciam, quippe qui præter effigiem uix sit hominis aliud habiturus. Si uero contigerit duos simul ex ijs æquata potestate tradendæ artis sibi ius desumere, hiq; Mars ac Mercurius fuerint, natus ille in cuius genitura Martis hæc Mercurijq; societas sorte euenerit, futurus est aut accusator, aut medicus, aut chirurgus, aut statuarius, aut scutarius, atq; armorum faber, aut diuinarum fictor imaginum, aut figulus, moribus tamen haud satis cõpositis: siquidem futurus est adulter, falsarius, maleficus, idem quoq; palæstram lactator frequẽter exercebit. Cui societati si Saturni quoq; aspectus accesserit, ad mores tam incõpositos illud etiã adiũgetur, ut sit homicida, grassator, rapax, latrunculus, abactor. Vbi autem Iupiter illos aspexerit, natus futurus est pugnax, efficax, uehemens, armorum exercitator, atque alienorum occupator bonorum, quibus artibus rem sibi familiarem cõparet. Si uero societas ipsa Martis ac Veneris fuerit, decernet unguentariam, tinctoriam, tonstrinariã, fusoriam è stagno, plumbo, ære, argẽto, aut auro, agriculturam, ueneficariam, medicinam, eam uidelicet quæ potionibus curat. Huic autem ipsi societati si Saturnus testem se præbuerit, illud adiunget, ut medicus ille inter alia curandarum ægritudinum remedia deorũ quoq; signis ac simulacris utatur, magicisq; carminibus: & illud quoq; præstabit aspectus hic Saturni, ut nati futuri sint polinctores, bustuarij, funerum curatores, quiq; celebrandis exequijs, decantandis mortuorum laudibus, nænijsq; deplorandis præficorum fungantur officio. Forsitan et correpti furore, utpote lymphati dei cuiuspiam numine afflabuntur. Quoties aũt testem se Iupiter exhibuerit, augures futuros denũtiat, haruspicemq; peritos, quiq; sacris in locis uersaturi sint, aut sacra ipsa custodituri, uel solẽnibus in põpis illa delaturi, aut matrimonia conciliaturi, copulãq; maritalẽ, quibus ex artibus uoluptarie admodũ uiuent, nihilominus periculis sese libenter obijcient. Quod si tradendarũ artium societas ipsa Mercurij ac Veneris fuerit, nimirũ hac è societate indicantur studia musicæ, cantus, tibiæ, lyræ, itẽ uersuũ poëticorũq; numerorũ, præsertim si domiciliorum

propriorum inter ſtellas ipſas fiat commutatio, quinetiam ſcenæ, ſcenicorumq; ludicrorũ, chorearũ, ac mimorum. Forſitan & nati ipſi exercebũt texturam, aut picturam, aut ceram fundent, aut mangones ipſi uenundabunt ſeruitia, aut muſica inſtrumẽta, chordas q; conficient, aut in uendendis muliebribus ornatibus, delicijsq; puellaribus uerſabuntur, ſi Saturni ſtella illos conſpexerit, quando quidẽ ijſdem ſequendis artibus uehementer radijs ſuis Saturnus adminiculaturus eſt. Iouis aũt aſpectus Veneri ac Mercurio in tradendis artibus adiunctus, qui hoc in ſtatu naſcentur, eos futuros promittit cauſidicos, aut qui rationibus publicis præponãtur, quiue publicis adminiſtrationibus, ſeu regendo populo, plebiq; præficiantur moderandæ, aut qui puerorum inſtitutores, morumq; moderatores euadant.

De magiſterijs ipſis, & eorũ qualitatibus. Cap. V.

QVamuis autem de actionum, artiumq; traditione ſatis multa dixerimus, nequaquã tamen hoc quod reliquũ eſt, prætereundũ uidetur, in omni quantitate tria eſſe conſideranda, quod maximũ, quod minimũ, & quod medium eſt. Artes igitur et quæ à planetis traduntur magiſteria, ubi earũ dator tanquam in maieſtate quadã collocatus præſidet, decernuntur & ipſæ primariæ atq; excellẽtes. Si enim Mars in decernendis nati actionibus, uiriũ ſuarũ amplitudine utẽtur, nihil fabrile, nihil ſordidũ in nati animum per ſimulacra illa quæ à ſenſibus offeruntur inſinuabit. Magni enim ignes poſtquã candenter accenſi ſunt, nihil fumidũ euaporãt. Itaq; natus ille, quod ignis, quod rubræ bilis propriũ eſt ſurſum moueri ac ferri, nihil niſi altũ atq; excellens aut appetet, aut conabitur. Quo circa fauente autore ipſo artiũ ac datore, auxiliaq; primarijs è locis ſummittente, conſequetur magiſtratus, præfecturas, tribunatus, autoritatemq; imperatoris, cũ ſumma etiã poteſtate ac licentia, præſertim ubi aliæ ſtellæ fauorẽ quoq; ſuũ fauentibus è locis conferent. Vbi uero Mars ipſe magiſterij dator humiliter atq; abiecte collocatus fuerit, artes quoq; abiectas & deſpicabiles decernet. Quoniã aũt omnis tum maxima tũ minima quantitas, quæ partibilis quidẽ ſit, latitudinẽ habet aliquã: ut ſi quis conſtituat, centũ ſummi loci culmen obtinere, decem minimi, ubi quis propter Martem nequeuntem centenarium implere numerum, non poterit dux atq; imperator exercitus euadere, euadet præfectus equitum, quippe cum Mars illi nonagenarium tantum numerum decreuerit: euadet tribunus militum, aut centurio, aut præfectus fabrorum, cum tribuno illi octogenarium, centurioni ſeptuagenarium, fabrorum præfecto ſexagenarium tantum numerũ decreuerit. Eodem modo in tradendis artibus ignobilioribus futuri ſunt gradus ignobilitatis, & eius cui nocum, & eius cui

octo

octo, & eius cui septem, aut cui sex, & deinceps, ut sui cuiq; definiti sunt numeri: atq; ut summus ille numerus imperatorem constituturus est exercitus, ita infimus uindicem rerum capitalium, atq; carnificem. Inter summum autem & imum, quando medium interiacet, et ipsum quoq; medium habet numerorum atq; graduum suorum constitutionem. Nam & in manuarijs, id est sordidis artibus quæ igni exercẽtur, aut ferro, gradus quoq; constituti sunt sui. Faber enim ferrarius præfertur fornacario fabro, licet uterq; artem igni exerceat: & conflator, fusorq; æneorum statuarum antefertur furnario, ac panicerio. Itaq; & qui in latitudine summi, & qui in latitudine medij constituuntur aut imi, habebunt dimensionem suam, suũq; numerum perinde sortientur, ut Mars ipse pro collocatione atq; configuratione sua constituet, proq; alicuius stellæ beneficio, aut maleficentia. Iupiter enim auxiliator aliquatenus absterfurus est artis sordem atq; ignobilitatem. Si enim natus ille absque Iouis præsidio futurus erat coriarius, mutabitur ob hoc præsidium in publicanum, aut uectigalium exactorem, aut in hospitatorem meritorium, ut non temere dictus sit Iupiter dare iura hospitibus, ut est apud Virgilium. Corruptum enim illum Martis humorem aliqua sanguinis atque humoris sui admixtione Iupiter subtemperabit. Contrà Saturnus conquinabit sordentius, siquidem ad corruptionem à Marte profectam adiunget suam, cum utriusque stellæ natura sit corruptioni accommodatior, ut qui faber naualis futurus erat, illum ipse conquinatione sua compellat ad emundandam sentinam, aut ad latrinas expurgandas, cloachariamq; exercendam. Hoc idem & maximum, & minimum, & medium considerandum est etiam in artibus atq; actionibus à Venere decretis pro eius aut egregia, regaliq; constitutione, cumq; stellis alijs configuratione, aut pro mediocri eius statu atque conspectu ad stellas alias, aut pro abiectione atque ignobili collocatione eiusdem. Cum enim à Venere appetitiones suscitẽtur in hominibus, ubi ipsa tanquam regia in sella collocabitur, & quadam cum ueneratione ab alijs conspicietur, appetitiones illæ nihil nisi magnificum atque honoratum affectabunt, ipsaq; ut appetitionum genitrix, ut illarum muneratrix, magnificos atque honorabileis magistratus nato illi sumministrabit, quinetiam pontificatus, sacerdotia, præfecturam annonæ publicæ, splendidaq; inter ciues ornamenta cum summa & singulari ciuium beneuolentia, perinde ut numeros cuiq; suos cõstituerit. At ubi pro statu suo, suaq; collocatione ad summum aspirare gradum nequierit, aut ad honores eos, qui intra summi loci latitudinem includuntur, decernétque mediocria, in hac etiam mediocritate locus nato cuique suus integer seruabitur, ut si aut pictor, aut textor, aut aurifex futurus denũtietur, in illa ipsa arte maiorẽ retineat prærogã-

tiuam, prositu atque configuratione Veneris ipsius, stellarumq; conspectu: ut tametsi Marcus & Publius iudicentur futuri aurifices, alter tamen sit ingenioſior & clarior, alter minus notus, minoriq; ingenio præditus, alterq; sordeſcat inter plebeia opera, in lucem alter ueniat, eiusq; opera circũferantur ad principes ciuitatum ac reges. Eadem eſt ratio artiũ ignobiliũ à Venere decretarũ, ut ſi natus ipſe decernatur artifex rerũ uoluptuariarũ, acceſſeritq; decreto huic malus aliquis aſpectus, artifex ille futurus ſit magis magisq; cõquinatus atq; infamis. Etenim ſi corrupto illi humori corruptionem quoq; Saturnus ſuam immiſcuerit, nati ingenium cogitationesq; conuertet ad artis lenonias, ad philtra, ueneficiaq; amatoria, aut magicas incantationes, amoris ac uoluptatis fruendæ gratia. At Iupiter retrahet ab hac illum turpitudine & infamia: nanq; admixtione ſanguinis atque humoris ſui animum illius ab ea turpitudine auertens ad generoſiores actiones ſubleuabit. Itaq; faciet illum athletam, quiq; in ſpectaculis, ludisq; theatralibus pugnans uerſetur, non ſine honore et laude. Cũ enim à Venere proficiſcantur ludi & ſpectacula, ſunt nanq; uoluptatis gratia inſtituti, Iupiter reſocillabit calore ſuo nati animum: quo fotus ille tametſi à Venere ſtatuatur inter ludios theatrales, generoſior tamẽ effectus Iouis aſpectu, ac maiore captu quàm ut mimũ ſaltet, certamẽ inibit, ut ſuo etiam certamine & ſpectatores deliniat, & gloriã populari è uoluptate ſibi comparet. Mirari aũt hæc ipſa nemo debet, modò ſit aliqua ingenij maturitate præditus: neq; enim mirabitur, ſi frugiferarũ naturas arbuſcularũ conſiderabit. Pirus in hortis meis nata & alta fructũ ſuũ profert ſucco ſuaui et ſapido. Eadẽ è piro aliò translata planta, ſoliq; alterius ſucco enutrita pirũ profert nõ modò minus ſuaue, uerumetiã inſipidũ. Rurſus ab hac ipſa arbore, atq; ab hoc ipſo ſolo aliud in ſolũ delata atq; inſoſſa planta fructũ & craßiorem, & ſucci ſalſioris feret. Itaq; eadẽ ex arbore aut generoſa, aut degenere tralatæ plantæ pro ſucci atq; alimenti commixtione diuerſitateq; diuerſos à matre ſua fructus proferunt, atq; ita quidẽ diuerſos, ut qui à matre ducti ſunt generoſa degenerent, qui à degenere nobilitẽtur, mutato etiã colore, ſapore, & cortice. In uitibus quoq; trãsferendis idẽ hoc apertius cernitur. Cuius rei uimũ ipſum manifeſtiſſimã probationẽ ac fidẽ facit: quid enim uini genere uariantius? hæc aũt uarietas prouenit à uarietate ſoli, & eius in quo uitis prius nata, & eius in quod poſtmodũ tralata eſt. Quod terra efficit in herbis atq; arboribus, an nõ cœlũ efficiet, quæq; cœlo feruntur ſtellæ, noſtri ſeminis, generisq; artifices, in uariandis hominum artibus, cogitationibus, ingenijs, diſciplinis? perinde ut uariantur cætera etiam animalia, ora quoque ipſa noſtra, item corporatura, ſermo, mores, atq; habitus: quinetiã ut uariãtur oculi, quod uidemus in Sauromatis,

ut nares

ut nares & labra, quod uidemus in Aethiopibus, ut etiã in pedibus, femoribus, coxis, quod uidemus in gente Simantopodũ, qui à pedum atq; à genuũ tortu accuruationeq; agnominantur.

De Mercurij commixtione cum alijs planetis. Caput VI.

QVæ lex, quæq; obseruatio est & artium, & actionum quæ à Marte Venereq; decernuntur, eadem est etiam in illis distribuendis quarum autor est Mercurius, & tanquam legis cuiuspiam seu lator, seu promulgator. Quocirca eadem tum ratio, tum obseruatio, aut constitutio in artificijs, magisterijs, actionibus quæ à Mercurio decernuntur, quocunq; in genere tenẽda est, atq; eo maiori studio, quod ingeniorum maior est diuersitas, quàm artium sordescentium, cũ tandem artes ferè omnes ingenio temperentur, quoq; ars clarior est aliqua eò maioribus utatur ingenij uiribus. Est Saturni propria inquisitio & contemplatio propter atræ bilis naturam, de qua non pauca quidem à nobis dicta sunt. Iouis propriæ sunt actiones propter sanguinem, qui calore suo ad agendum nos commouet. Temperationem nanq; sanguinis sequuntur non modò sensus, uerumetiam mores. Ad Venerem referenda est quæcũq; suauitas, animorumq; oblectatio propter appetitionis dominatum, quæ quidẽ appetitio informatæ materiæ, hoc est sentientis corporis est sua. Vbi enim sensus, illic & appetitio. Saturnus igitur decernenti artem Mercurio assistens ingenium excitabit ad contemplanda non solum ea quæ tanquam præsentia oculis exposita sunt, uerumetiam quæ futura. Quocirca natus ille insomniorum quoq; obseruator, illorumq; interpres atq; coniector erit. Animi enim atque ingenij eius uis atræ bilis humore excita, ad hæc quoq; intellegenda penetrabit, aut per coniecturam somniorum, aut per uolatũ & cantum auium, aut per furorem illum fanaticum: quinetiam propter multã diuturnamq; considerationem ac parsimoniam, quæ Saturnini humoris est peculiarißima, rerum item dispensandarum optimus administrator erit, hacq; de causa dispensandis rebus, rationibusq; familiaribus à magnis & præclaris uiris natus hic præficietur. Si uero Iupiter tradendis artibus, actionibusq; Mercurio suffragabitur, nati ipsi uersabuntur in ijs quæ rhetorum, aut iurisconsultorũ sunt propria, aut sophistarũ. Etenim actiones ipsæ quæ à Ioue suffragatore decernentur, in uerbis, in oratione, in disputatione potißimum uersabuntur, quæ Mercurio addicta sunt. Verba enim ipsa beneficio aëris exprimuntur, qui calidus est & humidus, qualis est Iouis natura. At ubi stella Veneris Mercurio affuerit in cõferendis artibus, nati ipsius uerbis orationiq; addet suauitatem, addet lepôrem & gratiam.

Cultui quoq; splendorem atq; elegantiam, & ornatui nitelam, atq; administrandis sacerdotijs ceremoniarum peritiam, obseruantiamq; adiũget. Quoniam autem signa illa in quibus Mercuriũ inueniri contigerit genituræ tempore, longe quoq; inter se differre continget, tũ qualitate, tum significatione, ut paulò ante ostensum est, uideamus primo quid causæ sit, cur solida tribunal decernant, aut iuris dicundi, aut pecuniariæ rationis tuendæ, aut thesaurorũ conseruandorũ, siue instituẽdi principis cuiusp iam, siue regij filij, dignitatẽ & honus. Nimirũ signa solida magnã sibi ex ipsa primũ soliditate prærogatiuã assumunt. Solida enim omnia & stabiliora sunt, et diutius durant. Ad hæc quatuor cum sint, eorũ singula regijs stellis ornata sunt, quod cæterorũ signorũ cõtingit nulli. Itaq; propter regiã hanc dignitatem, quia regis est ius dicere, ac præesse rationibus publicis, & propter soliditatem suã, tribunal, id est præfecturã in conferẽdis artibus decernuntur. Quia uero Mercurius rationi præest atq; orationi, præfectura ipsa futura decernitur ijs in actionibus, quæ ratione administrantur & oratione, ut est iurisditio in populis, quæ tum ratione constat, tum oratione: ut quæstura, quæ pecuniarum tum exigendarum, tum distribuendarum curã gerit, habetq; numerorũ ac computationis rationem, ut custodia publici ærarij, aut regiæ supellectilis, hæc enim omnia computatione gubernantur ac ratione, necnon scripto, nam & ea scripto constant, quo & continentur & cauentur, siquidem iura scripto sanciunt: ad hæc pecuniarum administratio, omnis deniq; computatio, numerorum quoq; ac literarum inuentio à Poẽtis ad Mercurium refertur, omnis item disciplina, omnisq; mstitutio. Forsan etiam signa hæc solida institutionem puerorum edocendorum decernẽt, aut magni alicuius principis, aut principis ipsius liberorum. Nam & Gemini puerile signũ, & item Virgo puellare docere satis possunt instituendorum liberorum prouinciam Mercurio esse decretam. Quam ob rem merito signi cuiusq; natura consideranda est mathematico in omni artium distributione facienda. Quod si æquinoctiale signũ fuerit, in quo Mercurius artiũ dator præsidebit (quia signa ipsa æquinoctialia temporũ æqualitatem tanquam in Libra suspendunt aliqua) decernet natum illum ea munera, easq; actiones autore Mercurio exercitaturum, quæ ponderũ ac mensurarum ius habeant. Vbi uero τροπικὸν fuerit signum, quando τροπικὰ ipsa commutationem in se temporum habent, artes quoq; decernet Mercurio, rationis ac computationis magistro, quæ in commutandis, ac peregre comportandis rebus mercibusq; uersabuntur, quæq; artes constant permutatione, emptione, uenditione, atq; cõmercijs. Quæ aũt duplicia sunt, quæq; alio nomine dicũtur cõmunia, ac pleraq; hominũ sunt nominibus prædita, primũ indicãt natos futuros ingenioſos & agiles ad ea quæ ingenio potißimum

mum exercentur, deinde propter ipsam ingenij agilitatem exercitaturos ingenium ijs in rebus quæ sunt ingenij ipsius propriæ. Quodq; omnes à natura ipsa & scire, & nosse cupimus, eo dẽ duce Mercurio disciplinarum magistro operã impendent nati, aut ad ea studia quæ sunt medicina, cuius cognitio est rerũ naturæ, & in curandis ægritudinibus eius uersatur actio: aut ad studia cognoscendi iuris, ciuilium q; constitutionũ, quarum cognitionis atq; peritiæ actio uersatur omnis in iure dicundo, causisq; definiendis: aut in studijs epistolarum, quæ actiones humanas per literas his atq; illis significant, ac tum consilia publica, tum secretas principum cogitationes notant, quod munus est scribarum, & illorum qui hodie parum uetustis nominibus partim Cancellarij, partim Secretarij dicuntur: aut ad studia hæc cœli & stellarum, cuius disciplinæ actiones uersantur in prædicendis futuris, ac stellarum ipsarum decretis pronunciandis: aut ad ea forsitan studia, quæ cognitionem afferunt haruspicinæ, auguralis, aut somniorum conijciendorum. Cuius cognitionis proprium officium est, uoces ac uolatus auium, & quæ in somnis uisa sunt interpretari atq; conijcere, eaq; consulentibus respondere. Quod autem Mars ac Mercurius accusatores, chirurgos, medicos statuant in actionibus definiẽdis, ubi ambo simul ad has statuendas conuenere, quod Mars Venusq; myropolas, tonsores, ueneficos, quod Mercurius ac Venus Poẽtas, musicos, cantores, tunc aperiemus, cũ de ipsarum erraticarum coniunctionibus ac configurationibus differemus. Etenim ex ijs quæ stellarum copulatio aspectusq; decernunt, iudicari etiam poterit quid societas quoq; decernendarum artium, actionumq; portendat.

De collatione signorum in dandis magisterijs. Caput VII.

NEc uero hac præsertim in parte omittenda duximus ea quæ à Ptolemæo tradũtur, cũ de hac ipsa magisterij traditione in quarto Apotelesmatũ libro præcipit, inquit enim: Signa illa per quæ fertur genituræ tempore actionũ distributor, nõnihil pro qualitate sua actionũ nati qualitatibus conferunt. Etenim signa quibus humanum inditũ est nomen, quæq; ipse ἀνθρωπόμορφα nominat, mirũ in modũ conferunt ad omnẽ cognitionẽ earũ scientiarum, quæ propriæ sunt hominũ, atq; ab ijsdẽ ipsis ad communẽ usum excogitatæ atq; inuẽtæ. Signa uero quadrupedũ animaliũ ad effodienda metalla, ad exercendam mercaturã, ad ædificãdas domos, atq; ad fabriles artis sequẽdas. τροπικὰ aũt signa, quæq; æquidialia sunt, cõmutandis mercibus, contractãdis negotijs, agrisq; colendis, mensuris itẽ, rebusq; geometricis ac sacris. Terrena uero signa, & item humida magisterijs, quæ in humidis, uel per ea quæ

humidæ naturæ sunt, exercentur: quinetiam cognoscendis herbarum naturis, atq; illarum usui, exercendis nauium fabricis, atq; ad ea quæ ad sepulturas pertinẽt, quæq; ad salis usum, resq; sale contingendas, quæq; item ad sapores uoluptarios subministrandos inuentæ sunt: quarum rerum si suo tempore Apitius magnus fuit artifex, non minor tamen nostra ætate siue magister, siue recitator fuit Bartholomæus Platyna. Sed ad Ptolemæum redeamus. Maximum, inquit, actionum ipsarum indicium faciet Luna, cum à coitu digressa, atq; ad locum ubi Mercurius reperitur, delata cum illo copulabitur. Si enim fuerit in Tauro, aut in Capricorno, aut in Cancro, faciet augures, immolatores, quiq; per patinas uaticinentur. In Sagittario, aut Piscibus, dæmonũ elicitores. In Virgine, aut Scorpio, magos, astrologos, prognosticatores, quorum etiam sermo sit plenus grauitatis, autoritatis atque sententiarũ. In Libra, in Ariete, in Leone, numine afflatos, fanaticos, quiq; tum lymphati, tum procerriti dicuntur, somniorum cõiectores, exorcistas. Quæ quidem omnia diligentißime contemplanda ac metienda esse illud docet, quod quæ dominatum hunc suscipiunt stellæ, ubi coæ fuerint, aut cardinales, actiones decernunt, & quidem cum autoritate, natisq; ipsis primarium in illis locum statuũt. Occiduæ uero aut à cardinibus declinantes, nequaquam primarios, uerum subiectos alijs potius suis in artibus atq; actionibus illos fore annunciant. Quibus si beneficarum stellarũ fulgor affuerit, eæq; in apice circuli sui effulserint, artes, actionesq; decernentur cum celebritate, lucro, laude, atq; existimatione. Sin maleficæ offuerint, cum abiectione, indignitate, damno ac periculo. Siquidem impugnante Saturno, ob segnitiem ac simulationem nocumenta ipsa obuenient, Marte uero aduersante, per pericula & publicationes. Vtroq; autem simul impugnante, siue ab apice atq; ab eminentia, siue ab humilitate ac deiectione circulorum suorum, euersio ac tanquam diuastatio quædam indicitur pro situ ipsorum, proq; in partem uel eoam, uel occiduam positura. Hæc itaq;, atq; in hanc sententiam à Ptolemæo tradita sunt, ac minus fortasse explicate, quàm res ipsa ferebat. Siquidem facta diuisione signorum quadrupedum, pòst ita subdit æquidialia, ac si Aries quadrupes non esset: subdit etiam signa terrestria post factam mentionem signorum humana specie figuratorum, ac si Virgo non esset ex horum signorum numero, aut tropicorum è numero Capricornus, cum pòst adiungat signa terrestria. Quocirca desiderio quodam disciplinæ huius in apertiorem atq; compositiorem formam uindicandæ, de inexplicatione conquerimur. Quam ob rem parti huic quæ de artium est datore, illam etiam adiungemus quæ ad inueniendum cognoscendumq; genituræ dominum tota pertinet, quod in sequenti libro præstabimus. Si enim actionum dator artes, actionesq;, quas natus ipse secuturus est indicat,

indicat, & genituræ ipsius dominus omnes tibi nati propensiones, mores quoq; omnis sic exprimet, & tanquã in pictura sua per lineamenta inumbrabit, ut facile his omnibus simul mixtis, consideratisq; nati animus per fenestras quasi quasdam introspiciatur. Nec uero genituræ dominatus tribus dũtaxat erraticis permissus est, ut artium atq; actionum, uerumetiam erraticarum cuiq; suo loco conceditur. Solem tamen ac Lunam sic excipimus, utpote quos pudeat partis cuiuspiam patrocinium suscipere, cum uitæ totius ac fortunæ uniuersæ imperium penes se habeant, quæq; ad corpus ac spiritum pertineant, moderentur omnia.

Septimi libri de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD PETRVM SVMMONTIVM, De rebus cœlestibus Lib. Octauus.

PROOEMIVM.



ISTE hic oculos Petre Summonti, in hortis enim deambulamus, nostra cum Antiniana, germenq; illud contemplare, quod ab humo prodire iam nititur, ut solum superiectum, tameisi tenaciusculum, passim tamen diffiderit, ut fossoris negligentia aggestum etiam lapidem, pedetentim tamen subleuando propulerit. Rem profecto, ut pleraq; omnia naturæ opera, summa etiam admiratione prosequendam. Verum autem quid pilo tenuius? cute rursum ipsa quid densius? quam assidua tamen propulsione perforat res tenuis admodum, atq; imbecilla: sensim increscunt herbæ, frutices, arbores, ipsaq; animãtium corpora: incrementũ tamen ipsum nequaquam sentitur. Quid quod, ut Horatius è natura ipsa rerum ait, fama, ut arbor quoq;, ævo crescit occulto? Quid quod animus ipse qui pueris nobis tantopere rudis atq; etiam ignarus est, paulatim, progressimq; ita instituitur, ut è summa ignoratione atq; inscitia ad summam tandem rerum perueniat cognitionem atq; scientiam? Quanti uero, qualesq; progressus cognitionis fiant, itemq; scientiæ, singulis neq; horis neq; diebus ne ab eodem quidem percipitur animo. Res tamen ipsa, tempusq; quod interim delabitur, postmodũ declarant, & quæ, & quales cum incrementi corporei factæ sint progressiones, tum ac multo fortasse manifestius sui ipsius

animi, institutionis, atq; peritiæ. Quocirca temporis hæc omnia naturam sequuntur, quod è momentorum, ut sic loquar, insensibilitate prolapsione q; tam tenui atque impartibili profectum, pedetentim continuatéq; progrediendo motus omnis ita metitur, atq; in numerum redigit, ut quod initio non sentiebatur, pòst tandem luce ipsa clarius appareat, claritudinéq; etiam splendescat sua. Videmus, cernimus, experimur hæc omnia in nobis quidem ipsis, ac pauci admodum, quinimò rarissimi sunt qui ea tamẽ considerent. Hoc igitur maxime modo stellarum actiones procedunt. Neque enim earum effectus sentiuntur, donec multũ iam profecerint, tametsi commotiones atque impulsus ipsi nunquam desinunt, quando assidue quidem, atq; insensibiliter agunt, quodq; tempus aut agere, aut egisse iam uidetur, sempiternis illæ commotionibus atq; insinuationibus suis agunt. Sentitur palàm Solis calor, eiusq; apparet illustratio, tenebrarum tantarum expultrix. At non apparent cæterarũ erraticarum effectiones, scilicet quod nõ æque omnes calidæ, tantaq; luminis maiestate sunt præditæ, differuntq; omnino qualitates ipsæ inter sese, ac si lucerna quidem ipsa ubi primũ accensa est, tametsi calor eius nequaquam sentitur, atrium tamen omne non irradiet, siue oleo lumen id pascitur, siue adipe aut aruina. Et quamuis uitæ ipsius nostræ fundamenta in corde collocata sint, in eusq; calore ac commotione iacta, scilicet ob hoc pulmones, iecur, cerebrumq; officium suum nequaquam faciunt. Nec uidemus oculis, nec sensu statim capimus, qua uia uerba per aures ad animum tralata moueãt illum, mouent tamen, atq; adeò quidem et mouent, et afficiunt, ut à tristitia in hilaritatem, à metu in spem, ab ira in tranquillitatem, à duritia obstinationeq; in facilitatem, placabilitatemq; repente transferant. Quid plura? ut animum tandem maxime scientem reddant, qui in initio fuerat ignorantissimus. Sentitur quidem, naribusq; hauritur & fœtidus & suauis odor. At non sentitur naribus nocens illa uis aëri immixta, è qua pestilentia gignitur. Mortes uero tam uiolentæ ac penè repentinæ declarant, quantũ illi ueneni insit, quantaq; ad interimendum noxa sit indita. Quid uiolentius quàm uenti? quid magis etiam repentinum, quàm flatus ipsi aërij? Aspiratio tamen illa, è qua uenti fiunt, ipsiq; flatus effluunt, nullo modo neq; in tenebris, neq; in luce oculis cernitur: res autem ipsa procellarum tantam illam uiolentiam, impetusq; demonstrat. Sed quid uentos citamus ad dicendum testimonium? quis nostrum obsecro sentit ubi, aut quomodo aërem attrahit, quem tamen attractum statim spirat, ac remittit? Quod si hæc ipsa in nobis, nostrisq; corporibus, in cerebro, in uenis, quinetiam in aëre, atque in aquis fiunt, atq; eueniunt, & quod initio non perspicitur, si per se tandem euadit quamclarissimum, quanto tum solertius penetrabiliusq;, tum etiam

insen-

insensibilius censendum est, stellas ipsas efficaciſsimam illam uim suam in nobis, inferioribusq; his corporibus exercere, in illaq; illabi? Cum corpora ipsa è quibus constituti sumus, sint illis prorsus obnoxia, ijsdemq; à natura pareant, nec tam à seipsis, quàm à stellis moueantur: neq; enim aliter rerum ipsarum natura consisteret, fruſtraq; fulgentisſimi illi ignes qui lumen, id est uitã inferioribus his in animãtibus accendunt, cœlo illo quameminentisſimo, quod omnia quidem continet atq; complectitur, tanto ordine, meatibusq; tam indefeſsis ferrentur, ni luce sua, suisq; radijs his ipsis uitas inspirarent: quæ quidẽ inspiratio nec cernitur, nec apparet, nisi postquàm res ipsæ in lucem eam, quæ uita dicitur, prodiere. Ad hæc quod semina, radicesq; præstant herbarum atq; arborum, quod cor, quod cerebrum, quod uerba, quod spiritus, ut dictum est, an non cœlestia præstabunt semina? quæ prima quidem sunt, & à quibus hæc ipsa, quæ naturalia dicuntur semina, perpetua etiã fouentur, ac nequa intereant, aſsiduis ubiq; agitationibus suggerũtur, quinetiã ab his ipsis exiſtit seminibus, ut insensibiliter rerũ fiant incrementa, perinde ut cœlestium illorũ corporũ momenta sunt insensibilia. Id quod ingenium tibi tuum Summonti, quo solertisſimo præditus es, declarare melius, exactiusq;, quàm diſputatio ulla potest nostra: penetrat enim in initio ad ea quæ nulla quidem uidentur, neq; è uestigio penetratio ipsa sentitur, pòst uero uires ita suas colligit, suamq; præse fert operam, seseq; intendit adeò, ut magna atq; magnifica inde prodeant, quæ ante aut re ipsa nulla erant, aut nullo esse modo cernebantur. Quod autem ingenium tuum præstat, quod quidem tuo isto continetur tam anguſto corpore, non præstabunt corpora illa tanta in maiestate constituta? quorum opera, ductu, auſpicioq; geruntur quæcunq; in inferiore hoc mundi tractu fiunt, administrantur, aguntur, sempiterna cum animantium generatione, perpetuoq; rerum omnium satu. Atque ut tuũ istud ingenium, animusq; ut iste tuus commentandis, atque efficiendis ijs, sensibus proprijs utitur: sic ætherei illi ignes, perinde ut instrumentis quibuſdam suis, suaq; materia, elementis utuntur, è quibus ipsi cõstamus, intra quæ, & per quæ uitam quoque ducimus, cũ aëre operiamur ipso, ac per illum spiremus: unde aër spiritus à Latinis perquàm proprie dictus est, qui quidem illis ipsis quam proximus ac contiguus est, quiq; tenuitate sua & aquas ineat, et intra denſisſimũ etiam terræ corpus sese per rimulas quaſi quaſdã insinuet. Quinetiam ueluti supra terras perlatus auras sol agitat, qua ex agitatione cuncta calfãcit, hacq; ratione et uia alia exiccat, alia eliquat, ac nunc cogit, nunc relaxat, nũc durat, nunc emollit, adhæc alia decolorat, alia candificat, illa fugat, hæc contrahit: sic stellæ quoq; et ipsæ per spiritũ hunc maxime, quẽ aërem esse diximus, in humores è quibus constamus, uim quæq; suam

sensim assidueq; pro sua natura insinuantes, illos continuate afficiunt, quibus affectis uisa cientur illa, quæ postmodum mentem atq; animos commouent & ad commentandum, & ad agendum, pro ui naturaq; excitantis syderis atque humoris: ut non modo constitutiones ipsæ corporum naturas commotionesq; sequantur eas, uerum actiones etiam ipsæ illas repræsentent: ad quas ubi ratio sese nunc ducem, nũc comitem adiunxerit, id efficitur, ut iure homo rationale tantũ animal & dicatur solus, & habeatur, nec sit in terris aliud quippiã, quod deorũ immortaliũ tantã æque similitudinẽ aut agendo referat, aut cõmentando: quando animal quoq; nullum neq; cũ cœlo, neq; cũ stellis quæ cœlo feruntur, tantã omnino cognationem habeat atq; contagẽ. Neq; enim uerebimur contagem appellare eam, quæ Græce est συμπάθεια, quam Cicero ipse contagionem uocauerit. Quæ quoniã ita sese habeant, eo libentius prosequemur quod cœpimus, ut et naturas commixtionesq; stellarum explicemus, & causas simul naturales illis accommodemus, quantum ars, quantum natura rerum patitur, monstratq; diuturnior solertissimorum hominum obseruatio.

De domino genituræ. Cap. I.

VEteres, ut uideo, scriptores non una uia genituræ dominum quærẽdum censuerunt, quem uno uerbo Græci οἰκοδεσπότην uocant. Verum alij diurnis in geniturís illum genituræ totius dominatũ assecutum iudicabant, in cuius finibus Sol, in nocturnis uero, cuius in finibus Luna inueniretur. Idq; ea ratione instituisse uidentur, ut cum Sol ac Luna generationis autores sint, particularem hunc dominatum stellæ illi tanquam subministræ delegarent, in cuius stellæ finibus Sol ipse diurno, Luna uero nocturno inueniretur tempore. Siquidem diurnum imperium propter lucem ac calorem, qualitatis q; similitudinem cesit in sortem Soli, nocturnum autem propter opacitatem Lunæ. Alij censuerunt planetam illum genituræ dominum, qui Lunæ latitudinis esset dominus. Cũ enim Luna motus sui celeritate, suis q; discursibus cæterarum stellarum affectiones à se acceptas in nostra refundat corpora, & tanquam nutrix quædam alimenta undique conquirat, in genituræ dominatu stellam illam tanquam ab educatrice quadam substitui putauerunt, in cuius stellæ finibus Lunæ ipsius latitudo inueniretur: pluzimi enim referre putauerunt, sub cuius iurisditione Lunæ latitudo in boream, aut in austrum diuertentis esset. Alij uero, atque in ijs Iulius Maternus, cuius apud me autoritas tanta est, ut si scripta eius extarent integra, uix aliquid arbitrer in hac ipsa disciplina desiderandum, censuerunt erraticæ illi genituræ dominatum in sortem cedere, ad cuius

ſtatim ſignum Luna progrederetur, poſt peragratum ſignum in quo ipſa genituræ tempore inuenta eſſet. Si enim in Marci genitura Luna Arietem permeabat, permeato Ariete, quia ſtatim concedit in Taurum, quod ſignum Veneris domicilium eſt, Venus Martianæ huius genituræ ſibi dominatum aſſumit, tanquam hoſpitij merito à Luna conceſſum. Qua in re illud mihi uidetur penè contingere, quod in re contingit ruſtica. Planta enim ab eo in quo nata eſt loco euulſa, atq; aliud in ſolum tralata, ei cedit ſolo in quo poſt effoſſa ſuccreſcit, & alitur. Luna enim ipſa tanquam editi à ſe fœtus mater atq; altrix, ſociam ſibi alendo illi quæritans, in cuius primum ſtellæ domum incidit, eam ſibi ſtellam adiutricem & tanquam commiſtram deligit, cum qua labores ac curas educationis partiatur. Omnis autem cœli actio, ut admodum mirifica eſt, ſic ex omni ſibi parte quadratiſſime conſtat. Neq; enim tanta prouenire atq; effici ingeniorum, applicationũ, ſtudiorum, morum diuerſitas poſſet, niſi tanta ac tã diuerſa etiã eſſet ſtellarum mixtura, atq; inter ſtellas ipſas inuicem uirium mutuatio. Mutuatur igitur ſibi auxilium Luna, atq;, ut nouo utar uerbo, comminiſteriũ à domino genituræ, genituræ autẽ dominus à domino finiũ, in quibus ipſe inuenitur, & à domino item ſigni, rurſus ſigni ac finium domini à ſtellis, à quibus aſpiciuntur, uel in quorum errant finibus, atq; à locis etiam ipſis in quibus conſtituti ſunt, à coniunctionibus item, atq; à conditione diurna ſeu nocturna, à culminatione, atq; eminentia orbiculi ſui, ab inceſſu, ſtatu, regreſſu, à regione matutina ſeu ueſpertina, à ſignorum qualitatibus ac proprietatibus: quæ quidem ipſa tantarum ſunt uiriũ, ut ex his atq; ab his ingeniorum noſtrorum uarietas omnis proueniat. Quocirca genituræ domini idem mihi ius uidetur eſſe in nati uita, quod gubernatoris in naui, ipſaq; in nauigatione, quãdo ab illius gubernatione quæ in mari geruntur omnia ac pro claui cui aſſiſtit moderatione regulam ac legem accipiunt. Siquidem miniſtri ipſi data ab illo ſigna, iuſſaſq; ab eodem operas obeũdis in miniſterijs & ſequũtur, & exhibẽt, neq; ab illius moderatione ac præſcriptis recedunt. Felicẽ itaq; aut infelicẽ cõſtitutionẽ genituræ domini aliæ quoq; ſtellæ in utranq; ſeu felicitatis ſeu infelicitatis partẽ adiuuãt, atq; adeò quidẽ cõſtanter adiuuãt, ut bene ipſe ac pro autoritate ſua collocatus annos uitæ à ſe diſtribuẽdos, integros quidẽ nato illi impartiatur. Pro qualitate igitur collocationis atq; cõfigurationis ſuæ cũ ſtellis alijs, proq; natura et ſua & ſtellarũ, à quibus uel fouetur, uel impugnatur, ac ſigni per quod fertur, & ſigni eius ac finiũ domini, quid nato obuenturũ ſit in totius uitæ decurſu per ſeriẽ decernit. Iurcq; in prædicendis nati moribus atq; euentis, genituræ dominus in primis obſeruandus eſt, quem ea de qua ultimo loco dixi ratione facile inuenies. Illud uero prætereundum non eſt, Lunam è ſigno quod pera-

grat natali die si in Cancrum domum suam, aut in Leonẽ Solis hospitiũ stá tim pertranseat, nequaquã aut ipsam patrocinium genituræ susceptura, aut Solem propter hospitium. Dedignantur enim, cum generationis uitæ, animalitatisq; autores sint, ad particulare ministerium, ac famulatum quasi quendam tanto è gradu descendere: quam ob rem quod post Leonem in Virginem transitura statim est, Mercurium signi eius dominum in genituræ dominatu Luna substituet. Quid igitur singulæ erraticæ genituræ dominatum nactæ decreturæ sint, singillatim ordine suo explicabimus.

De Saturno genituræ domino. Cap. II.

NOstram quidem uitam metiri, ni fallor, trifariam oportet, & per ea quæ ad corporis texturam pertinent, & per ea quæ ad animum ac mores, quæq; etiam ad fortunæ, ac rerum euenta spectant. Bona enim hominũ omnia aut corporis sunt, aut animi, aut fortunæ, dicunturq; externa. Horum autem omnium genituræ dominus denunciator erit, pro natura, collocatione, & configuratione ad alias stellas sua, proq; signorum etiam peculiariter attributa cuiq; ui ac natura, in primisq; pro humorum quibus præsunt, temperatione ac mixtura. Saturnus igitur hac ratione & uia traditum sibi à Luna genituræ dominatum accipiens, primum in concernendo corpore, tametsi ad hanc concretionem plurimum qualitas parentum confert, multis illud ac uitiosis humoribus uexabit, præsertim ubi nocturna genitura fuerit, Lunaq; imminuto lumine ad illum feretur: qua è re & pallor multus sequetur, & corporis ipsius non parua debilitas, quod quidem & modicum erit, & propter latentium humorum defluxionem, imbecillum ac ualetudinarium. Quinetiã natus ipse uentre, stomachoq; multum laborabit atq; intestinorum doloribus. Ob hanc autem ipsam occultiorum humorum defluxionem & copiã, uitiato magna è parte corpore, generari tandem consueuit hydrops, & quæ aqua inter cutem dicitur, aut podagra, morbusq; articularis, aut quitum uulgo caducus, tum comitialis uocatur, aut laterum dolor, aut neruorum distentio, aut pulmonum uitium, aut longæ grauesq; ualetudines, quæ natum conficiant: morbi autem, ægritudinesq;, quarum Saturnus autor est, plerunq; ab atra bile originem ducunt, quanquam non raro etiam à pituita. Nec uero his ab humoribus oculi tuti erunt, nam & suffusionibus, lippitudineq; sæpius offendentur, & ubi uis maior ingruerit, forte etiam illis capientur. Caput quoque non solum doloribus infestabitur, uerumetiam aut caluitio, aut depilatione afficietur. Hæc autem uitia magna è parte minuentur, ubi in tradendo dominatu Luna crescenti ad Saturnum feretur lumine: quippe cum Saturnus ipse crescentis Lunæ familiaritate lætetur, ab eiusq;

eiusq; humore tepefacto iam de Solis irradiatione refocilletur, atraq; illa bilis, cui præest, non exiguum adiumentum ab hac ipsa Lunæ irrigatione accipiat, ne frigore, ariditateq; nimia occupetur. Minuentur etiam morbi, sanabunturq; ægritudines, ubi aspectus beneficarum stellarum opportuno è loco opem attulerit. Contrà mala ipsa miserum in modum cumulabũtur, ubi malefica hostilisq; irradiatio Saturnum percusserit. Ea deinde quæ ad mores atq; animum pertinent, ita quidem à Saturno suppeditabuntur, ut à natura stellæ humoris q; minime recessura sint. Cum enim Saturno seniles mores insint, multaq; ipse tarditate atq; circumspectione sit præditus, nati cõmotiones, animiq; eius applicationes ac studia naturam hanc sequentur. Quamobrem natus ipse futurus est probus, grauis, cunctabundus, abstinẽs, parcus, prudẽs, graui cõsilio, bona fide, recto iudicio, multa uariaq; cognitione, gaudebit solitudine, sibiq; suaq; rei tantum uacabit, sua consilia suasq; actiones libenter celabit: nam & taciturnus erit, & sua secreta ut lateant alios studebit: iram continebit in pectore, ac uindictæ tempus expectabit, simulare ac dissimulare aptus, solicitabitur uarijs atq; assiduis curis, mentemq; ubiq; cogitationibus occupabit, quocirca & tristis erit, & à risu lætitiaq; alienus, difficilis, morosus, auidus, potui quàm cibo indulgẽtior, cuius deniq; uita laboriosior semper erit, grauibusq; erumnis affecta. Nec uero Aristoteles atræ huic bili frustra tantum attribuit, siquidem pro temperatura frigidi, aut calidi, ac perinde ut in hanc quàm in illam qualitatem uehementius propendet, mores quoq; ingenerat: ubi enim frigidior est, animum formidine multa concutit, calefactior uero securitate ac robore munit: atque ut humor hic naturaliter tristitiam gignit, sic aliquando pro temperatura atq; admixtione, musicæ atque cantilenarum studium ingenerat. Cum enim uita nostra calido ita consistat, ut frigido temperetur, atque inde uita conseruetur, bilis hæc atra per corpus ipsum diffusa ita se tum frigori, tum calori insinuat, nunc plus nunc minus, ut pro mixtura frigidi, aut calidi, alteriusq; aut utriusq; illorum temperatura ad uarios mores applicationesq; diuertat. Harum autem temperationum ac mixturarum princeps causa Saturnus est, perinde nanq; humorem suum & miscet & temperat, atq; ab erraticis ipsis conspectus est, itemq; uti à signo in quo fertur, & ab eius ac finium dominis afficitur. Si enim Luna crescens ad Saturnum fertur, quo tempore genituræ illum præficit, natum efficiet honoris cupidum, animumque eius eriget atque efferet, elatumq; inflabit adeò, ut superbus admodum insolensq; euadat. Luna enim crescens (ut diximus) ac præsertim ubi ad plenitudinem accedit, non solum abundat humido, quo Saturni humectare ariditatem queat, uerum quia tepefit iam à Sole multum irradiata, frigescentis illius uires magnopere refo-

cillat. Atqui, ut ante à nobis dictum est, bilis atræ uis ubi concaluit, flatum multum excitat, spiritusq; uehementiores facit. Quocirca animi inflationẽ, & superbiã, & honoris appetitionem Saturnus Lunæ sic commixtus ingenerat. Contrà ubi Luna decrescens quidem, atq; imminuto iam lumine ad Saturnum fertur, quia frigiditate atq; siccitate sua Saturni frigus aridi-tatemq; quodammodo obtorpefacit, atraq; illa bilis refrigescit admodum, qui hoc in statu in lucem uenit, futurus est sordidus, abiectus, despicabilis, atque in assiduo ferè luctu, squaloreq; uersabitur, atq; eo magis si Saturnus ipse à Luna conuentus fuerit, uel in sua Lunæ ipsius domo, uel Martis in domicilio aut finibus. Quod si in Mercurij domo, aut finibus hæc contigerint, atra illa bilis afficietur adeò permixtione ab hac, Saturnusq; perinde ut peste quadam infectus ita ægrotabit, ut nati illius animum peruersis, ac maxime corruptis moribus, applicationibusq; inficiat: quippe qui futurus est periurus, maleficus, uenenarius, quiq; parentes, fratres, cognatos hostili etiam animo insectetur. Profecturæ autem è bonis humorum commotionibus uirtutes, rectisq; è propensionibus, mirum in modum augebuntur. E malis uero ac pernicioſis prouentura mitigabuntur uitia, quoties beneficarum stellarum aspectus opportuno ac beneuolo è loco decernentem hæc Saturnum radijs suis inhibuerint. Tertio autem loco, quoniam de fortunæ bonis ratio habenda est, si genituræ gubernaculum accipienti Saturno, opportunoq; in loco collocato, opportuno etiam ac felici è loco beneficæ stellæ suffragium contulerint, sitq; diurna genitura, quoniam die Saturnus gaudet, perinde ut atra bilis refocillatione caloris, ipse uero aut sua in domo, suisue in finibus, aut in Solis hospitio, aut in domo aut finibus Iouis collocatus fuerit, quoniam atra bilis, & quod nigrum fel à quibusdam etiam doctis uiris uocari uideo, sanguinis, hoc est humidi calidiq; admixtione uehementer gaudet, ipseq; Lunæ, ut dictum est, augescentis societate lætatur, natus ille futurus est nobilis, præclarisq; in actionibus ac negotijs uersabitur, honores, dignitates, magistratusq; eos cõsecuturus, quos signa, loca, signorumq; ipsorum domini, eorumq; configurationes pollicebuntur. Qua quidem in parte exacte adamussimq; tractanda, mathematicum ipsum non minori solertia prudentiaq; uti uolumus, quàm in ægritudine curanda, morbisq; sanandis, ut sæpius à me dictum est, medicum, atque eo magis, quod medicus mathematici opera consilioq; adiuuari plurimum potest. Generaliter autẽ Saturnus ab uxore, ac liberis, nati animum propter frigus, hoc est lentitudinem, tristitiam, remissionem, sanguinisq; ipsius relaxatum habitum abalienat. Itaq; nec alienum ab eius stella est quod fertur in fabulis, Saturnũ filios uorare solitum, propterea q; Cybelen uxorem mentiri solitam lapides se esse enixam. Vitæ autẽ subsidia aut humidis è ministerijs, aut aquo-

sis in

sis in locis Saturnus suppeditat, ac quodcunque præstat, magnum per laborem, nec nisi difficulter præstat.

De Ioue genituræ domino. Cap. III.

IVpiter genituræ dominatum sortitus, si diurna genitura fuerit, Lunaq; luminosa, nati corpus moderata admodum compage formabit, nam & multo illud irrorabit sanguine, & membra decora compositione disponet, faciem quoq; honestis oculis, & caput multo capillo adornabit, candorem per totum etiam corpus diffundet, quin pedum quoque incessum digna quadam motus compositione nobilitabit. Decorum hunc corporis totius statum comitabitur nitida quædam mundities, atque ab ipso Ioue gestus magna cum dignitate concessus. Ipsam autem corporis tam honestam fabricam dignæ quoque fabrica corporis animi proclinationes sequentur, quales natura quidem ipsa sanguinis mouet. Siquidem natus ille cuius Iupiter patrocinium suscepe-rit, magno erit animo, magna etiam honorum appetitione, laudis quoque ac gloriæ permulto ducetur studio, apud quem fides, rectitudo, integritas primæ semper futuræ sunt. Idem erit amator honesti, defensor æqui, publici item boni procurator & autor, cum amplis ac primarijs uiris conuersabitur, eiusq; cõsuetudo ubique probabitur, simplicitatẽ colet, amicitiam seruabit, beneficentiã promiscue exercebit. Idem erit in agendo efficax, in præcipiendo imperiosus, in iudicando rectus, ac supra generis, maiorumq; facultates seq; resq; suas ostentabit, uxorem uero ac liberos incomparabili affectione complectetur. Nam & Iupiter propter sanguinẽ prolis est cupientissimus, quando generatio ex humido calidoq; fit, & uxor prolis causa ducitur, nuptiæq; huius rei gratia comparatæ sunt. Hæ autem, ut diximus, animorum propensiones sanguinem sequuntur, sanguinisq; temperationem, quem Iupiter pro sua erga stellas alias configuratione moderatur. Quocirca si in obeundo genituræ magistratu Iupiter in primis cœli cardinibus, in signo suo, suisue in finibus, aut in altitudine sua collocatus fuerit, aut in domo Solis, seu in Solis altitudine, cuius diurnam conditionem sequitur, sitq; genitura ipsa diurna, Lunaq; luminosa ad Iouem ipsum feratur, nec aut ipse aut Luna maleficarum stellarum aduerso infestetur obtutu, nati illius summa prorsus felicitas futura decernitur, omniq; è parte consummata, nã & quod ipse cupierit, è sententia consequetur, & fortuna illi fidelis constansq; futura est, & uitæ à Ioue decretos annos integros explebit, & in liberis usqueadeò fortunabitur, ut illorum etiam meritis ac uirtutibus domesticus honor accrescat. Contrà hæc ipsa prorsus irritabuntur, aut ex parte plus minusue minuentur, si Iupiter aut

infeliciter omnino collocabitur, aut ex parte, quæcunq; ea sit, dignitas eius maiestasq; minuetur. Naturaliter autem Iupiter natum cuius genituræ curam susceperit, multis animi dotibus adornabit, honestas & generosas uisionũ formas eius in pectore exuscitabit, exuscitatas animo repræsentabit, multa deniq; cõmendatione ac laude mores eius, actionesq; prosequetur. Quas ob res idem mihi de Ioue propter sanguinem dicendum uidetur, ac sentiendum, quod de uerno quidem tempore: qua in anni parte & humidum calido moderatissime consentit, & noctes item concedunt diebus: qua etiam tempestate uenti genitales sunt, flatusq; maxime temperati spirant, ac terra, aër, aqua amabili quadam temperatione & fouentur inuicem, & conciliantur.

De Marte genituræ domino. Cap. IIII.

IGnem tradit Aristoteles nihil penitus ex se gignere, quamuis idem ipse sit autor, minutissima quædam animalia, ut è niue uermiculos quosdam, ærarijs in fornacibus Cypri, in quibus Chalcites lapis excoquitur, enasci, eaq; extra ignem minime uiuere. Ex eo autem Romani Vestam eandem & ignis deam & uirginitatis putauere. Igitur ut ab ustilatione illum atq; ab efferuescentia maiores nostri sterilem esse arbitrati sunt, sic calorẽ è contrario, quod tepefaceret, quod etiã foueret, fœcundũ, nec generationis solum, uerũctiam alimentariæ decoctionis autorem dixere. Hic itaq; ipse ignis incendio demum suo conflagrata cuncta conficit, atq; in cinerem redigit ac carbones. At calor propter moderationem et gignit, & quæ genita sunt, educit, atq; conseruat, cõcoquendo alimenta, sparsimq; per uenas & corpus digerẽdo ea, eandemq; etiã ob moderationẽ actiones et ipsas hominũ ac mores temperat: quantũ nanq; ad feruorẽ à calore propius acceditur, tanto longius à moderatione receditur. De remissione enim caloris fit tepor ille moderatus & frugi, secus atq; de inflammatione incendiũ raptim cuncta excedens atq; conficiens. Cum itaq; Mars ob insitũ feruorem sit intẽperatior, quoties genituræ cuiuspiam dominatũ accipit, et corpus corporisq; compaginẽ, & mores qui compaginem ipsam corporis, humorumq; sequuntur admixtionem, moderari non nisi intemperanter potest. Quid enim à nimio calore, qui iam efferbuit, ac suapte natura urendo cuncta conficit, sperari aut expectari nisi immoderatum, breuiq; interiturum potest? præsertim si Luna quo tempore dominatum Marti permittit, luminosa, atque eo magis si plena fuerit. Quocirca nati illius corpus nimio è calore feruescet, ac sanguine feruentius accenso multis ægritudinibus ac uitijs subiectũ erit, quæ de sanguinis inflammatione generantur. Ac nihilominus corpus

ipsum

ipſum exteriore uſ aut igni, aut ferro illata uitiabitur. Erit hominis eius uultus trux, oculi fœdi, ac ſanguinolenti, capillus ruſus, color ignitus, ſtomachus ualentior, quiq; multum etiam cibum facile concoquat. Sermo arrogans, impetus uiolentior, quæq; aliæ uel affectiones, uel uitia inflammato è ſanguine proficiſcuntur, eum infeſtabunt: uitioſum, intemperantemq; hunc corporis humorem propenſiones primo ac titillationes illæ, quæ ab humore ſenſibusq; excitantur, ſimiles deinde actiones ac mores ſubſequentur: quò fit, ut natus ille futurus ſit aſper, inclemens, inexorabilis. Ira enim ſanguinisq; excandeſcentia illa quæ iram gignit, ac uindicandi libido nihil illum ſequi placabile aut ſuadet, aut patitur. Erit etiam impatiens, nec poteſtati alterius ſubijci ſponte uolet, quin primas ubiq; partis, primumq; ſibi occupare locũ, primos etiam ciuitatis honores iure iniuriaq; contendet. Atq; hac de cauſa erit contentioſus, diuini atq; humani iuris contemptor, præpoſteris cõſilijs, atq; actionibus, cupiditate inſatiabili, manu rapaci & prompta, audacia perdita, animo uiolento atq; imperioſo, mente præcipiti, quiq; & periculis temere ſe obiectet, & facile capiatur, & propoſitum ſæpe mutet. In tanta enim ſanguinis ebullitione & æſtu nullã retinere moderationem poterit, non in motu corporis, non in uerbis, nõ in ipſo uultu: ut etiam in uini uſu ac Veneris ſit non modò intemperatus, ueruetiam beſtiarũ, quàm hominum ſimilior. Deniq; non quam debet aduerſus amicos, uxorem, liberos affectionẽ exhibebit. Felix tamen tũ Iouis, tum Veneris ad Martẽ figuratio, præſertim ubi is in Iouis finibus cõſtitutus fuerit, hanc ipſam intemperantiã, immodeſtiamq; non exigua è parte mitigabit, perinde ut in auſteriori uino uſuuenit, ſi aqua illud diluas: auſteritas enim illa aut extinguetur ab aquæ dilutione penitus, aut uehemẽter ſedabitur. Eiuſmodi aũt eſt erraticarum cõmixtio inter ſe, ipſiusq; commixtionis natura, qualis uini atq; aquæ. Ipſa quoq; morũ atq; humorũ mitigatio tãto maior futura eſt, ſi Luna quoq; in beneficæ ſtellæ finibus inuenta fuerit, et ab ipſis beneficis amice conſpecta. Iulius Maternus tradit futurũ natum illum ducem exercitus, maximis copijs, plurimis etiã populis imperaturum, ſummaq; poteſtate ac licentia functurum, in cuius nocturna genitura Mars in Saturni Iouisue aut domo, aut finibus, aut in ſua ipſius domo finib uſue inuentus fuerit, aut culminans in medio, aut horoſcopans in ortu, aut undecimum, ſeu quintum locum poſſidens, Lunaq; ipſa dominatum exhibens deficienti fuerit lumine, Martemq; ipſum deficiens aſpexerit, Iouiq; cardinem aliquem tenenti triangulari ſe familiaritate coniunxerit. Ac nihilominus in hac ipſa tam felici radiorum mixtura ſi Mars in occaſu collocabitur, poſt multas uictorias, propagatumq; imperium natus ille uiolenta morte periturus eſt, pro natura tamẽ ſigni illius quod Mars ipſe tenuerit,

Tanta autem Martis intemperantia in nati etiam uita actionibusq; manifestißime ostendetur: nam et ruinis, casibusq; præcipitosis illũ obijciet, & aut gladio infliget uulnera, aut partem aliquam corporis franget, præcidetue, aut igne ustilabit, quinetiam rei familiari, partisq; diuitijs, aut ui hostili, aut incendio, aut furto incommodabit. Mortem quoq; uix tandẽ nisi uiolentam decernit, præsertim si aut à Sole, aut à Luna ad hoc ipsum instigabitur. Nam aut laniandum feris obijcit, aut iugulandum latronibus, aut plectendum prætoribus, aut hosti trucidandum, aut repentina saltem morte conficit. Luna autem crescens ac luminosa Martis improbitatem mirifice auget, deficiens uero lenit, secus ac de Saturno diximus. Nec ratione quidem caret, Luna enim crescẽs ac luminosa redditur à Solis irradiatione calidior, quocirca Martis rabiem magis magis q; irritat, atq; accendit: deficiens uero atque imminuta luce, quoniam refrigeratur, & abunde humecta est, temperamentum feruori illius affert, ut cum æstu laborãtes ora, manusq; frigida multa perluimus. Vniersim autem quæ à Marte portendũtur, siue prospera, siue aduersa, siue bona, siue mala, per uim, cædem, rapinam, ferrum, incendia, ruinas portenduntur, mores item intolerabiles, consuetudoq; parum fidelis, aut male probata.

De Venere cum fuerit genituræ domina. Cap. V.

SI uocis humanæ, de qua oratio nostra prodit, uarietatẽ considerabimus, quantaq; hominis cuiusq; in uocali sono differentia insit, cum per uocem non minus quàm per faciẽ alium ab alio internoscamus, mirari profecto desinemus, tantam etiam humorũ mixturis, atq; ex eo humanis moribus, affectionibusq; diuersitatẽ inesse: quæ si moribus ipsis ineſt, ut etiã humoribus insit necesse est. Sunt aũt humores ipsi uariabiles, atq; inuicẽ conuertibiles, perinde ut elementa: conuersiones aũt non sine augmento alterius partis, alteriusq; detrimento contingunt. Augmenta quoq; ac diminutiones sua pro quantitate ita uariant, dum uel additur quippiam, uel demitur, ut omnino difficillima sit differentiæ uarietatisq; huius cognitio, eamq; ob causam mixturarum è quibus uarietas hæc prouenit, quædam penè efficitur, perinde ut quidẽ est infinitudo. Quod si fructuũ, qui ex arboribus proueniunt, diuersitas tanta est, in saporibus, propter terreni succi diuersitatẽ, Solis q; coctionẽ, quid mirum & hanc & maiorem quoque diuersitatem à cœlo, quæq; à cœlo agitantur stellis, eorum quæ cœlesti à motu generantur, fieri? Quoniam autem de humoribus, qui à Saturno, Ioue, Marte excitantur, deq; illorum mixturis, quantum hac in parte satis uisum est, diximus, de Venere iam dicamus, ubi genituræ alicuius domina effecta fuerit.

Vene-

Veneris autem, ut non semel iam diximus, natura benefica est, quemadmodum etiam Iouis. Atq; ut illa Soli in generatione sumministrat ad informandam materiam, sic hæc Lunæ ad suppeditandam illam, formæq; accipiendæ accommodandã. Suggeritur autem à Venere succus, ut ita loquar, humectulus ac frigidulus, ita tamen humectus, ut irroret magis quàm madefaciat, sequaturq; roris potius naturam, quàm hymbrium: ita etiam frigidus, ut facillime intepescat. Siquidem tepor quàm feruor generationi est accommodatior, ac suapte natura magis aptus, unde rerum harum terrestrium prouentus uere fit, propter teporem, non autem æstate, dum ob feruorem penè arescunt, atq; exuruntur in agris cuncta. Genituræ igitur Venus domina, tum nacta corporis nati fabricam, nequaquam negligit: nam et illud producit, propter humoris ubertatem, & candore suo honestat. Ad hæc oculis lætitiam inspirat, ac uenustatem, propter naturã syderis, quod fulgentissimum est, suoq; fulgore lætitiam quasi quandam intuẽtibus affert, capillo etiam multo caput integit, illumq; uenuste ac molliter flectit, stomachũ ita munit (est enim appetitionis excitatrix) ut facile cibi genus omne concoquat: gignendæ proli, generiq; propagando multam cupiditatẽ, multum etiam semen suggerit, potus uero quàm cibi appetitum maiorem excitat, humidis enim magis delectatur. Si qua uitia corpus infestatura sunt, ea naturalibus in partibus, quibus præest, potius apparebunt: mortes uero naturales quidem futuræ, eaq; non sine commendatione & gloria, propter naturæ beneficentiam. Implebit autem natus ipse integrum annorum numerum, si Venus in suscipiendo genituræ patrocinio feliciter collocata fuerit, neq; à maleficis stellis ulla ratione irradiata. Mores autem ac simulacra illa, quæ animo ab humoribus ac sensibus offeruntur, naturam ipsam sequentur humorum. Siquidem nati commotiones hilares, iucundæ, ac uoluptariæ futuræ sunt, itemq; delitijs, luxui, rebusq; amatorijs, ac uoluptarijs uacaturæ. Beneficentiam natus hic colet, amicitijs studebit, quarum erit obseruantissimus: propter pietatem, iustitiam, misericordiam, religionem, à natura insitam, gratus erit omnibus, ac publice diligetur: quæ enim communem in usum ac publicum conferuntur in bonum, ea populos mirifice delectant: abhorrebit à turpibus ac sordidis, capietur munditijs, leporibus, cultu, ornatu, nitore, elegantia. In uniuersumq; uita eius uersabitur in ijs, quæ lætitiam ac uoluptatem afferant, Veneris q; in rebus, ac præsertim musicis occupabitur, pro natura tamen signi, in quo Venus ipsa feretur genituræ tempore. Felicitas autem nato maxima promittitur, quoties Venus genituræ tempore feliciter collocabitur. Itaq; neutiq; pigebit hac in parte ea referre, quæ à Iulio Materno traduntur. Etenim si Venus in medio cœli, aut in horoscopo, aut in quinto, undecimóue loco inuenta fuerit, atq; in domo,

altitudine, finibúsue suis, & à deficiente Luna dominatum acceperit, fuerit q; à Ioue triangulari radiatione perspecta, aut Luna imminuto lumine ad Venerem feratur, Saturno nullum testimonium perhibente decernit dignitates maximas, ut puta præfecturas, præturas, fasces, consulare imperium. Quocirca primarijs in locis collocata claros atq; illustris eos reddit, quorũ genituræ patrociniũ susceperit. In locis uero deiectis musicæ studiosos faciet. Quod si Venerẽ deiectis in locis mœrentẽ Saturnus cardinaliter percusserit, Lunaq; ad Saturnum feratur imminuto lumine, aut ad Martẽ luminosa, natorum animos impuræ, illicitæq; libidinis cupiditate fœdabit, assiduis q; calamitatibus illos afficiet. Peruersæ nanq; Saturni Martisq; cõmixtiones, & item Lunæ, beneficam prorsus Veneris naturam peruertũt, munditiamq; eius corrumpunt, & corpori, & animo, fortunæ quoq; rebus labem maximam afferunt. Consucuit autem bene collocata inter cætera bona, prolis quoq; fœcunditatem impartiri, magnamq; è filiabus præsertim lætitiam afferre. Optandum autem est in marium genituris, uti Veneris stella matutina sit, in fœmellarum uero, ut uespertina, cum sit fœmineus animus emolliendus, uirilis uero magis ac magis generositate adornandus.

De Mercurio genituræ domino. Cap. VI.

MErcurius genituræ patrocinium assecutus, gracile nati corpus efficit, illudq; etiam pallore inficiet, propter nigri fellis naturam, honestabit tamẽ faciem oculorum pulchritudine ob Solarem familiaritatẽ, mores autẽ ob cibi, potusq; temperantiã cõmendabileis faciet, quando ingenio quàm corpori Mercurius uires maiores sufficit. Quia uero nati corpus atra bile magnopere insperget, eáq; suscipiendo calori admodum parata est, natus ipse ingeniosus, facundus, & cordatus erit, condiscendisq; scientijs deditus. Ac mihi quidem atra bilis qua Mercuriales uiri multa abundant, non alia natura prædita uidetur, quàm ea quæ hodie à rusticis esca dicitur: admota enim scintillis percusso è silice excusis, ignem è uestigio concipit, sensimq; diffundit, ac diffusum diutissime fouet. Quocirca Mercuriales uiri & libenter, & facile discunt, & ad quæ contendunt, ad ea proprijs ingenij uiribus perueniunt. Ineſt autem eorum ingenijs mira sciendi cupiditas, propter humoris naturam, mirum secretarum rerum cognoscendarum studium: siquidem sciendi cupiditate sæpenumero publicis à negotijs abstinent, sibi tantum uacantes: plerique autem solertes sunt ac negocioſi, commerciáque summa cum fide tractant: ijdem amicitijs dant operam, quas constantissime etiam seruant. Est enim rationis proprium, cui Mercurius præest, tueri ac conseruare quæ sibi quisque iam parauerit, eaq; parare sibi uelle quæ maxime uidcantur profutura.

ra. Quid autem amicitia utilius? quid etiam conseruari dignius? Fratres, cognatosq; summa beneuolentia complectentur, iustitiam colent, religionibus ita dediti, ut non nihil etiam superstitione peccent. Frugi uero admodum, atque utiles erunt. Quarum quidem affectionum, ac uirtutum ratio ipsa magistra est, utpote morum nostrorum optima institutrix. Eorum autem census resq; familiaris plerunque ex literis, ac literarum opera comparabitur. Quinetiam propter eloquentiam, ac consilium (nam & rationis, & orationis formator est Mercurius) assequentur honores ac magistratus, fungenturq; legationibus, ac publica tractabunt munera, pro natura tamen signi, in quo Mercurius genituræ tempore compertus fuerit. Aspectus quoque aliarum stellarum ad eum, alios impellit ad Poëticæ studia sequenda, alios ad aduocationes exercendas, alios ad naturales causas inquirendas, alios ad has, aut illas disciplinas adipiscendas, ut in uniuersum quidem Mercuriales ipsi ingenium exerceant, euadantq; in literis, ac disciplinis clari. Quorum etiam ægritudines, quæ corpori accident, plerunque è coactis contingant humoribus, quorum etiam uitio diem illi tandem obeant. Quia uero Mars, Venus, ac Mercurius artis etiam natorum, actionesq; dispensant, quoties cõtingat eorum aliquem & artis decernere, & genituram simul moderari, duplicata magistratus autoritate uiribus eo pollentioribus utetur in utranque felicitatis, aut infelicitatis partẽ, atq; in utriusq; fortunæ euentum.

De Sole & Luna circa dominatum genituræ. Caput VII.

QVoniam autem principia generationis, & causæ ad Solem referuntur ac Lunam, quæq; ad corpus spiritumq;, id est ad uitam atq; animalitatem spectant omnia, non est hac in parte negligendum, quid Sol, quid Luna à genituræ domino in socios asciti familiaritate etiam sua conferant. Etenim licet uitæ totius autores sint, licet cuncta moueant, moderenturq; quæ ad corpus, ac spiritũ pertinent, sæpenumero tamen genituræ curã singulari quodam studio cum domino ipso suscipiunt, idq; hospitij iure, cum Sol, Lunáue in signo, finibúsue patrocinatoris constiterit genituræ tempore, aut felici illum radiatione intuebuntur. E communicatione enim seu finium, seu domicilij, atq; ex familiari illa irradiatione, familiari etiam cura magis magisq; erga dominum afficiuntur. Quocirca decreta ab illo bona, longe ampliora reddent ac maiora. Sol igitur socius & tanquam adiutor (ut ita dixerim) dominatus illius effectus, quoniam ab eo ratio quæritur, uti supra à nobis disputatum est, natum illum ratione multa adornabit, quam ob rem & sapiens, &

religiosus erit, multaq; tum fide, tum æquitate præditus, magna item moderatione, humanitate, continentia. Ratione enim duce actiones ubique suas moderabitur. Præcipua uero erga patrem ueneratione utetur, atque obsequijs, siquidem Sol in generatione patris locum obtinet. Quocirca nati etiam ipsius corpus non solum bene, uerumetiam pulchre formatũ ac constitutum erit, caput flauo adornabitur capillo, huius enim Sol ipse coloris est autor. Sol autem (nomen enim inde accepit, quod die stellarum omnium solus, id est unus appareat) robur, elationemq; eam nati animo infigit, atque indit, ut propria uirtute honores, censumq; sibi comparet, proprijsq; uiribus ad omnia peragenda nitatur. Si qua uero uitia ex hac Solis societate corpori oouentura sunt, ea in oculis potißimum accident. Lux enim à Sole manat, quæ oculis ipsis est ingenita. Pericula uero ab igne proficiscẽtur, at ualetudines de nimio calore, per uenas ac corpus diffuso. Luna quoque ut socia, particepsq; patrocinij iã suscepti partis etiam suas aduersus natum illum minime deseret: ac tametsi in disponendo corpore signi quoque naturam sequitur, tamen corporis statum longiusculum faciet, propter insitam humiditatem, humidis enim in locis, quam in siccis arbores proceriores proueniunt: quinetiam corpus ipsum pulchritudine membrorum, candoreq; honestabit, illudq; ita afficiet, ut cibo non nisi multo, potu uero permodico contentum sit. Si qua item uitia in nati corpore ex hac cõmunicatione prouentura sunt, ea in oculis similiter prouenient, siquidẽ nocturnæ lucis subministra est Luna. Corpus autem ipsum in parte eius aliqua aut noxijs inficiet maculis, aut scabie, forsitan etiam lepra totum occupabit, aut noxiorum humorum defluxione, omni è parte infirmum illud ac tremulũ reddet, aut membrum aliquod debilitabit, aut peste demum conficiet. Erit autem natus ipse honoratus, splendidus, compositus, quiq; agendis in rebus multo ordine, multaq; ubiq; mensura utatur. Matri autem maxime indulgebit, suumq; quacũq; poterit ratione illi præstabit officium. Luna enim in generatione uicem genitricis obtinet. Fortuna uero nati uaria futura est, atq; inconstans. Quid enim Lunæ motu uariantius? Itaq; natus ipse nunc diuitijs abundabit, nunc rursus laborabit inopia, ut actiones, resq; eius nunquam eodem sint in statu permansuræ.

De quadam generali præceptione. Caput VIII.



NOmni autẽ perueſtigatione illud præcipue animaduertendum est, in rebus quidem plurimis, ne dicam plerisq; inesse natura ab ipsa secretiora quædam, ad quæ humanum penetrare ingenium nullo modo ualeat. Etenim siue partes, siue mixturæ, siue insitæ quædam rebus ipsis uires, potestatesq; eiusmodi quidem

dem sunt,ut non solum ingenio comprehensæ nequaquam sint, uerum sint omnino incomprehensibiles,propter caligationem ipsam uidendi, causarumq; ac permixtionum tenuissimam subtilitatem. Cuius rei diuulgatissimum extat exemplum magnes in attrahendo ferro. Memoriæ quoq; proditum est Antipatrum poëtam,qui diutius etiam uixisset,satisq; ad longam peruenisset senectam, singulis annis,quo die natus esset, à febri correptum,tandemq; eodem ipso natali die,eadem etiam febri mortuum. Vidus Thrasimenus grammaticus apprime excultus, qua tempestate illum audiebam,narrare solebat,grauiterq; etiam queri,se supra quatuor ac uiginti annos quartana continenter laborasse,etsi continentissimis erat moribus,summaq; sobrietate. Itaq; in his ipsis de quibus disserimus, quorũq; causas exquirimus,nequaquam omni è parte humores ipsi è quibus constamus,ita quidem exprimendi sunt,deq; illorum qualitatibus,naturis,permixtionibusq; ratio sic habenda est,ut non quod in herbis facimus,in lapidibus,gemmisq;,itemq; in fontibus,atq; aquis,rebusq; item alijs,obseruemus etiam in stellarum naturis,uiribus,affectionibus, proprietatibus, insitisq;,ut sic loquar,à natura uirtutibus. Quarũ quidem rerũ effectus ipsi sint testes,operaq; oculis ipsis exposita,ad hæc plurimorũ seculorũ continuata obseruatio,ipsius itẽ obseruationis uigilantissima diligentia et cura.

Octaui libri de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD A. COLOTIVM BASSVM, De rebus cœlestibus Lib. Nonus.

PROOEMIVM.

OCEANVM qui primi philosophati sunt A. Coloti,rerum omnium parentem dixere, principia generationis ad illum referentes. Arbitrabãtur enim aquas, humidumq; omne originem ab illo ducere, atq; ab humido manare generationem. In ipsam autem generationem perinde ac in Oceanum flumina, aërem rebantur influere, qua parte humidus esset, atque irriguus: Ad hæc conuenire etiam generationis gratia cum occano terram,quod uenarum, fontium, fluminum origines perinde ut mater omnium & clauderet intra aluum, & pòst etiam relaxaret. Nec inepte,

nec insipienter hæc illi & senserunt quidem in scholis, & posteritati tradidere opinanda. Neq; enim terra sine rore, sine pluuijs, sine humecta euaporatione nocturni præsertim temporis, rerum generationi satis esset, neque aut roris, aut hymbrium, aut exhalationis origo absque aëris beneficio esset ulla. Quid quod neque terra, neque aër aut emittendo, aut accipiendo uires exercere suas posset, nisi aqua, id est rerum pater Oceanus & terræ se conciliaret frigiditate, & aëri humectatione? Ac nihilo quidem minus hæc omnia perinde ut nauis in alto mari constituta sine flatu non habet quem se in portum prouehat, aut quã in oram applicet: sic ipsa absque Sole, & calore (Sol enim caloris fons est) tanquam duce carerent suo: neque enim terra aut quid foueat haberet, aut aqua unde foueretur. Cũ enim terra sit et aëris, & aquæ receptaculum, ac dolium quasi quoddam, ut familiaris meus Petrus Compater usurpare solet, calorem quoq; externum sic admittit, ut interiores etiam ignes alat. Recte igitur putauerunt rerum semina propter elementorum commixtiones in terra esse abstrusa, uenisq; illius insinuata, eaq; ab humore distillatim irrorata, atq; à calore sensim, ac quamtenerrime fota, animam postmodũ calefactione ab ipsa sibi arcesserent, indeq; hæc omnia, quæ uidentur, quæ sentiuntur, quæ pòst mente animoq; agitantur, proficisci. Rerum igitur generationi illorum etiam sententia aptissima est terra, quippe quæ cæterorum etiam elementorum receptaculum sit, quoddamq; quasi penu. Ex humoribus aũt qui nostro continentur corpore, imò qui corpus nostrum cõstituunt, nigrum fel, quæq; rectius atra bilis dicitur, terræ est quamsimillima. Atque ut è terra omnia per calorem prodeunt, ipsaq; seminarij cuiusdam uicem gerit, sic nigra è bile, ubi concaluit, tanquã seminario è quodam pullulant tum simulacrorũ, tum cogitationum germina, quæ deinde in hominũ ingenijs in agro quasi quodam fruges ac fructus quamuberrimos proferunt: atq; ut terra ipsa uarietate quidem utitur, diuersas tum herbas, tum arbusculas, resq; alias, nõ uno gignens modo, seminum diuersitatem ac succi qui solo inest, secuta, sic uaria etiam hominum proueniũt ingenia alijs atq; alijs artibus exercendis, pro bilis ipsius tẽperamento ac mixtura. Quid quod ut quandam esse infinitatẽ uolũt seminum, quæ terræ insunt, sic infinita quoq; sunt semina atræ bili naturaliter indita, quæ tametsi finita ipsa sunt, cõmixtione tamen ac temperatura efficiuntur infinita. Hoc autem ita esse docent tot arbores, tot herbæ, tam diuersæ res è terra quæ prodeunt, tot item ingeniorum propensiones, tot artes atque inuenta, quæ atra è bile prouenium̃t, ut non minus fortasse innumerabiles ingeniorum sint, quàm arborum, quàm herbarum uarietates, rerumq; aliarum. Nec si monstra quocunq; in genere, ut perfectas terra res procreat, non etiam bilis atra monstrosa

ſtroſa quoque producit ingenia, cum quoſdam tum ſtupidos faciat, tum etiam inſanos. Vnuſquiſque igitur ſana quidem mente præditus, qui terræ naturam conſideraverit, mirari deſinet, cur tam multa his in libris, ac tam ſæpe à nobis de nigra dicantur bile, quippe quæ perinde dicantur atq; de fomite uberrimo tum eorum quæ ad ſapientiam, rerumq; cognitionem, atque ad artium ſpectent excellentiam, tum illorum etiam quæ contrario modo ad ignorantiam, inſpicientiam, furoremue pertineant. Non ſanguis, non pituita, non chole, quæq; hodie cholera dicitur, firmitudinem, aut ſoliditatem habet in ſe ullam, non aër, non ignis, non aqua, quam tamen habet terra ex elementis ſola, habet & bilis nigra ex humoribus una. Propendet melancholici cuiuſpiam ad honores, atque ad imperium dominandi cupiditate mens incita, omnis uiri eius cogitatio, omnis item actio in hoc intendit, totus atque aſſiduus in eo eſt, nihil agit aliud, nihil meditatur, unum denique hoc illum delectat. Qualis igitur hic poſt modum euadat, Alexander ac Cæſar primi pro menſura item rei publicæ in qua orti ſunt, alij quoque permulti & olim docuere, et hodie quoque docent. Proclinat quiſpiam nigri fellis calore incenſus ad poëticæ, aut philoſophiæ, aut rerum cœleſtium ſtudia, ſola hæc cura illum agitat, ſoli huic rei intentus eſt, ſolum hoc & cogitat & comminiſcitur. Quò autem hæc ipſa cogitando, agendo, comminiſcendo peruenturus tandem ſit, teſtes ſunt Homerus, Virgilius, Ariſtoteles, Ptolemæus: nec noſtro deſunt tempore qui teſtificari hoc ipſum ualeant. Applicabit aliquis ingenium ad muſicam, ad picturam, ad ſculpturam, aliasue ad artis, eamq; in rem curas, cogitationes, ætatem omnem ſuam conferet, nigra illum bile cogente. Quam uero ingenij, laborumq; ſuorum laudem, ſtudioq; è ſuo quam etiam gloriam relaturus ſit, Apelles, Liſippus, Praxiteles, Ioctius, alijq; in arte ſua noti artifices, non pauci declarare abunde poſſunt, quippe qui nomen ſibi æternum inde comparauerint, & noſtra ætate attentent idem non rari etiam in diuerſis artibus. Hæc igitur ipſa bilis cum firmitate ſimul, atque aſſiduitate illa, de qua dicimus, cogitationis, ſtudijq;, ducit etiam ſecum comites delectationem, ac uoluptatem: eaq; tanta eſt, ut in eius unius rei adeptione ſummum ac peculiare bonum collocatum exiſtimet, præterq; illud aliud nihil aut expetat, aut ſequatur. Quid quod delectatio, uoluptasq;, quam ſanguis, chole, pituita aut afferunt, aut ſequuntur, plerunque ad ea quæ corporis potius ſunt pertinet? cum ea quæ è nigra manat bile, hoc in genere animi ſolius uideatur propria. Firmitas itaq; tanta illa cum aſſiduitate ac delectatione coniuncta pertinacem illam nauat operã, quam iure Cicero rerum omnium expugnatricẽ appellat, quæ humori huic à natura eſt addicta. Atque hoc quidem in campo A. Coloti ius potiſſimum

exercet suũ Saturnus ac Mercurius, alter propter naturæ similitudinem, alter propter applicabilitatem. Vt mihi quidem, quod poëtæ de Prometheo fabulantur, ignem Ioui subductum humano inseruisse pectori, cum Sole Mercurius pariter hoc idem uideatur agere, ut acceptum accommodatumq; ab illo calorẽ bilioso ac melancholico illi fomiti radijs suis insinuet, Solaremq; quasi scintillã in illum instillet, è cuius accensione ratio sibi lumen accendat, quo tenebras discutiente, abditæ, ac penitus abstrusæ res in cognitionem prodeant, atq; obscurissimis è latebris ueniant in lucẽ quam apertissimam: quã qui sequuntur, quoniam in luce uersantur, & ipsi quoq; euadunt quamluculentissimi.

De constitutione humani corporis. Cap. I.

HVmani corporis cõstitutio, mẽbrorumq; inter se tam sibi conueniens fabrica siue nullum, siue à Deo (ut poëtæ cum Christianis simul consentiunt) principium habuerit, ita quidem comparata est, ad quæ tractanda ac peragenda natus est homo, ut tum partes ipsæ singulæ, tum membra etiã uniuersa affabrefactim sibi respondeant, moueanturq;, quò sentiens uis, quò etiam animus ipse, ratioq; uocauerit, ut membra ipsa sensus primum, atq; appetitus qui illi coniunctus est, deinde rationis instrumenta non iniuria esse dicantur. Membra autem nostra, ut supra iam docuimus, signifero in cingulo collocata sunt omnia. Ac perinde ut signifer ipse Ariete, Piscibusq; includitur, sic nostrum etiã corpus capite continetur ac pedibus: suntq; sensus nostri quinq;, perinde ut erraticæ quinq;, oculi duo ad uidendum, quemadmodum duo ad illustrandum orbem luminaria. Atque ut cœlum ipsum tam multis ac uariantibus tum stellis, tum lineamentis est conspersum, complectiturque sub se illa quæ quatuor dicuntur elementa, sic nostrum etiam corpus eadem illa continet intra se, ac uenis, arterijs, neruiculis quoque quamplurimis, lineamentisq; dispersum est. Qua de re factum est, ut hoc ipsum corpus, id est homo, minor quidem mundus ab antiquis sit appellatus. Illustrant, humectant, calfaciunt, animant, fouent, alunt, afficiunt Sol & Luna irradiationibus suis cuncta, quas etiam ad effectiones atque ad opera cæterarum simul stellarum contrahunt ministeria & operas. Prospectant ac tuentur de capite, è cœlo quasi quodam, oculi singula, quorum è prospectu, obtutúque cæteri quoque sensus mouentur ad sua quiq; munera peragenda, quin rationi quoque uiam aperiunt, quam ingressa ratio animam ipsam sic nobilitat, ut hominem tandem Dei ipsius opificium sint qui dicere ausi & olim fuerint, & nunc qui Christiani sumus, hoc ipsum ita uere factum esse pertendamus. Neque iniuria Cicero ab

ro ab oculis profectam esse Philosophiam testatur, & tanquam gratulatur illis. Quemadmodum igitur sensus ipsi omnes, omnes item corporis partes in ijs consentiunt, quæ ad conseruandam corporis compagem hanc faciunt, in ijsq; peragendis, quorum gratia procreatus est homo, sic stellæ ipsæ omnes cum Sole ac Luna simul conueniunt ad illud fabricandum. Nec mirum igitur, nec irrationabile, tam uarias ingeniorum species, tam diuersas etiam hominum effigies gigni: cum tam multæ simul causæ ad constitutionem ipsam conueniant corporis, eæq; in motu semper sint, continuisq;, quinetiam innumerabilibus mixturis implicentur. Quoniam autē corporis actiones longe prius apparent, quàm quæ sunt animi, siquidē animus pedetentim, progressimq;, ac non nisi multis etiam post genituram annis ad agendū progreditur, donec instrumēta ipsa corporis ad maturitatē iam peruenerint, de corporis prius constitutione, hoc est specie, temperaturaq; dicemus: Cum præsertim uideamus liberos ipsos sæpenumero ore, naribus, oculis, genis, uniuersa facie, membris etiam singulis suis à parentibus longissime differre, quod nisi à cœlo & stellis, stellarumq; commixtionibus euenire nullo modo posset. Quod ut facilius intellegamus, prius hæc considerandæ magna etiam diligentia, summaq; ratione uidentur.

Diuersitatem corporum proficisci è commixtione stellarum. Cap. II.

PRincipio ut quatuor sunt elementa, quatuor item qualitates naturaliter illis insitæ, sic annus ipse, sic dies, sic uita etiam nostra qualitates eas sequitur: ut prima & anni & diei & uitæ nostræ pars sit cum primis humida, progressim tamen ad calorem accedens: secunda calida, atq; à calore uergens in siccitatem: tertia ficca, declinansq; in frigidum: quarta frigida, atq; in humidum proclinata. Hæ qualitates quoniam assiduo sunt in motu, alternaq; in conuersione, quo generatio ipsa ad perpetuitatem sibi constet, nec materia sit unquam informationi defectura, Lunæ decursionibus sic agitantur, ut in orbem abeant, cōuertanturq; alternis. Atq; ut uitæ nostræ quatuor sunt partes, eæq; ætates uocantur, sic lucis atq; illustrationis Lunaris quatuor etiam sunt tempora. Vtq; animantium uitæ autor est Sol, sic etiam Lunaris illustrationis idem & autor est & causa. Luna igitur pubescens, atq; in prima, & tanquam puellari ætate cōstituta, donec ad dimidiationem (sic enim appellare placet) peruenit, inferiora hæc sic humectat, ut à Sole calefacta per singulas dieculas, paulisper tamen & ipsa quoq; calefaciat. A dimidiatione autem ad plenitudinem ita calfacit, ut sensim etiam siccitatem inducat. A plenitudine uero secundam ad dimidiationem sic exiccat, ut pedetentim frigus exu

ſcitet, inde ſenile frigus adeò excreſcit, ut paulatim etiam puerile illud humidum reuocet, ſuumq; in orbem reuertatur. Qualitates autem hæ & Lunæ & ſtellis omnibus agendo quidem inſunt, neutiq; autem patiendo, quippe quæ afficiant, non autem afficiantur. Quocirca ætatum eadem, alternandarumq; qualitatum ratio in erraticis etiam ſtellis tenenda eſt: ſiquidem ex quo à Solis coniunctione, atq;, ut proprie magis loquar, fœtura digreſſæ apparere iam incipiunt, quod mane quidem contingit ante Solis exortum, unde matutinæ à noſtris, ἑῶαι à Græcis dicuntur: quo tempore tanquam puberſcentes in elementis ipſis, compoſitisq; ex ijs corporibus humidum uehementius exuſcitant, atq; ad incaleſcendum inuitant, donec conſiſtere iam incipiant, primamq; in ſtationem applicent, unde ſtationariæ à noſtris, à Græcis στηριζοντες uocatæ. Toto autẽ hoc ſtationis primæ tempore & caleſaciunt, & ſenſim calefaciendo ariditatem inducunt. At ubi ſecundam in ſtationem perlatæ fuerint, tanquam autumnalis qualitatis ſtudioſæ & uehementer exiccant, & paulatim etiã frigus euocant. Poſtquã autẽ tũ occidentales effectæ ſunt tum etiã ueſpertinæ, quas occiduas ſunt qui uocẽt, & Græcè δυνοντες dicuntur, ac dyticæ, tanquam inducere ſenectutem rebus his ſtudeant, frigus multum ac cum ipſo frigore pedetentim humidũ arceſſunt: indeq; ad Solem reuerſæ, & quaſi ab illo renouatæ, genitaliq; eius calore fotæ ſuũ in gyrum, orbemq; ſolitum reuertuntur. Zodiacus quoq; circulus per quẽ erraticæ diſcurſant, in quatuor etiam quadrãtes, hoc eſt ætates quaſdam diuiſus eſt. Ipſæ autem ætates à Solis decurſu, qui & dierum, et anni, & temporum autor eſt, rationem ac legem accipiũt. Primus enim quadrans, id eſt prima ac puerilis annorum ætas uer cõſtituit, ſecundus æſtatem, tertius autumnum, quartus hyemẽ: quarum quidem ætatum ſingulæ ſuas etiam qualitates quo iam diximus ordine, ac lege ſortiuntur. Verum de orbe ipſo ſignifero, quæ officina quaſi quædam generationis eſt, per quem medium Sol incedit, rebus his inferioribus proſpiciens, & item Luna, atq; erraticæ ſimul quinq;, aliquanto uberius diſtinctiusq; diſſerendum uidetur, quo ratio ipſa commixtionum ad generationem tanquam diuerſis è fontibus proſluentium manifeſtior appareat, magisq; explicata. Quanta uero commixtionum ipſarum uis ſit, quæ etiam diuerſitas, exemplo cum literarum, dictionumq;, tum orationis ipſius appoſitiſſime declarabitur. E connexione namque, mixturisq; literarum cõſtituuntur ſyllabæ, è ſyllabis dictiones, è quibus póſt oratio ipſa conſtruitur. Ex literis igitur A. ac B. cogitur Ab, ſyllaba, ſuam ſibi ſtatim ſignificationem apud Latinos adepta. Ex E, item & O, uocalibus literis (nam aliæ uocales, aliæ conſonantes ſunt literæ, aliæ item mutæ, aut ſemiuocales) cõflatur uerbũ Eo, quæ dictio ſuam quoque ſignificationẽ cõſtitutione ex hac nanciſcitur. Duas has dictiones unũ

in cor-

in corpus si redigas, constitues uerbum Abeo. Ab hoc autem uerbo mutandis atq; addendis literis, neq; enim uno modo commixtio fit, constituitur dictio Abitus, quæ dictio suam quoq; sibi significantiam comparat, ab origine ipsa deductam, mutat tamen genus cum Abeo uerbū sit, Abitus uero nomen. Quod si literæ A, aspirationem adijcias, sequetur illico significantiæ commutatio, eritq; Habitus, tum uestitus, tum institutio illa animi, quæ exercitatione comparatur, ac consuetudine. Quin si huius ipsius dictionis secundam literam quæ est B, in L. uerteris, fiet inde Halitus, cuius dictionis significatio quàm sit à significatione habitus diuersa, docet ipsa dictionis origo quæ ab halo deducitur. Rursus eandem literam B. in V. si uerteris, quartam uero in D. enascetur inde dictio Auidus, cuius significatio diuersissima est ab illis, de quibus dictum est, appellationibus. Ab hoc autem nomine Auidus aliarum commixtione literarum fit auidior, auiditas, auidissimus, item Auidius, Auidienus propria hominum nomina: quæ quidem dictiones tum comparatione, superlationeq;, tum denominatione, & proprietate ipsæ inter se ab origine quidem differunt. Quisi Perauidus dicas, additione ex hac multum etiam roboris addes significantiæ: Contrà si dicas Auidulus, demas atq; imminuas. Inflexiones autem ipsæ, declinationesq; uerborum, ac nominum è literarum quoq; mixturis proueniunt addendo, demendo, mutando, geminando, ut pello, pellebam, pepuli, pepulera m, pellam, propello, impello, compello, expello, repello, Aequus, æqui, æquo, æquum, æquior, æquissimus, iniquus, iniquior, iniquissimus, æquitas, iniquitas. Eademq; ratione & uia in cæteris omnibus. His igitur è syllabarum dictionumq; conglutinationibus fit orationis tanta diuersitas, ut maior esse nequeat, existatq; sermonis humani in infinitatem abitio. Hūc itaque in modim maxime sese habent tum corporum, figurarumq;, tum etiam ingeniorum, atq; applicationum uarietates, quæ de commixtionibus stellarum, radiorumq; ab illis defluentium commixtionibus manant, quæ ignotis quasi quibusdam è meatibus profluunt. Atq; ut è literarum commixtionibus diuersis formæ quædam statuuntur dictionum, è quibus innuitur actiuitas, passiuitas, neutralitas, communitas, frequentatio, diminutioq;, uerborum ac nominum, siue denominatio, aptitudoq;, siue comparatio, ac superlatio, uocum item claritas, obscuritas, lenitas, asperitas, acumē, obtusio, celeritas, tarditas: atq; ut è dictionum structuris suam in seriem redactarum, auditorum comparatur impulsio ad hilaritatem, tristitiam, seueritatem, leuitatem, risum, iocum, lacrymas, lætitiam, uindictam, clementiam, atque ad affectiones alias: Sic è stellarum ac signorum mixturis, irradiationibus item, configurationibusq; diuersis uarie differenterq; effigiantur hominum corpora, proueniuntq; ingenia tam diuersa, pro ea uarietate, quam

corpora ipsa referunt. Ne autem à literis ipsis, dictionibusq; recedamus, nomen hoc honus sonorem nec insuauem, & satis quidem plenum habet. Reddetur autem sonor ipse confestim horridior, si literam R. interposueris, profresq; hornus. Idem continget in similibus conus, & cornus, tonus & tornus, funus & furnus. Contrà lenitur uox, ubi de lerna R. detraxeris, lena enim suauiter sonat: at sonabit asperius, si C. literam præposueris, eiq; aspirans chlenam pronunciaueris. Idem hoc igitur contingit, quoties Veneris stellæ irradiationibus suos Saturnus radios impegerit, quippe qui naturalem Veneris iucunditatem tristitia sua inficiet, sordeq; fœdabit elegantiam. Iouis clementiam ac mansuetudinem Martis irradiatio mutabit adeò, ut quantum ille ad humanitatem nati animum modestiamq; inuitabat, tantum hic ad asperitatem retrahat, moresq; inclemẽtiores: moderationem enim sanguinis chole in immoderationem inflammatione conuertet sua. Ad eiusdem Iouis candorem per nati corpus diffundendũ addet Mars suum etiam ruborem, at Saturnus non parua illum è parte offuscabit. Ad Veneris festiuitatem addet Mars licentiam, Saturnus illam rusticitate inficiet. Saturninus enim humor autor est tristitiæ, ac rigiditatis, cum Venereus lætitiam gignat ac festiuitatem. Sed his iam in hunc modum explicatis ad alia transeamus.

Significri orbis quadrantes ita considerandi sunt, ut quod Luna præstat ob Solis irradiationem, & ipsi quoq; præstent ob eiusdem Solis peragrationem. In quibus idem illud usuuenit, quod in medicorum potionibus: primus enim quadrans, qui uernus dicitur, quanquam tribus constat è signis, quorum primum est igneum, secundum terreum, tertium aërium, ætatem tamen puerilem repræsentat, humescendo primum, pòst in calorem proclinando, non tamen ut signa illa qualitatem non retineant propriam, perinde ut quæ miscentur à medicis, aliud quiddam efficiunt, quàm quod singulorũ est proprium, licet suam qualitatem nequaquam abijciant. Quod idem in componendis persæpe dictionibus in Grammatica disciplina usuuenit: ut in uerbo inficior, quod cum de præpositionis cõmixtione uerbiq; formetur, aliud tamen significet, quàm quod particulæ illud constituẽtes innuũt, quando inficiari est negare. Verbũ Peto, manifestam habet significationẽ, idem tamen cum præpositione Sub coniunctum, aliud quiddam significat, ut cum dicit Plautus: Non suppetunt dictis data. Deductæq; ab illo Suppetiæ auxilium significant. Suppedito quoque uerbum, quod è sub, ac pes nomine conflatur, an non idem præ se fert quod suggero ac subministro? Hæc autem dicuntur à nobis, & afferuntur exempli gratia, quod in ferenda sententia Mathematicus de constitutione corporis, de concretione eius, de ingenio nati, deq; propensionibus plurima simul considerare ac miscere

re

re in unum. Nec uero ijs quæ supra dicta sunt considerandis contentus tantum erit, quin maiore etiam cum parsimonia signa ipsa expendet, & astrictius illorum uires depromet, nec uniuersim solum, uerumetiam per partes signi cuiusq; naturam animaduertet: quando signa humana, & quæ in signifero collocata sunt, & quæ extra signiferum per cœli reliquum sparsa, figuræ ipsi, hominumq; corporaturæ multum etiam conferunt. Nam & membra concinnius disponunt, & quadam cum dignitate, partiumq; conuenientia magis ac magis honestant. Contrà ferina, & bruta, quæq; de belluarum appellantur nominibus, & inconcinnant corpora, & membra ipsa ad suorum potius quàm hominum cõformant similitudinem, præterita mensuræ, ac responsus inter se partium ac membrorum regula. Cumq; species ipsa, corporisq; pulchritudo è membrorum existat inter se conuenientia, deformant planè illud propter inconcinnam partium constitutionem. Ad hæc etiam signorum ipsorum naturæ, potestatesq; acutius inspiciendæ sunt, proprietatesq; obseruandæ. Siquidem Leo, Virgo, & Sagittarius ad concinnandam corporis, partiumq; eius compositionẽ multum etiã opitulantur. Secus autem Pisces, Cancer, & Capricornus, quippe qui partium conuenientiæ, uniuersæq; constitutioni uehementius detrahant. Quid quod eiusdem signi Leonis partes, quæ priores sunt, item etiam Tauri, atq; Arietis bonum corporis habitum, uiresq; ualentiores promittunt? Contrà quæ posteriores sunt partes, corpus imbecillum reddunt, uiresq; eius infirmant. At Scorpij, Sagittarij, ac Geminorum priora quidem corpus debilitant, multumq; de robore illius remittunt. Contrà uero posteriora habitum ipsum corporis intendunt, uiresq; suggerunt uegetiores. Quinetiam & Virgo, & Libra, & Sagittarius membrorum conuenientiæ, æquabiliq; inter se partium responsui magnopere consulunt. Rursus uero Scorpius, Pisces, ac Taurus constitutionis totius mensuram regulamq; abijciunt, nec in disponendis partibus qui deceat modum retinent: quam ob causam de belluarum no minibus signa hæc appellantur, illa uero hominum, singulaq; suam sequuntur naturam, & qualia ipsa sunt, talis artus, talem etiam corporaturam moliuntur. Quod autem Leonis, Tauri, atq; Arietis priora ualentius efficiunt corpus, posteriora imbecillius, non recedit ab illorum natura. Siquidem hæc ipsa animalia, à quibus illa nomen ducunt, ualentissima sunt à prioribus, contrà uero Scorpius, Sagittarius, ac Gemini partibus à posterioribus. Cum autem Leo animal pulchritudinem cum excellentia quadam corporis præ se ferat, uirgineaq; item ætas inter cæteras mulierum ætates præstet, faciesq; humana sit alijs & dignior, & conspectior, an mirum, signa ipsa horum de nominibus insignita in configurandis corporibus eandem si pulchritudinem, concinnitatemq; repræsentant?

si è contrario deformitatem Cancer, Pisces, & Capricornus, tetra in terris, atq; aquis deformiaq; animalia? id quod de signis reliquis uel humanis uel brutis omnino censendum est, seu ad pulchritudinem, concinnitatemq; comparandam, seu contrà ad deformitatem, atq; inconuenientiam. Nec uero aut signorum ipsorum domini negligendi sunt, aut non etiam considerandum, si quibus à planetis signa insideantur. Parentum quoq; ratio est habenda, quando stellæ ipsæ pro natura quoq; uirilis seminis, muliebris q; suas in generatione uires exercent.

De Capillis. Cap. III.

QVoniam autem capillus ad corporis ornatum non parum adiungit, neq; modi unius est in singulis, quinpotius lõge diuersus, idemq; & canescit, & decidẽs caluitium inducit. Ad hæc cum oculi inter cætera animalia solis in hominibus tantopere uarient, nec in eodem illo colore persistant, quem prima obtulit infantia, pauca quædã de his quoq; disseremus, ut cognitis uarietatũ ipsarũ causis, stellarum effectiones facilius ac planius intellegantur. Homo igitur plurimo abundat capillo, nam capite humidissimo est, ac reliquo corpore magna ex parte glabro: neq; enim pilis ex toto uestitur, ut bos, equus, aries, ut cætera generis eiusdem uestiuntur animalia, neque aut cornibus instructus est, ut bos, aut setis intectus, uti sus, in quibus alimentorum excrementa luxuriantur. Itaque quod alijs animalibus nutrimentum, quæq; inutilis materia, aut in cornua, aut in setas, aut in pilos uestiendis ex toto corporibus abit, homini suggeritur in promittendum capillum integendo capiti, atque arcendo frigori, calori, & hymbri, nec minus ornatus gratia. Siquidẽ in constituendo humano corpore non minus huius ipsius ornatus, quàm roboris natura uisa est habuisse rationem. Quia igitur cornibus ac setis nullis est, sed pilo rarissimo ac tenui, neq; tamen hoc uniuerso uestitur corpore, idcirco capillo plurimo abundat, illumq; promittit: quem mulieres longe etiam amplius atq; extentius, quoniam depili mento sunt, glabrioriq; reliquo corpore. Idem autem capillus alijs in hominibus densior est, in alijs uero rarior, crassior in alijs, contrà in alijs tenuior. Cuius rei partim maior minórue suppeditandi excrementi copia existit causa, partim quod crassa è cute crassi, è tenui tenues capilli prodeunt, quam ad rem meatus quoque plurimum conferunt, è cute item rara capilli & ipsi rari, atq; è densa densi è pingui item humore, ut neque facile decidant. Vniuersim autem, licet cutis ipsius terrena natura sit, in his tamen pinguior inest, in illis uero liquidior, magisq; aquosa, è qua tum pili, tum capilli cum oriantur (neque enim gignuntur è carne) ex eo efficitur, ut quod in crassa terreni plus in-

est,

est, ex illa crassi, è spissa uero propter tenuitatem etiam meatuum tenues enascantur. At ex aquosa cute & liquida, in qua scilicet uapor eliquescens abunde cogitur, haud facile, quando uapor ipse facile quoque siccescit, capilli promittuntur, cum è pingui contrà (pinguia enim difficulter exiccantur) in longum abeant. In uniuersum igitur cerebrum humido ab insito capillum alit, proq; illius tum copia, tum temperatione capillus ipse afficitur, qui siue niger, siue flauus, siue rufulus (siquidem ut cæteræ corporis partes consenet) canescit tandem, aut propter nimium rerũ Veneris usum refrigescente nimio plus cerebro, aut ob ingrauescentem iam ætatem annis siue refrigescentibus, siue arefaciẽtibus cutem, ut quidam arbitrati sunt. Siquidem & ossa albescunt exucto humore, & lapides excocti albentem in calcem soluuntur, cera quoque Solis admota feruori candescit defecatis ab illo humoribus. An nõ etiam terra æstiuis exiccata solibus albicat? id quod & puluis apertissime monstrat. Aristoteles tamen ab ariditate non canum fieri, sed durum potius ac rigidum pilum existimat. Itaq; canities ob imbecillitatem prouenit, cuius rei maximũ indicium est, quod pili qui in cicatricibus iumentorum renascuntur, propter renatæ cutis imbecillitatem incanescunt. Gigni autẽ canitiem Aristoteles tradit ab excremento putrescente, quod calor aut propter ægritudinẽ, quæ senectus quædã est, aut propter senectutem ipsam, quæ naturalis est ægritudo, parum illud cõcoquat, ex eoq; fieri ut capillus quoq; ægrotet ægrotante cute: reliquo nanq; corpore laborante è morbo, cutem quoq; laborare par est. Cruditatem itaq; excremẽti, eiusdemq; permulti, putrescendi illius causam esse, putredinem autem incanescendi pili. Quo circa recte canitiem putredinẽ esse quandam existimat: hoc autem ita se habere illud docet, quod qui ob morbum canescunt, ubi ualentiores facti sunt, calore augescente, eoq; excrementũ ualenter cõcoquente, canitiem exuunt. Quod in segetibus quoq; euenit, quæ locis humilioribus ac secundum lacunas sub magnis atq; continuis pluuijs perpallescunt: ubi uero calor exiccauit humidum illud superfluens, tunc propriam resumunt uiriditatem. Prouenire igitur canitiem arbitratur neutique ob ariditatem, sed quod calor ob ingrauescentem iam ætatem perlatum ad cutem excrementum nequeat concoquere, fieriq; ut ibidem collectum putrescat: Senectutem nanque frigidam esse, calore natiuo paulatim destituente iam corpus. Cutem rero ipsam ob insitum colorem, albi aut nigri pili causam non esse in homine, ut in cæteris animalibus, indicio illud esse, quod qui homines albi admodum sunt, pilos tamen abunde nigros habeant, cum in bubus, in equis, in suibus alba cutis album, nigra uero seu rufa nigrum producat, aut rufum pilũ. Aquas quoq; ad pilorum uarietatẽ permultũ conferre, calidas enim albos facere, frigidas uero nigros: alimenti etiam uariantem

uim hoc idem efficere ad colorem uariandum, dum cutis è qua pili gignuntur, alimenti naturam sequitur. Quid quod fontibus ac fluminibus quibusdam eadem hæc uis inest? quemadmodum de Clitumno amne legitur, cuius potandis aquis uaccæ grauidæ albos progignant fœtus. Senilis igitur canities inopia contrahitur atque exilitate caloris nequeuntis alimentum ipsum, unde pili aluntur, defecatius concoquere. Ex quo fit, ut ægrotante cute ægrotet etiam & pilus, & capillus, eaq; ægritudo, imbecillusq; habitus canities dicatur. Cui quidem uitio flaui capilli magis expositi sunt, quoniã flauus ipse acrufulus color imbecillitati huic quàm niger propinqor est. Quod uero qui plerũq; promissus esse capillus cõsueuit, enascatur aliquando crispus, & id quoque de nimio calore prouenit. Insunt enim ut linguæ blæsitas, ut pedibus imbecillitas, ut oculis cæcutitio, aliaq; membris alijs uitia: sic & capillis crispitulo de nimio calore profecta, contortis ob aridita-tem meatibus, quibus caput refertum est, humidoq; materiam illam superfluentem parce nimis excernente. Etenim capillus promissus & simplex ex humido copioso & profluenti prouenit, magis quàm stillanti. Atque hinc Germani, & Dacæ capillo sunt longo & simplici, quando eorum corpora & abundant humido, & aëre ille etiam perhumescit. Contrà Aethiopes, quod regionibus utãtur uehementer calidis, cerebro autem sicco, & item cœlo, crispos habent capillos, & breues. Exhalatio enim ipsa fumosa ob insitum calorem ac siccitatem capillum inflectit: quod enim inest terreni, deorsum ut pendeat cogit, secus calor tollatur ut sursum, quocirca ob imbecillitatem intorquetur, quod uitium crispitudo dicta est. An quod cum parum omnino humidi, terreni autem permultum insit, ab aëre illo æstuante contrahitur pilus, ac si ab igne ustiletur? Cuius rei indicium esse potest durities, crispi nanq; quàm recti duriores sunt pili: quæ enim sicca, eadem & dura, id quod re ipsa cernitur. Quodq; è capite (æque ac deciduæ è ramis frondes) quandoque capilli defluant, quod ægrotantibus ob maiores febrium ardores consueuit contingere, ut nudata caluaria uitium quod inde nomen traxit, inducatur, calori quoque nimio ascribendum existimant, qui quod humidi nutrimenti inest, exurit adeò, ut excerni ab eo haud ita multum patiatur. Aristotelis uero de hoc ipso uitio uerba sunt hæc: Affectus huius causa est calidi humoris inopia, qualis præcipue pinguis est humor: quo fit, uti quæ plantæ pingues sunt, fronde uirescant perpetua. Nec pueros autem, nec spadones calescere idem tradit, quod alteri id ætatis non coierint, alteri quoniam euirati in naturam, quæ mulierum est, transierint, muliebrem enim naturam puerilis esse naturæ persimilem. Coitum igitur caluitij potissimam esse causam hinc arguitur, quod ex eo, hoc est nimiam ob resolutionem calidi in Venerem, cerebrum

quod

quod suapte natura frigidißimum est, tanto quidem magis refrigescit, efficiturq; hoc ipso imbecillum admodum, exq; ea imbecillitate, cum sufficere capillis alimentum nequeat, necesse est illos decidere. Est enim capillorum alimẽtum humor pinguis, qui è cerebro ad cutem permanat. Annon frondes ipsæ è ramis decidunt, ubi humor hic à radicibus non sufficitur? Homo igitur cum sit ipse maximè humidus, ac calidus, nimiam ob resolutionem in Venerem imbecillus maximè in cerebri parte redditur, qua ex imbecillitate, calidiq; inanitione calescit, tametsi alia item inde gignuntur uitia. Fit aũt uitium ipsum in parte capitis anteriore, quod scilicet in eam capitis partem cerebrum promineat. Quod aũt ad capillos attinet, medicorum quidem uidetur hæc esse sententia, ut hi cerebri ex excrementis & oriantur & nutriantur, illudq; æquabile ubi fuerit, probeq; temperatum, gigni ex eo capillum uolunt, qui à teneris quidem annis sit cæsius, pòst uero adolescente ætate rubescat, declinetq; magis ad nigredinẽ, quiq; etiam mediocritatem inter rectum, crispumq; retineat, enascaturq; neque serius, neque tempestiuius. Vbi uero cerebrum ipsum calidius fuerit, prouenire ex eo capillũ omnino nigrum, & quidem tempestiuiter, illumq; flexilem, ac persæpe crispum arbitrantur. Quod tamen non multò est ante dictum, mũdi regiones ad calorem, crispitudinemq; capillorũ, ad promissionem item, ac mollitiem plurimum conferunt, quanquam capilli ipsi mutantur etiam ab ætate. Contrà frigido è cerebro prodire fluxilem ac rectum capillum, eumq; parum omnino nigricantem, uel potius flauum, præstoq; homini illi canitiem affuturam. Quoties autem cerebrũ ipsum humidius fuerit, tardius eius ab excrementis capillum proditurum tradunt, eumq; fluxilem, serius etiam casurum. At ubi sicciore è compactione constitutum fuerit, tempestiuiorẽ ex eo cæsariem fundi, canitiemq; tempestiuius aduenturam, ipsum autem capillum crassiorem, ac plerunq; crispum. Vbi uero calidum pariter, ac siccum cerebrum ipsum fuerit, tunc capillum & uelocius exoriturum, & maturius etiam casurũ, nigrum quidem & crassum, etiamq; crispiorem. De multo nanq; calore manare putant crassitudinem, humiditatis; superfluentia: flexibilitatem autem & crispitudinem ab utroq;, calido uidelicet ac sicco, itemq; & nascendi, & decidendi celeritatẽ. Contrà fluxilem, rectum, mollem, fusculumq;, parumq; deciduum futurum, ubi cerebrum calido, humidoq; simul temperabitur. Serius aũt coma uestiet caput, uixq; caluitium timebitur, quoties cerebrum à sicco pariter frigidoq; occupabitur. Erunt autem capilli tenuiores, atq;, ut hodie medici loquũtur, corticis nucis castaneæ similiores. Quod si frigiditas, humiditasq; in pangendo simul cerebro conuenerint, uix capillus ipse unquam decidet. Omnino autem cerebrum superfluenter humidum, aut capillum non

excernit, aut cum quam tardissime, quod sit hominis illius corpus sanguine penè uacuum ac cassum. Oportet itaq; mathematicum è stellarum configuratione ac positura hæc ipsa metiri in genituris, è quarum commixtionibus & sanguis, id est cor, & cerebrum modũ, mensuramq; accipiunt. Nec uero, quod dictum est, cœli situs, ac terrarum non apprime circumspectandus est, & patrum quoq;, maiorumq; habenda ratio, quibus illi capillamentis ornati fuerint.

De oculis. Cap. IIII.

Diximus quod uisum est necessariũ de capillo, dicamus etiã de oculis, qui in bubus, in leonibus, cæterisq; in animalibus ijdẽ sunt, id est coloris unius cuiq; suo in genere, præterquàm in equino, nullaq; ratione inter singulos differunt, cum in homine differant admodũ & colore, et habitu, quando etiam in infantibus, primisq; illis genituræ diebus color oculorum certus iudicari nequeat propter humorem, qui nondum resedit, cerebri. Ad hæc uidemus quosdam lucinos, nonnullos strabones, hos oculis maxime concauis, illos prominentibus: quæ uarietas, uti diximus, in hominum ferè genere tantũ accidit. Constitutio igitur pupulæ, de qua radij prodeunt, in quam & illi rursum se insinuant, quoties humido large referta est, quod humidum spissitudine illa sua nigricat, oculum quoq; nigrum reddit. Cui si multus quoq; calor immixtus fuerit, quãdo cerebri natura in multis humida est, & calida, ut iam diximus, caloris q; ipsius cum sit proprium rarefacere, ad hæc cum sit oculus maxime foraminosus, penetrationisq; patientissimus, neq; enim aliter lucis fieret irradiatio, coagulũ illud humidũ ita dispergitur, & tanquam efflatur à calore, ut si uehementior ille quidem fuerit, dissipata iam spissitudine, humidoq; eliquato, colorem inducat cæsium, qui albo est quam proximus, remissior uero caprinum, quod caprarum oculi sint coloris huiusmodi, siquidem cæsius ille color caprinis in oculis est suffuscior. Quocirca color ipse oculorũ tum niger, tum cæsius, plus minusue intenditur, pro humidi copia, itemq; caloris. Humidum aũt illud nigrescit admodum, in quo terreni plurimum humoris inest. Quod si mensura, modusq; defuerit, ea regula ac ratio, quæ generationis est comes, globusq; ille pupillaris nimio humido perinde coagmentatus, & tanquã constipatus fuerit, ut calori exigua admodum uia ad irrumpendũ data sit, pupillæ uis adeò imbecilla redditur, ut longius uidere oculus nequeat, propius autem non nisi difficulter, contractis etiam palpebris, demissisq; supercilijs: quod uitium etiam accidet, quoties humidi illius pupillaris uis perexigua quidem fuerit, caloris uero tanta, ut humida ui penè extincta, sparsimq; exagitata, radij sic attenuen-

nuentur, ut progredi longius quidem nequeant. Quemadmodum autem humida materia præterquàm à calore si fouetur, inutilis est omnino: sic calor ipse quidem effluit atq; euanescit penitus, ubi quò se intendat, et in quo exerceatur, humidum nullum habet. Itaque & illa inutilis materia, et hic euanidus futurus est autor. Contingit etiã in oculis ipsis uitium, à quo quibus inest strabones ij dicũtur. Fit autem uitium hoc, quoties pupula locum suum, qui medius esse debet, non insederit: est enim necesse in hac pupillæ iniuxta collocatione contorqueri aspicientis oculum, quo & pupilla ut libera, & libero eius ualeat officio fungi.

De opinione Aristotelis. Cap. V.

QVoniam autem Aristoteles longe aliter de his sentit, existimans uidendi sensum ad aquam, ut audiendi ad aërem referendũ, parumq; omnino probat quæ ab Empedocle de igne sunt tradita, non ab re fortasse fuerit, altius quædã repetisse, ne aliquid in controuerso relinquatur. Oculorum ductus ad cerebrũ pertinent, de quo purissima humoris pars secreta per meatus illos defluit, qui ab ipsis ad membranam, qua cerebrũ integitur, deferũtur. Perinde nanq; ut per aërem auditus, sic uisus existit per aquam, quippe cũ perlucida ipsa sit, maximeq; idonea emittendis radijs. Itaq; de manatu cerebri, quod maxime humidum ac frigidum est, oculus ipse & initio cõstitutus est, et ab eodem pòst fouetur. Calor aũt eorum tum niger, tũ cæsius, plus minusue existit ab humore pupulari. Quatenus enim humor ipse è cerebro diffusus ad pupulã fuerit, talis ipse oculorũ color redditur. Nigros igitur oculos eos tradit Aristoteles, in quibus multũ humoris insideat: huius nãq; maior ubi fuerit copia, traiectiones ipsas uidendi non facile admittit: id enim nigrum esse quod nõ translucet: cæsios uero, in quibus parũ omnino humoris insit, cuius inopia traiectiones eas perfacile quidẽ suscipiat. Atq; ob hanc rationẽ die quidẽ cæsios, noctu aũt nigros minus acute cernere, quod cæsij ob exiguã humoris uim afficiãtur à diurna luce immoderatius, itẽq; ab rebus illis quæ obuiæ sunt uisui: contrà nigros ob humoris affluentiã minus affici, quando nocturna lux est etiam exilior, & humor ipse noctis tempore minus facile excitatur. Vtcunque autem, necesse est caligare oculos in maximo ac splendentissimo fulgore. Vtitur autem marinæ aquæ similitudine, quod in mari quidẽ cæsium uideatur id omne, quod percõmode, perq; quàm sat est, transpicitur: aquilum autem quod & minus commode, nec etiam quantum satis est, introspicitur: illud uero opacum, ad quod obtutus ipse ob profundiorem altitudinem aciem uix traijciat, quo fit, ut tum cœruleum, tum nigrum id appareat. Inter hæc autem ipsa maris spatia,

tractusq; cernendi longiores magis minusue, coloribus ipsis siue cæsio, siue nigro, aut demi, aut accedere quippiam, ut reipsa cõstat, arbitratur. Hant etiam ad rem, perinde ut ad uidendi uim acutiorem, obtusioremue, non parum fortasse confert cuticula, seu tunica ipsa, quem hodie panniculũ diuulgate uocitant, quæ pupulæ ipsi obtenditur, ubi ea magis minusue tũ tenuis fuerit, & alba, tum etiam perextenta, & nitida. Sed hoc ipsum quærere exploratius, medicorum est. Cœli etiam ac terrarum situs diuersi, colores quoq; oculorum peculiares ac suos habent. Qui enim sub septentrionalem nascuntur cardinem, eorum cæsij sunt oculi: qui ad meridiem atq; austrum, nigri. Aegritudines quoque ipsas indicio esse ait aut multi humoris, aut parui: Cæsios enim præ humoris inopia affici glauconia, eamq; siccitatem esse quandam, senesq; frequentius ea laborare, quorum oculi, ut reliquum etiam corpus, arescant, luscitate uero nigros ob humorem nimium, eoq; fieri, ut pueri, adolescentiores q;, quod humentiori utantur cerebro, sæpius ab hac capiantur. Humor igitur in cuius pupula affluentior desedit, eius color oculi niger existet, aut fuscus: in qua uero remissior, ac minor, cæsius, aut flauescens, qui colores albo sunt finitimi: at cum moderatior, caprinus. Atq; hic quidem color, quoniam cerebri quoq; temperamentum indicat, non boni solum uisus, sed proborum quoq; morum index perhibetur.

Præcepta cognoscendæ corporeæ constitutionis. Cap. VI.

SEd iam redeat unde digressa est oratio: ut igitur ea quæ ad cognoscendam corporis constitutionem spectant, planè consequamur, hæc quidem diligenter consideranda sunt, primumq; horoscopus, atq; ut Ptolemæus ait, orientalis horizon uidendus est, quæq; sit eius natura, deinde siqua ex erraticis collocata in eo fuerit, eadem quoque ratione horoscopantis signi dominus, hic enim ipse, ac signi in quo Luna fertur, dominus, primas ferè in hac consideratione partis ferunt: deinceps siqua è fixis stellis oritur cum horoscopo: præcipue autem uidenda est Luna, signum item ac locus in quo constituta fuerit, signiq; ipsius dominus qui sit & qualis, & à quibus ipsa stellis cõspicitur, quantaq; uis eius sit, quando corporibus, ut toties dictum est, præsidet. Locorum quoq; ipsorum in quibus erratica consistunt, uires, potestatesq; metiendæ. Hac enim obseruatione & uia, cognitis signi ac loci cuiusq; proprietatibus, stellarumq; naturalibus effectionibus, eas miscendo, ac temperando, qualis etiam concretio futura sit, facile colligetur. Hæc enim duo in hac cognitione potissimum quærenda sunt. Nam figuratio staturam, membrorumq; inter se conuenientiam indicabit, concretio mixturam humorũ,

è quis

è quibus corpus constituitur, hoc est quis ex humoribus in ipso corpore iuris sibi plus uendicet, natús ne ipse futurus sit bilioſus, an pituitoſus, an ſanguine redundans, utraq; autem simul colorem.

De Saturno circa corporaturam. Cap. VII.



Voties igitur Saturnus in hac ipsa constitutione primas sibi partis aßumpserit, fueritq; orientalis (utimur autem libenter hoc uerbo, quoniam à disciplinæ huius scriptoribus familiariſime acceptum est) nati staturam mediocrem decernit, bonumq; corporis eius habitum, colorem autem nigrum, & (ut Græci dicunt) μελάγχροα. Nec uero nigrum accipi sic uolumus, qualis est Aethiopum color, qui à cœlo noſtro alienus est adeò, ut qui ex Aethiopibus in Græcia, Italia, Germaniaq; naſcuntur, omnino illum non retineat, quorum pòſt liberi inalbeſcunt non tantum ore, ſed reliquo etiam corpore. Color autem, ut iam diximus, Saturno addictus cinereus eſt, quiq; à Græcis agnominatur Caſtoreus, qualẽ hunc de quo dicimus, intelegi colorẽ uolumus, uidelicet qui in nigrũ ab albo uehemẽtius delabitur. Capillum etiam nigrum decernit, criſpum tamẽ, oculos etiam maiuſculos. Saturnus enim ac Mars propter intemperantiam à conuenientia ſuapte natura alieni ſunt. Concretionẽ uero, humorumq; corporis temperaturã pituitoſam deſignat, quæq; à temporis noſtri medicis uocatur phlegmatica, quippe quæ in humidum ac frigidum ſit declinatura: in frigidum quidem propter Saturni ipſius naturam: in humidum uero, quod orientalis uis, pueritiæq; ſimilitudo ſuapte natura humectet, frigiditasq; humiditati perfacile concilietur. Oculi autem grandiores, capillúsque ipſe niger indicio ſunt maiorem ineſſe cerebro humidi affluentiam: qui ſi occidentalis fuerit, colorem quoq; eundem tum oris, tum oculorum futurum indicat, capillum autem promißum, rarum tamen decernit, ac corpus glabrum & penè uulſum, uidelicet propter exiguitatem humidi, cum futura ſit concretio frigida & ſicca, ætatis q; ſenilis quam ſimilima, quæq; aduerſatur puerili. Quam ob rem ſtatura erit modica, neq; enim frigidi eſt & ſicci in proceritatem aſſurgere: nanq; ad ſtaturam illam quam diximus, orientalis ipſa humiditas addit quantum ſatis eſt ad mediocritatẽ retinendam. Quod autem Saturnus cum orientalis fuerit, criſpos, ut dictum eſt, capillos faciat, illud eſt cauſæ, quod orientalitas ipſa cum humiditate ſimul indat Saturno nonnihil etiam caloris, quo fit, ut capillus criſpetur, nec rectus fluat, qui cum è cerebri excrementis humidis in cute generatur capitis, ex caq; fòras prodit, ubi calor ipſe remißior fuerit, neque facile ſuam ob imbecillitatem impellere illũ poteſt, hinc à calore tunc remiſſiuſcule impul

sus, illinc à cutis duritia repulsus, humido etiam deorsum remittente sese, calore aũt pro natura sua sursum reuocante intorquetur, contrahiturq; crispitudo illa difficilem ob penetratum flectẽte sese capillo: Vt cum tenue atq; imbecillum flagellum in arenarum aceruum immittimus, neq; enim nisi paulatim flectendo sese, atq; innitibundum quidem in aceruum irrumpit. Habitum autem illum flexuosum & crispum, quem sensim penetrando capillus contraxit, adhuc etiam post penetratam à se cutem retinet: quod occidentalis quidem non efficit, siquidem humidi superfluentis causa accedit nulla, cum in occidentali plaga frigus illud suum Saturnus retineat.

De Ioue circa corporaturam. Cap. VIII.

QVoties autem Iupiter locis ipsis dominabitur, fueritq; orientalis, quoniã calidi, atq; humidi, qua ipse qualitate præditus est, magna ei fiet accessio, nati staturã proceriorem decernit, ac proceritati dignitatem adiungit, propter partiũ corporis conuenientiam, sanguinisq; temperamentum, cum sit etiam Iouis ipsius ac Veneris propria concinnatio. Itaq; ab illo dignitas, ab hac formæ uenustas tanquam à fonte riuus profluit: ac, ne quid uideatur deesse dignitati, oculos quoq; nigros addet, capillũq; promissum, & defluentẽ, rariusculũ tamen, quadãq; cum mediocritate, candorem autem prænitentem illũ quidem, per omne corpus diffundet. Atq; hæc quidẽ omnia ab optima, & maxime ubere sanguinis temperatione proficiscentur, qua concretione natus ipse præditus erit. Humidi enim calidiq; abundans mixtura, æquabilis tamen inter se, tum oculorum, capilliq; nigredinem, tum staturæ proceritatem ac dignitatem formæ, tum etiam candorem late magnum naturaliter gignit. Hæc autem ipsa humiditas ab orientali statu Ioui quidem addita, Saturno uero potius intrusa, sic accipienda est, ut caloris quædam etiam fiat adiunctio: Iouis quidem maior, quoniam ex parte calidus, Saturno autem minor, quoniã suapte natura frigidus & senex est. Atq; in Ioue quidem calor ipse uegetior erit, in Saturno autem imbecillus, & pertepescens. Glacies autem Soli admota, aut igni cum deliquescit, calorem necesse est aliquem intra se admittat, quo calfaciente liquitur. Occidentalis uero Iupiter colorem etiam albũ diffundit, non tamen eo nitore conspersum, quem orientalis explicat. In occidua enim plaga stellarum omnium, etiam Solis ipsius radij suppallescũt, magis quàm nitent. Quid quod iter mane ingredientes hilariores sumus, uiribusq; uegetioribus, uesperi autem lassi admodum ac defecti uiribus domum reuertimur? Capillum quoq; promittit. Vix autem fiet, ut natus ille futurus sit caluus: aut si fortasse contigerit, caluitium ipsum erit omnino modicum. Cum enim Iouis stella maxime temperata sit, non nisi rarissime po-

test

est illius radijs immoderatio tanta afferri extrinsecus stellis ab alijs, ut calido, humidoq; (ea est enim propria illius supellex) omnino spolietur: quod circa si caluitium ipsum tandem aliquando contigerit, neq; erit ipsum magnum, neq; deformis illa frontis expilatio atq; capitis. Staturam autem mediocritate quadam ita temperabit, ut quod ad mediocritatem orientalis addebat, demat illud occidentalis. At corporis totius concretioni humidi plusculum adijciet. Hæc igitur à Ioue domino, & cum orientalis, & cũ occidentalis fuerit, de nati forma concretioneq; portenduntur.

De Marte circa corporaturam. Cap. IX.

MArs locorum dominatum obtinens, atq; orientalis staturam longiorem pollicetur, calor enim sursum impellit, bonũ item corporis habitum ruboremq; albo conspersum, oculos uero cæsios, corpus hirsutum, capillumq; mediocrem decernit, concretionem autem eam quæ calidi, ac sicci plusculum in se habeat: hac enim qualitate Mars est præditus, quo fit ut à cerebri compactione oculorum color sit cæsius. Sanguinem quoq; sic calfaciet, atq; ut proprie magis loquar, cõcoquet, qui tamen nequaquam erit exiguus, propter orientalitatẽ ipsam quæ suapte natura humectat, ut rubor ille sanguineus albo conspergatur, referatq; candorem immixtum. Albescere autem sanguinem de calore, ac concoctione lac docet, semenq; genitale. Calor idem Martius, quod excrementi multum ad cutem impellit, nam & ipse humorem quoq; ab orientali, ut dictũ est, regione cõtrahit, multos quoq; pilos per totũ corpus diffundit. Calida enim & humida corpora sunt excrementosa, quæ è diffusione cum excrementorum longe minus ad caput feratur, capillus ipse mediocris redditur. An eadem forte causa capillorum prouenit mediocritas, qua oculorum color cæsius? Idem Mars occidentalis cum fuerit, staturam mediocrem decernit, colorem rufum, capillum flauum, corpus glabrum, oculos minutos, concretionem uero in qua siccitas præpolleat. Quod enim corpus reliquum glabrum est, capillus non temere fit longior, excrementis illum tantum pascentibus: quod uero flauus, existit de siccitate maiuscula, flauum enim ad album accedit, nam & frondes, & folia exucto humido flauescunt. An potius à defectu caloris? dum quod humidi excrementi inest, putrescit calore deficiente, ut iam dictum est de canitie. Flauus enim color cano est propinquior. Quod etiam glabrum fiat corpus, ab excrementorum exiguitate proficiscitur: quod mediocris statura, ab ariditate nimia, Mars enim uespertinus mirifice inarescit, demitq; ob uespertinam siccitatem quod addebat ab orientali humectatione madefactus. Denicq; quod color tantum rufus decernitur, à sanguine existit nondum exie-

cato, atq; rarefacto, propter imbecillitatem caloris. Quod in accẽsis lignis cernitur, rubescit enim in initio ignis, antequàm materiæ humidum sit exhaustum, quo sensim consumpto tandem candescit. Quod autem ante dictũ est, planetæ uespertini tanquam senescentes inarescunt, donec in gyrum ad humectationem redeunt, quo interim tempore efficiuntur inualidi, & tanquam effœti uiribus. Quod uero ad oculorum exiguitatem pertinet, ut nõ multò ante diximus, Mars ac Saturnus cum sint intemperati, uix aliquid exacte, suosq; per numeros concinnatum reddunt. Atq; ut Saturnus oculos crassiores facit, cum sit humiditatis excitator idem & coactor quasi quidã, sic è contrario Mars paruos ac minutos, propter nimiam siccitatem caloris sui comitem. Hæc enim tam intensa Martis siccitas causa est, cur cerebri quantitas sit etiam exigua, caputq; etiam ipsum exiguũ. Frustra enim, imò inutiliter, & penè dixerim, monstrifice natura laboraret in capitis magnitudine molienda, si cerebri exiguitas, cuius continendi gratia facta est testa, minori potest spatio contineri.

De Venere circa corporaturam. Cap. X.

DE Venere autem, ubi dominatum & ipsa quidem orientalis adepta fuerit, non alia tradentur à nobis, quàm quæ de Ioue tradita sunt in disponendo corpore, atq; in concretione tẽperanda. Illud tantũ admonebimus, quod nõ multò ante demonstratũ etiã est, formæ dignitatem à Ioue, uenustatẽ à Venere nascentibus tribui. Quã ob rem tametsi Venus in uniuersa formæ corporisq; cõstitutione Iouis est imitatrix, similiũq; effectrix, uenustate tamen sua omnia condit, et à dignitate illa, quæ Iouis munus est, ad muliebrẽ gratiã, quod munus suum est, illecebrosiuscule traducit: nã & colorẽ, & faciem omnẽ quadam quasi mollitie sic conspergit, ut blandiri iam uideantur. Oculis lætitiã inspirat, et (ut Poëta inquit) lætos honores afflat: siquidem pœti erunt, & (ut Catullus inquit, ebrioli atq; illecebrosi adeò, ut ad amandum alliciant, ac uoluptatis delitiarumq; admoneant. Deniq; id præstabit, ut ex omni parte gestus, singuliq; etiam motus addeceant, quæ omnia ab eximia quadam sanguinis humorumq; temperatione defluunt, partiumq; inter se concinnitate.

De Mercurio circa corporaturam. Cap. XI.

MErcurius & ipse dominus, atq; orientalis concretionẽ sic moderatur corporis, ut ea ad siccitatẽ sit declinatura, quãdo eius stella retorrida est: à statu tamen orientali et plusculũ caloris & humidi non exiguum sibi mutuatur, quæ è re staturã facit moderatam, corpus bene compactũ, & quadratũ, ut dicunt. Neq; enim temere

mere palestræ inuentor Mercurius dictus est ab antiquis. De siccitate autem qui terrenus humor est, musculi, membraq; soliditatem ac robur assumũt. Oculos paruos efficit: siquidem, ut de Marte iam diximus, & humidum natiuum, & cerebrum haud multum erit in nati illius temperatura. Capillum autem mediocrem, quod ob eandem exiguitatem generare eum multũ nequeat. Colorem mellis simillimum, Græci μελίχρωρ dicũt, uidelicet ob sanguinis maiorem inflammationem, humidiq; penuriam, quo fit, ut pallorem quasi quendam, eumq; subcroceum inducat. Consueuit tamen pallor fieri ex humore putrido, sanguineq; male concocto. Vbi uero occidentalis fuerit, colorem itidem croceũ, atq; in pallorem aliquanto magis declinantem. Pilum ac capillum uchemẽter rarum, propter siccitatem uidelicet, quæ ob occidentalem statum Mercurio accrescit. Quare corpus ipsum gracile, ac macilentũ, & penè depile reddetur, quando sanguis ipse inarescet adeò, ut carnẽ creare multam nequeat, quæ membra ipsa bene uestiat: quam ob rem crura, pedesq; mali positus, formæq; ineptioris erunt, tenues illi quidem, pelleq; tantum contecti, ac fortasse planci, &, ut Plautus inquit, crocodila cruscula: neq; inepte Ptolemæus ἀτιγιπόδας eos futuros dicit. Capillum subrufum, oculos autem concauos facit, atq; intra supercilia immittit, propter cerebri exiguitatem, atq; arcfactionem, cum deficiente succo, cerebroq; parcius illum subministrante, oculi ad locum à natura decretum produci, atq; illic collocari nequeant, in ipsoq; itinere à natura destituti relinquantur. Horum autem omnium causa est cerebri humoris q; eius penuria, quando Mercurius ipse suapte natura perquàm aridus est, & status ipse occidentalis ac senilis longe amplius illum exiccat,

De luminaribus circa corporaturam. Cap. XII.

QVemadmodũ aũt oculorum omnis ac capitis temperatio ad cerebrũ refertur, sic caloris ad cor: cumq; erraticas cæteras Solis, Lunæq; subministras in generatione dixerimus, generationemq; ipsam Soli, Lunæq; omnino delegauerimus, ille nanque formam inducit, hæc materiam præstruit, in hac ipsa quoque formandorum corporum constitutione temperaturaq; considerandã, cũ primis luminarium ipsorum status, habitusq; animaduertendus est, quo uidelicet è loco & ipsa aspiciant, & aspiciantur ab alijs. Si enim feliciter signis ipsis, ac dominis signorum configurabuntur, corporeæ constitutioni plurimum fauore suo conferent: siquidem staturæ ipsi longitudinem, compactioni partium decorem, membris robur, membrorum ac partium collocationi responsum adijcient, bonumq; habitum per corpus uniuersum diffundent, deniq; corpus ipsum in quadrum ita redigent, ut id sibi parte

ex omni conuenientißime respondeat. Cum primis autem Sol proceritati corporis, ac formæ dignitati consulit, bonumq; habitum constituit, quippe cum calore suo cuncta foueat, fouendoq; robur adiungat. Luna uero nõ parum etiam ipsa conferet partiũ ac membrorũ responsui, munus tamen eius potius est humectare: quod enim calore proprio uacua est, & (ut prisci Latint locuti sunt) cassa, suapte natura nec magnitudini adijcit quippiam, nec amplitudini, quando caloris est propriũ sursum prouehere ac producere, qua è productione longitudo primũ constituitur, ac deinde in latus diffundere, qua è re latitudo extenditur: quo fit, ut Luna in constituendo corpore moderationem quandam potius quàm longitudinem, & macilentiam prius quàm obesitatẽ portẽdat. Quam ob rẽ cursus illius, defluxionesq; diligentißime obseruandæ sunt, & cum sola locis, ac locorũ dominis affuerit, & cum à Sole in sociã ascita uires uterq; suas simul illis contulerint. Illud uero certum est, corporis affabrefactionem, partiumq; ipsarum probatam illam, æquabilemq; conuenientiam à Sole potißimũ Lunaq; proficisci: de quibus quidẽ illud mihi dicendũ uidetur in constituendis, ac disponendis corporibus, quod de sale in condiendis dapibus, quarũ quidem commendatio omnis à salis condimento proueniat, eiusq; temperatione.

De matutinatione stellarum circa corporaturam. Cap. XIII.

ATque ut ad erraticas quinq;, ætatesq; illarum reuertamur ac tempora, ubi eæ matutinæ fuerint, hoc est, ubi à Solis complexu foturaq; digressæ apparere mane cœperint, atq; ante solis exortũ radijs suis liberius utẽtur, uniuersim quidẽ staturas ipsas magnas, corporaq; etiã magna decernunt. Etenim ætas illa stellarũ penè puerilis, atq; in adolescentiã uergens permulto humido corpus irrorat, quod à calore etiã abundantiore fotũ, uehementius illud producit. Siquidẽ stellæ ipsæ à Solis coniunctione digressæ, perinde ut fœtus in lucẽ uenientes materna ex aluo maximam secũ humidi uim suo cum calore afferunt, magisq; in dies concalescunt, donec ad primæ stationis locum peruenerint. Stationariæ autem effectæ, quoniam adolescentiam iam impleuerunt suam, corpora decernunt uegetiora, magisq; robusta, quibus uires etiã maiores insint, eædemq; contentiores. Aetas enim hæc stellarum quæ iuuentam refert, calore multo abundat, à quo siccata illa humidi superfluentia & cutem & ossa & neruos uehementius indurat, qua de re robur enascitur. Mollia enim cedunt, contrà dura subsistunt, contentiusq; aduersata repugnant. Nec uero inepte poëtæ finxerunt Hebẽ, hoc est iuuentã Herculis uxorem fuisse, quando corporea fortitudo ætati huic attribuitur. Vbi autem

autem ab hoc statu deturbatæ repedare, progrediq; retro cœperint, tanquam reiecta fabrili regula suum nec numerũ retinent, nec mensuram, tum in collocandis artubus, tum distribuendis partibus, modi, mẽsuræq; oblitæ: quem enim seruare modum, aut retinere mensuram potest, qui aduerso naturæ modo proficiscitur, & tanquam auersa fronte incedit? Itaq; membrorum coagmẽtationem, partiumq; inter se coniunctionẽ inæqualem, maleq; sibi respõsurã decernunt, quo fit, ut corporatura ipsa inconcinna, & rudis futura sit. Vbi uero secundam ad stationẽ perucnere, cum uirilem iam, profectioremq; ætatẽ referunt, quod ætas illa exhausto magna è parte humido, ac penè à calore exucto in siccitatem uergat, corpora imbecilliora decernunt, quod fore necesse est propter humidi ipsius inopiam, ac sanguinis. Neque enim statura produci, neq; membra ipsa euadere robustiora possunt, si fœtus ipse ab initio iã arescet: quod in arboribus ubi gemmare iam, ac deinde pullulare uere incipiunt, facile cernitur. In hoc enim statu erratica constituta imbecillior est, quandoquidem recto cursu nondum incedit. Vespertinæ tandem effectæ, ac senescentes necesse est pro natura ætatis illius, quæ deformis est, corpora etiam deformia fabricentur: quippe cum senectus ipsa humido cassa sit, atq; à calore destituta, ac propter siccitatem frigusq; aduentans artus ipsos neq; fouere ualeat, neq; perficere. Deformitas enim ipsa corporis è uitiosis, ac male compactis, imperfectisq; è partibus manat, deq; carentia sanguinis maxime, quod & hyems declarat, quæ senectutis quam simillima est: quid enim hyeme deformius, ac brumali tempestate fœdius? Nil mirũ igitur, si in hoc planetæ statu corpus non modò deforme, maleq; in partes distributũ fuerit, uerumetiã si uitiosis, occultisq; oppleatur humoribus, multisq; ægritudinibus obnoxium fiat. Quocirca ætates quoq;, et status planetarũ, qui dominatum sortientur constituendorum corporum, cum primis considerandi sunt. Medici quoq; non solũ tempora, statusq; ægritudinũ distingunt, uerumetiam ægrotorum: neq; enim eadem ratione puerũ ac senem, adolescentem atque ætate iam prouectiorem curant. De erraticis igitur in hac parte hactenus. Reliquum est, uti de signiferi quoque orbis quadrantibus præcipiamus, quorum naturæ, potestatesq; corporũ figurationibus, concretionibusq; multũ quoq; conferũt.

De quadrantibus circa corporaturam. Cap. XIIII.

PRimus aũt quadrans, qui uernus dicitur, quiq; ab æquinoctio uerno in æstiuã Solis conuersionẽ producitur, quod ætatem & ipse puerilẽ sequatur, humido, calidoq; abundat, concretionem quoq; corporis huiusmodi futurã decernit, staturam etiam procerã, bonumq; totius corporis habitum, oculos etiam honestos,

ac colorem iucundum, & floridum. Atq; hæc quidem quæ à quadrantibus portenduntur, componenda ac comparanda sunt cum erraticarum significationibus: ubi enim simul conuenerint significationes ipsæ, utrinq; augebuntur: sin repugnauerint, temperatione utendum erit, pro natura repugnationis ipsius. Quadrans secundus qui ab æstiua Solis conuersione in autumnale protenditur æquinoctium, qua è re æstiuus dictus est, iuuenilis q; ætatis naturam ac uigorem refert, quæ calido, siccoq; abunde prædita est, concretionem ipsam corporis calidiorem, minus tamen humidam futuram portendit, suiq; ipsius persimilem: staturam mediocrem, neq; enim ultra iuuentam corpora in longum protenduntur: habitum bonum, pilos densiusculos, capillos plerunq; flexiles, oculos grandiores, colorem uero qui non satis delectet intuentes, Græce est μίσοχρων, neq; enim iucundus, & floridus, qualē iam diximus, esse poterit, propter humidi subductionem. Color enim ille uenustus, & blandus à calido, humidoq; exactius temperato redditur, existitq; è proba sanguinis moderatione. Qui tertius est quadrans, atq; autumnalis dicitur, ab æstiua conuersione in autumnale perlatus æquinoctium, perinde ut autumnus ipse arido, frigidoq; exhuberat, concretionem ipsam corporum ijsdem his siccis, frigidisq; humoribus refercit. Colorem autem croceum, atq;, ut hodie dicunt, melleum, capillum mediocrem, oculos pulchros, gracilemq; corporaturam denuntiat. Qui numero quartus est, atq; ultimus, quiq; ab hiberna conuersione hibernus uocatus est quadrans, quod etiam frigido, humidoq; refertus est, concretiones quoq; corporum frigidiores, atq; humentiores indicat, staturam mediocrem, capillum promissum, corpus subglabrum, ac penè uulsum, compagemq; ipsam memborum partiumq; concinnationē satis accommodatam: colorem autem subnigrum, ac fuscum significat. Atq; hæc quidem generali quadam regula, præceptioneq; tradūtur. Quadrantes enim ipsi orbis signiferi proprietatem, ac naturas habent quisq; suas, quemadmodum regiones ac terrarum situs ad ortum occasumue, aut meridiem, septentrionemue inclinantes.

De stellis fixis, & signis circa corporaturam. Cap. XV.

IAm uero signa ipsa, & quæ in zodiaco, & quæ extra collocata zodiacum sunt, particulatim, atq; alia quadam ratione animaduertenda sunt, eorumq; potestates metiendæ. Primum quod earum alia humana, ut Virgo, ut Gemini, ut Andromeda, ut Cassiopea: alia bruta, ut Aries, Taurus, Cygnus, Canicula. Et humana quidem signa artus ipsos, membrorumq; informationem ad humanorum similitudinem, æquabilitatemq; constituunt: at bruta, qualia ferarum

ferarum sunt, membra fabricantur, ac persimilia illorum humano in corpore moliũtur, siue ad robur, imbecillitatémue, siue ad craßitudinem, aut gracilitatem, siue ad longitudinem, aut breuitatem, siue ad pulchritudinem, turpitudinémue, siue ad rectitudinem, uel obliquitatem, aut ad decorem, indecentiámue, qualia animalium ipsorum sunt. Siquidem nonnulla etiam signa ad robur, ad pulchritudinem, ad longitudinem, ad amplitudinem, qualitatesq; ad alias corporis non parum adijciunt, qualia sunt, Leo, Virgo, & Sagittarius, contrà Pisces, Cancer, & Capricornus demunt. Nam & Leo quod ualentißimum animal est, robustioriq; corpore præditum, addit ad uires, ad membrorum uegetationem, uigorem, amplitudinem. Virgo, quia humanam formam repræsentat, multum confert ad pulchritudinem, ad formam ipsam, qualis humana est reddendam, suasq; per partis decenter concinnandam. Sagittarius qua parte homo effingitur, idem hoc præstabit: at qua equus, & robur adiunget, & artus maiores statuet, atque amplificabit membra. Dement autem de robore, uigore, magnitudine, pulchritudine, qualitatibusq; alijs humanæ corporaturæ proprijs Cancer, Pisces, & Capricornus, belluæ quidem ipsæ deformes, incompositæ, imbecillis uiribus, membris male compactis, statuq; corporis totius inualido, atq; inconcinno. Si enim parentes ipsi, atque item patria, erraticæ quoque bene collocatæ liberorum egregiam formam, corporisq; constitutionem eximiã promiserint, nimirum adiment hæc ipsa signa nõ parum de parentum, patriæ, erraticarumq; pollicitis, ubi unum aliquod eorum aut ascenderit, præsertim ferino alio cooriente, aut dominus ascendentis seu loci Lunæ Solis ue in eorum aliquo fuerit collocatum. Quinetiam signa quædam sunt, quæ prioribus à partibus bonum corporis habitum inducunt, uiresq; maiores corporibus indunt, membraq; confingunt uegetiora, qualia sunt Aries, Taurus, Leo, quando hæc ipsa animalia à ceruice, pectore, atq; armis, quæ priores sunt partes, longe maxime præstant. Secus autem Gemini, Scorpius, & Sagittarius prioribus à partibus sunt imbecilliores, cum à posterioribus magnopere ualeant. Posteriora enim Sagittarij sunt equina, præcelluntq; humanis, Scorpius ualet à clunibus, homo autem ipse (nam Gemini humanum est signum) in humeris ac lumbis uires suas, roburq; præcipue collocatũ habet. Quocirca si aut horoscopus constitutus ualentioribus in partibus fuerit, aut dominus signi horoscopantis, siue dominus signi Lunæ ibidem collocabitur genituræ tempore, magna ex hac collocatione corporis uiribus, bonoq; eius habitui fiet acceßio, Sin imbecillioribus constituentur in partibus, magna rursus fiet ademptio & uirium & habitus boni. Virgo item, Sagittarius, ac Libra (quod humana signa, quod bonam integramq; membrorum dispositionem, partiumq; inter se conuenientiã reti

nent, ad concinnationem partium ipsarum, formæq; decorem adiumenti plurimum afferunt. Contrà Pisces, Scorpius ac Taurus dispositionem ipsam membrorum, ac partium conformationem, corporisq; totius statum redigent ad inæqualitatem, atque inconuenientiam, ut parum apte, ut ne, quod dici solet, ad lineam sibi respondeant. Sunt enim signa incomposita Pisces, & Scorpius, formaq; illorum fœda si nostram respexeris. Quæ autem Tauri ceruicis, ac palearium ad caudam, clunesq; proportio? Itaq; illis in corporibus partes ipsæ, totaq; compactio proportionem, responsumq; parum utique suum retinebunt. Est profecto res hæc difficilis admodum cognitu, iudicatuq; propter multa ac diuersa quæ ipsa inuicem adsuersantur. Nam pulchritudo, aut deformitas parentum parum sæpenumero cum cœlo conuenit, non raro patria: cum alibi corpora hominum proceriora, ut in Germania, alibi breuiora nasci soleant, ut in Hetruria, in Carthaginensi agro fusca, in Lugdunensi candida naturaliter oriantur: sæpenumero etiam signa ab erraticis, erraticæq; ipsæ inter se dissentiant, quin partes etiam signorum longe differant, priores à posterioribus. Persæpe etiam horoscopi dominus, lociq; Lunaris, stellæ item aspicientes diuersarum sunt uirium, atq; effectionum. Nonnunquam etiam tum planetæ horoscopantis, tum domini horoscopi longe alia est natura. Quid quod non raro auorum, proauorumq; semina repullulant in nepotibus ac pronepotibus? Quo igitur iudicatu res est difficilior, eo maior atque elaboratior in commiscendis ac temperandis in uniuersum ac per partes decretis, significationibus, potestatibusq; stellarum. Ac præsertim luminariuma adhibenda diligentia ac perpensio est.

Octaui libri de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI AD ALDVM MANVTIVM, De rebus cœleſtibus Lib. Decimus.

PROOEMIVM.

QVERVNTVR Alde Manuti à remotiſſimis etiã ſeculis nõ ineruditi quoq; uiri, terrã conſeneſcere, tanquã effœtã, quod in mulieribus uſuuenit. Cui opinioni Ariſtoteles quoq; conſentiat. Ego uero & uetuſtatẽ ipſam ſua cũ eruditione deriderem, & Ariſtotelem, licet eminentiſſimũ Philoſophum, non ſine irriſione demirarer, talia dicentẽ, ſi de noſtra ipſi ſenectute loquerentur, ac ſi elemẽta ipſa prorſus eſſent tandẽ aliquando interitura. Quid enim eſt aliud cõſeneſcere quàm ad interitũ properare? Nam nec terra prorſus eſt interitura, quanquã Chriſtiani ſumus, neq; in nihilũ abitura: nec ſi generationi finis quandoq; ſtatuendus eſt, futura tamen eſt terræ, elemẽtorumq; ipſorũ ac cœli ruina, in nihilumq; abitio. Verum terra ipſa ſic conſeneſcit, ut per partes, regionesq;, perq; regionũ fines multũ amittat de ueteri ubertate, ſoliq; opulentia: quemadmodũ è contrario aliæ atq; aliæ regiones ac loca nouas uires ad fœcunditatẽ ſuſcipiant, nouaq; alimenta ad frugum procreationẽ, ac rerũ copiã. Quod nõ ſolum in ubertate contingit agrorum ac ſoli, uerũetiam in potẽtatibus, atq; imperijs, id quod Aethiopum, Perſarum, Græcorum, Carthaginenſiũ, Romanorũ, itemq; Gallorum, Germanorum, ac Gotorum docent imperia, quiq; maxime nũc formidoloſus eſt Turcarum dominatus in maxima Aſiæ parte, Europæq; nequaquam exigua. Nec igitur interitura eſt terra, nec ita conſeneſcit, hoc eſt uariant eius uires, naturalesq; effectiones, ut ſit ipſa in nihilum reditura, uerum ut per uices quaſi quaſdam nunc hæ, nunc illæ regiones, ac terrarum tractus uires aut maiores ſuſcipiant, aut multum ipſæ amittant de ueteri fœcunditate, ac germinandi robore. An non ætates quoq; noſtræ & ſecula ipſa uariant? Quis igitur dubitet uariare ſuis etiam ætatibus ac ſeculis cœli ac ſtellarum uires, ſignificationes, effectus? cum & motus ratio aliter atq; aliter mutetur, licet una atq; eadem ipſa ſit, & partes ipſæ fines non eoſdem retineant, uerum ſtellæ loca mutent ſua, & cœlum per partes undique uariet, atque à ſeipſo minutatim differat. Quæ res efficit, ut hæc ipſa diſciplina, cœliq; ac ſtellarum obſeruatio coniecturalis & habeatur, & ſit, perinde ut eſt res militaris, naualis ac medicina, quodq; maximum inter homines eſt ac pulcherrimum, rei publicæ adminiſtra-

tio, propter rerum, ac temporũ uarietatem, euentuũq; successum. Quibus in hunc modum explicatis ad ea quæ reliqua sunt, transeamus. Hæc autem ita dicuntur à nobis, ut commonefaciamus syderalium rerum studiosos, quæ de stellarum cœliq; prospectibus, ipsisq; configurationibus tradũtur, ea nequaquam perpetuũ tenorem seruare, omniq; è parte necessitatẽ inducere, tũ propter ea quæ dicta sunt, tum quia inferiores causæ superioribus persæpe aut parũ conueniant, aut aduersa etiam fronte repugnent.

QVoniam autẽ ita natura comparatum est, ut humana corpora quando corruptibilia sunt, externis affectionibus sint exposita, neq; enim mortale corpus est ullũ, cui non etiam permulta necesse sit accidere, diuersisq; illud modis ac ratiõibus affici: de hac quoq; parte, quæ ad corporum uitia, ualetudinesq; pertinet, dicendũ relinquitur. Vitia uero ac ualetudines, quoniam corpus afficiunt, affectionum appellatione comprehendi uolumus: uitium autem intellegi, cum aliqua corporis pars uitiata est, ut cum aliquis aut oculo captus est, aut os habet cicatricosum: ualetudines uero, quibus certo quodam tempore corpus uexatur, ut febres, ut laterum dolores, ut tusses, sanguinisq; profluuiũ. Ac uitia quidem ferè perpetua sunt, ualetudines uero & sanantur post suũ tempus, & rursus uexare corpus aut uniuersum, aut in parte aliqua consueuere. Ad hæc uitia ipsa pleraq; externa ui, fortuitóue inferuntur, ut ferro, igne, ruina, casibus: cum ualetudines humorum è corruptione oriantur, deq; malo corporis ipsius, aut aëris aut aquarum habitu. Harum autem affectionum principia, & causæ à cœlo quoque proficiscuntur, cuius motibus inferiora hæc corpora subiecta sunt. Neque enim una est corrumpendi uia. Quod si corruptio existit à cœli motibus, & media per quæ corruptio inducitur, inde quoq; existent. Atq; ut motus quidam sunt qui ab humoribus corruptis morbos prouenturos portendunt, sic etiam qui ab aliqua ui externa. Etenim homo cum à cœlo constitutus ita sit, ut artium plurimarum inuentor sit, atq; exercitator, uiuendi necessitate & gratia, sitq; illi ingenita tutandi corporis sui cura, instrumenta quoq; sibi ipse adinuenit, quibus seq; suaq; tueatur, qualia sunt tela, enses, iacula: atq; ubi hæc defuerint, non desunt fustes, lapides, torres, atq;, ut Poëta inquit, faces, & saxa uolant, furor arma ministrat. Ad hæc cum sit homo natura irascibilis, necesse est ab ira quandoq; ut commoueatur, & iniuriam quæ infertur, quibus potest artibus propulset: in qua propulsanda instrumentis illis utitur, quorum natura tutandi sui causa inuentrix fuit. Armauit hæc cætera animalia suis quodq; genus armis, cornibus, dentibus, unguibus, rostris: hominem naturalibus his armis destitutum, armauit industria, per quam

arma

arma sibi extrinsecus præparauit. Quid igitur mirum, si à cœli motibus hæc ipsa innuuntur, quorũ causæ à motibus eius manent? Quin signa quædam cœlestia ea natura sunt prædita, ut ad arteis huiusmodi faciendorum armorum homines inuitent: quædam, quæ ad curanda uulnera, externa ui, gladijsq; ab arte inuentis illata. Quocirca & uitiorum & ægritudinum significationes in cœlo repositæ sunt, atque illarum notæ motibus illius insitæ, de quibus hæc quidem tradimus obseruanda.

De locis inferentibus uitia, aut ægritudines. Cap. I.

ORtus & occasus, ut alibi dictum est, alter lucis, id est uitæ autor est, unde qui nascuntur, uenire in lucem traduntur: alter tenebrarũ & mortis, quo factũ est, ut qui moriuntur, obire diem dicantur. Vt igitur ab ortu quærũtur ea, quæ ad uitam atque animalitatem, quinetiam ad formam ipsam, corporisq; constitutionem pertinent, de quo paulò est ante dictum: sic ab occasu, qui luci, hoc est uitæ opponitur, quærenda sunt illa, quæ & uitæ obsunt, & mortem minitantur: quando ægritudines, uulnera, quæq; uis aut uniuerso corpori, aut membro cuipiam exterius affertur, media quædam sunt ad mortem inferendam. Iure igitur in eorum qui nascuntur genituris occasus ipse diligentissime inspiciendus est, num quæ stella præsertim malefica illum insidcat, aut aduersis radijs hostilem in modũ feriat, seu de quadrangulo loco, eoq; aut dextro, aut sinistro, seu de opposito, ac diametro, id est ab ipso exortu, in quo uitam constitutã esse diximus. Siquidem pro stellarum ipsarum naturis ac minitationibus uitia futura sunt, morbi item, ac mortes ipsæ, ubi minæ lethales fuerint. Verum nunc de uitijs, ac ualetudinibus, quibus indagandis tria sunt loca cõsideranda: horoscopus, id est quæ ascendit cœli pars ab exortu: occasus, id est aduersa horoscopo cœli pars ea, quæ deorsum inferius in hemisphæriũ deijcitur: ac sextus locus, qui occasum antecedit, nomenq; à ualetudinibus accepit, Martiq; addictus est, nullamq; cũ horoscopo coniunctionem habet, unde à Græcis ἀσύνδετον dicitur: quibus in locis maleficæ ubi inuentæ fuerint, malignitatem suam facilius exercent. Siquidem septimus locus propter situm, nã horoscopo opponitur, & inde tenebræ erumpunt, uitæ quoq; nati, cuius quidem horoscopus significator est, & corpori, cuius constituendi ius magna sibi è parte idem uendicauit, hostilem aduersatur in modum. Sextus uero, quoniam nulla non ratione ab horoscopo disiunctus est, nihilq; cum illo familiare, aut amicum habet, uitæ incolumitati, bonæq; corporis ualetudini insidiatur, & tanquam è latebris bellum parat. Sin stellæ locorum horum neutrum insederint, uerum è quadrangulo, oppositoue loco, aut utrunq;, aut alterũ saltem radijs suis

percusserint, hac quoq; irradiatione & uitæ & corpori damnum molium tur. Malefica quoq; in horoscopo collocata, præsentia sua locum ipsum infi cit, quinetiam septimũ in locum ab aduersa fronte radios mittit. Quocir ca iure tria hæc loca consideranda sunt, & qua uero ratione configuren tur, diligenter uidendum. In qua quidem consideratione illud quoq; pen sitandum, num stellæ ipsæ partiliter illic aut insideant, aut loca ipsa percu tiant (aspectus enim partilis maximas atq; efficacissimas uires habet) an platice, ut Iulius Maternus usurpat, qui aspectus longe minorum est uiri ũ, efficaciæq; imbecillioris. Partilẽ uocamus aspectum, cũ ascendente ab ortu prima Arietis parte, ab occasu præcipitat se inferius in hemisphæriũ pars Libræ prima, in qua malefica constituta sit, aut fortasse in parte haud ita multum distante: Platicum uero, cum ascendente parte eadem Arietis, malefica inueniatur se deijciens è uigesimaquinta Libræ parte, aut in alijs eiusdem signi partibus, quæ à prima lõgiuscule absunt. Vt autem priorem illum aspectum partilem, sic posteriorem hunc qui Græce est πλατικὸς, nouo sed proprio tamen nomine appellare sepositum, ac remotiorem, quin etiam laxiorem placuit. Quæq; stellæ ratione hac sese uiderint, tum sepo site, ac remote, tum etiam è signo intueri se dicemus, quod nõ ex ipsa par te, uerũ sepositis, atq; interiectis compluribus signi eiusdem partibus in uicem se conspiciant. Erratica igitur stella cõstituta in ipso puncto, atq; ut Græci dicunt centro, siue ut recentiores Latini, in ortus, occasu sue, hoc est primi, aut septimi loci angulo, firmioribus, ac uehementioribus utetur ui ribus, et ut sagittarij loquũtur, certius figet: ex ea enim parte longe acrius ferit, quàm cum è partibus remotioribus, magis q; à puncto distantibus, quanquam signi, lociq; illius spatio partes illæ contimentur. Quadrangula quoquo irradiatio, aut opposita angulum ipsum partiliter feriens multo etiam magis noxia est, quàm quæ loci eiusdẽ partes remotiores, quæq; ab angulo longius recedunt, percusserit. Itaq; uis illi maior, ac significatio ue hementior, huic aũt irradiationi minor inest, ac remissior. Beneficæ quoq; stellæ à locorũ contagione inficiuntur, non aliter quàm regio pestilens in ficere incolumes, ac bene ualentes consueuit. Siquidem Venus quamuis be nefica, septimo tamen, aut sexto in loco constituta, & à malefica stella mi naciter percussa, uitia, ægritudines q; decernit, ac diuersa malorũ genera. Quemadmodũ enim mors non à bile tantum rusa, nigraue infertur, uerũ etiam à sanguine, ac pituita, sic etiã ualetudines. Quocirca beneficæ etiam stellæ uitiosorum locorum cõtagione infectæ, humores quoq; quibus præ sunt, inficiunt, ualetudines q; ingenerant, maxime si à maleficis quoq; uexa buntur. Etenim Venus genituræ cuiuspiam tempore septimo in loco ac tro picis in signis, aut squamosis constituta, si à Marte de quadrangulo, oppo

sitoue

ſitoú e loco percuſſa fuerit, aut uterq; ſimul coniungentur, natum illum impuriſſimæ libidinis ſorde fœdabit: quibus ubi Saturnus aſpectu, præſentiaúe coniunctus fuerit, muliebriſq; genitura ipſa fuerit, eam mulierem Venus in genus ſuum inflammabit, cogetq; criſſari, atq; abuti puellis, quod de Sappho poëtria traditũ eſt. Eadẽ Venus ſexto in loco poſita, ſi muliebris genitura fuerit, ob ſolam loci ipſius malignitatem, portendit mulierem illam de partu ſæpiſſime laboraturam, enixuramq; magno cum uitæ ſuæ periculo, aut fœtum immaturum edituram, aut etiam lacerum illum, ac membratim à medicis diſcerpendum. Quod de Veneris infectione, idem illud etiam de Ioue dicimus: Siquidem hoc eodem in loco cõſtitutus Iupiter mala etiam plurima decernit. Vix enim fiet, quin exponatur is qui in lucem ueniens Iouem ſexto in loco collocatum habuerit, fueritq; Iupiter ipſe horoſcopantis, aut culminantis ſigni dominus, geniturag; nocturna. Quod periculũ eo erit ineuitabilius, ſi aut Saturnus, aut Sol, aut Mars Ioui è fronte aduerſabuntur, aut deficiens ei Luna quadrangulabitur. Neq; enim temere loco huic ab antiquis diſciplinæ huius ſcriptoribus, malæ fortunæ cognomentum eſt inditum, quando nulla non erratica ex eo loco ad maleficiendum compellitur. Quid plura? Venus ipſa quæ uxores tribuit, quæq; tantopere genitalis, ac fœcunda eſt, in quorũ genituris locum hunc tenuerit: ſi mas fuerit, uxorem illi & ſerius decernit, & aut uiduam, aut ualetudinariam, aut male inſtitutam, aut uiro ipſi male audientem dabit: ſin mulier, magnas illi difficultates, magna etiã minitatur è partu pericula, nunc enim abortus faciet, nunc fœtum edet aut acerbum, aut lacerum, præterquàm ſi medio è cœlo aſpectus aliquis benignus arriſerit. Sed iam ad uitia, ualetudinesq; ueniamus, quæ nobis tribus his à locis potiſſimum innuuntur, ac præſertim à ſexto, ac ſeptimo.

De uitijs, ſeu ægritudinibus, & primo de oculis. Cap. II.

PRincipio loca ipſa uidenda ſunt, an ſimul tria, an duo tantũ, an unus ſolus, an nullus ab erraticis ſit inſeſſus, ſintne erraticæ quæ inſedere, beneficæ, an maleficæ, an partim beneficæ, partim aũt maleficæ: ad hæc ſintne ambo luminaria, an alterũ tantum, an neutrũ in ipſis locis: præterea ſitne Mercurius & ipſe ex inſeſſorũ numero, an fortaſſe ſolus. Quod ſi nulla omnino erratica inſederit, uidendũ eſt an è loco quadrangulo ſeu ſeptimũ, ſeu ſextum impugnent locũ, an fortaſſe utrunq;. His autem cognitis, atq; in numerum redactis, uidenda ſunt ſigna ipſa, à quibus loca occupãtur, et item ſigna, quibus erraticæ impugnãtes ferũtur, eorumq; qualitates ac naturæ exactius

perquirendæ. Cum primis autem uidendum est, an erraticæ ipsæ, seu quæ impugnant, seu quæ insident, sint orientales, an occidentales. Siquidē matutinæ, quod ualidioribus præditæ sunt uiribus, uitium afferūt, uespertinæ ualetudinem. Cum enim uitia perpetua sint, potētiore à causa proficiscantur necesse est, ualetudines ab imbecilliore, quia breuiores, suoq; desinunt tempore, tametsi aliquando fortasse reuertuntur. Itaq; stellæ matutinatio uitium indicat, uespertinatio ualetudinem. Erunt autem uitia ac ualetudines pro natura signorum ac stellarum, & in partibus illis corporis, quæ tum stellis, tum signis ipsis subiectæ sunt. Vtiq; de luminaribus primum loquamur, quoniam oculi obtutusq; ipse Solt, Lunæq; ascribuntur, ut iam diximus, ubi utrunq;, aut alterum ijs in locis, aut unà simul, aut seorsum reperientur, uitium aut oculorum alteri, aut utriq; inferetur: ut autem distinctius loquamur, ubi Luna in ortu, occasuue, aut sexto in loco partiliter constituta fuerit, atq; à Sole opposita è parte conspecta, natus ille in cuius hoc genitura contigerit, altero capietur oculo: si tamen Martis, Saturniue præsentia alteri eorum astiterit, aut quadrangulatio affuerit. Idem quoq; continget, si Sol in eorundem locorum aliquo partiliter inuentus hac eadem radiatione pulsetur: quinetiā si Mars, aut Saturnus in ortu, aut occasu partiliter constitutus Solem, Lunamue quadrangula, oppositaue radiatione percutiat, natus ille eadem ratione altero capietur oculo: si uero ambæ maleficæ aut simul iunctæ, aut seorsum collocatæ, utrumq; luminare percutient, siue luminaria ipsa copulata sint, siue seorsum permeent, utriusque nimirum oculi orbitas timenda est. Orbitas autem ipsa, cum Saturnus fuerit illius autor, à uitiosis humoribus, perniciosaq; suffusione ortum ducet. Quod si eius causa ad Martem referetur, uitium ipsum aut ferro, aut igni, aut ictu, aut externa quapiā ui inferetur. Mercurij autem stella, cuius promiscua potentia est, si & ipsa iaculum suum de quadrangulo, oppositoue loco ita in Lunam contorserit, ut orbitatis autor effectus sit, uitium hoc patrabitur gymnicis, palæstricisq; in certaminibus ac ludis, aut exercendo pugillatu. Luna quoq; in aliquo locorum ipsorum collocata, præsertim in cardinibus, si nebulæ coniuncta fuerit, quæ est in Cancro, aut Pliadibus, quæ sunt in Tauro, aut iubæ Leonis, aut urnæ Aquarij, aut in fronte Scorpij collocata, aut in eo Sagittarij spatio, quod ab octaua parte ad decimam protenditur, aut in lineolis Piscium, siue in ipso Arietis capite, atque à Sole oppositis è regione radijs percussa, alteri prorsus oculo lucē adimet, præsertim si Martis, aut Saturni inimica uis sese sociam addiderit. Quod si Solem alter, alter uero Lunam partili radiatione petierit, nimirum natus ille utroq; oculo capietur. Itidem quoq; utriusq; oculi luce orbabitur, qui Lunam ex toto ferè lumine suo orbatam, in aliquo signorum horum,

atq;

atq; in partibus quas diximus collocatã, in cardineq; aliquo præsidentem, Martẽ uero ac Saturnũ, aut alterum corũ saltem illi aduersantẽ habuerit. Quod si plena iã fuerit, euitabit fortasse cæcitatẽ, uitio tamen aliquo laborabit oculorum, aut ualetudine, seu forte cicatrice, & nota aliqua in ea ipsa aspectus parte fœdabitur. Ad hæc aũt, aliaq; uitia infligenda multũ conferret, cũ erraticæ pro Solis configuratione matutiuæ fuerint, pro Lunæ aũt positura uespertinæ. Quinetiam inerunt oculis eius uitia, aut illis capietur, in cuius genitura Sol partiliter in horoscopo, Luna uero in summo cardine partiliter etiam collocabitur, maleficarum autem stellarum altera in anaphora Solis, hoc est succedente loco, altera in Lunæ reperietur anaphora, neque beneficarum præsidium aliqua è parte affuerit. Laborabit et ille aut cæcitate, aut oculorum graui morbo, qui in lucem ueniens, Lunam Solemq; partiliter simul iunctos habuerit, aut in anaphora horoscopi, hoc est succedente in loco, qui ordine secundus est, in figuræ constitutione, aut in epicataphora, id est in octauo, qui locus succedit septimo, Saturnum uero, ac Martem partiliter in ortu, si luminaria fuerint in anaphora, contrà in occiduo partiliter cardine, si luminaria fuerint in epicataphora cõstituta. Est autem anaphora locus horoscopo finitimus, ponẽq; illum sequitur: ex eo dicta, quod planeta illic positus, postquàm locum illum in quo est, permensus fuerit, sursum ad illum statim se transferat. Quocirca secundus figuræ locus anaphora est orientis cardinis. Ascendente nanque Ariete, si Taurum Sol peragrabit, dicetur Sol esse in anaphora horoscopantis cardinis collocatus. Quocirca proprio, ac Latino uerbo dici à nobis Successio potest, quod cardini statim succedat, inferiori ex hemisphærio accedens ad superius. Epicataphora uero dicetur Decessio, isq; erit octauus locus, è quo decedens planeta occiduum declinat in cardinem, uersus inferius hemisphærium. Itaque planeta octauo in loco positus, dicitur esse in epicataphora, & decessione occidui cardinis. Hæc autem successio, ac decessio progreditur secundum eum motum, qui est ab ortu in occasum, rapitq; secum & mundum, & sydera. Qua ratione commode ac perappositè etiam dicemus, undecimum quidem locum anaphoram, hoc est successionem esse culminantis cardinis: quintum uero locum epicataphorã, id est decessionem imi, ac recubantis. Maleficæ igitur in ortu occasuue constitutæ, præsentia sua perinde ac pestilenti quodam contactu loca illa inficiunt: ad quæ loca ubi luminaria de octauo, aut secundo è loco se contulerint, quadam quasi contagione inficiuntur. Quocirca humorum corruptio in nati illius corpore futura decernitur, quinetiam oculi decreto iam tempore suffusione grauabuntur adeò, ut facile inde cæcitas subsequatur. An non intrantes homines loca fœtida, et ipsi fœtore afficiuntur? Quid enim inter mortales con-

tagione pernicioſius? Signorum tamen qualitates, naturæq; examinandæ ſunt, ut humorum quoq; qualitates, temperaturæq; intellegantur, è quibus ſit uitium euenturum. Hæc autem ratio efficit, ut oculi tuti nequaquam futuri ſint, quoties Sol & Luna in ſucceſſione maleficarum copulati inueniuntur cuiuſpiam genituræ tempore. Periclitabitur & ille quoq; oculis, qui Martem, Solem, ac Lunam partiliter iunctos in aliquo genituræ ſuæ cardine ſortitus fuerit, ac præſertim in ijs de quibus locuti ſumus cardinibus ortus atq; occaſus. Sol quoq; in ortu cum Saturno partiliter collocatus, ſi Martem ab oppoſito aut è quadrangulo minitantē conſpexerit, oculi alterius, ac dextri fortaſſe oculi futuram decernit orbitatem. Eſt autem nonnihil difficile iudicatu, an ob ſuffuſionem à Saturno excitatam, an ob Martiam uiolentiam. Vtranq; autem ad rem ſignorum naturæ plurimum conferunt. Vbiq; autem aduertendum eſt, num beneficæ ipſæ, atq; è loco quidē ſuperiore præſidium ſuum conferant. Sol quoq; cum Marte ac Mercurio in occaſu partiliter poſitus luſcos efficit: quod profecto uitium à cerebri imbecillitate proficiſcitur, à quo & oculi temperantur. Mars igitur ac Mercurius Soli copulati cerebrum inficiunt, atq; imbecillum reddunt illuſtrandis oculis, luciq; abunde hauriendæ. Orbabitur fortaſſe dextro & ille oculo, in cuius genitura Sol in cardine partiliter poſitus Martem Saturnúmue aut ſimul utrunq; ſua in anaphora, locoq; ſubſequenti collocatum habuerit. Progreſſi enim è loco illo ad locum quem pridem Sol tenuerat, ſtatim cum præſentia ſua inficiunt, cauſasq; naturales excitant, quibus uitium afferetur nati illius oculo, qui dexter quidem potius erit, quando dexter quidem Soli, Lunæ uero ſiniſter addicitur: qui & ipſe uitiabitur ſi Luna in cardine ſimiliter collocata Martem, aut Saturnum, aut utrunq; ſimul in anaphora, ſuáue in deceſſione habuerit. Decernitur etiam cæcitas eius, qui Solem ac Lunam quamuis diuerſis in cardinibus collocatos habuerit, ſiue cardines illi quadranguli inuicem fuerint, ſiue oppoſiti, atq; in alterius quidem cardinis ſucceſſione Martem ſortitus ſit, in alterius uero ſucceſſione Saturnum. Sole ac Luna partiliter in cardine coëuntibus, ſi Mars ac Saturnus, alter medium, alter imum tenuerit, aut copulati luminaribus ijſdem in partibus uterq;, aut alter ipſorum fuerit: ex hac quoq; configuratione cæcitas portenditur, è ſuffuſione quidem ſi Saturnus, externa uero ui ſi Mars ſolus. Alterius quoq; oculi calamitas innuitur, ubi Mars ac Saturnus octauo in loco, hoc eſt in ſeptimi deceſſione conſtituti, regredientesq; Lunam quadrangulo aſpectu uiderint, cumq; hac luminis calamitate debilitas quoque corporis timenda eſt. Quin ſi Luna fuerit dextro in quadrangulo, dextri oculi amiſſio, dextræq; partis debilitas indicatur: ſin in ſiniſtro, & oculi ſiniſtri, & partis ſiniſtræ infortunium. Quoties inter Solem ac Lunā, antequàm

quàm coëant, maleſica interiecta eſt, quamuis ſigna ipſa diuerſa ſint, cæcitatis ſimiliter diſcrimen timendum eſt. His etiam configurationibus uidendũ eſt, addatur, nec ne domorum inter ſtellas cõmutatio, alteraq; alterius accipiatur hoſpitio, quæ res ſtellarũ poteſtati, ac decreto uiriũ multũ adijcit. Quoniam autem uitia, atq; offenſiones, quæ externa ui minime inferuntur oculis, ab humorum defluxione ortum ducunt: quæ ubi minor fuerit, ſuffuſiones, atq; ophthalmias, ubi maior, magisq; continua, uitium cæcitatis infligit: mirũ neutiquã eſt, ſi Luna nebuloſis in locis, de quibus dictũ eſt, poſita præſertimq; deficiẽs lumine, atq; ad coitum Solis properans cæcitatẽ indicit. Siquidẽ Luna ipſa ea tempeſtate frigido, humidoq;, hoc eſt hyberno humore referta eſt, quodq; loca illa nebuloſa magnopere etiam humeſcũt, uim profecto maximam humiditatis euocat, quæ aſſiduo manatu defluens, ac propter frigus aliquanto coactius ac lentius, lucem tandem extinguit. Eadem Luna in Arietis capite collocata, id eſt in partibus tertia, quarta, & quinta, quæ caput conſtituunt, nam prima & ſecunda cornibus inſignitur, ſexta autem ac ſeptima faciem deſignant in qua oculi collocantur, quod Homero contigit, cæcum faciet, atq; eo certius, ſi Saturno fuerit ibidem copulata, cerebrum nanq; uſq; adeò humectabit, ut in oculos perinde ac uena è quadam humor continenter diſtillet. Cum enim Aries capiti præſideat, cerebrumq; quod capite continetur, collocetur in partibus, quas diximus, Luna deficiens plus æquo cerebrum humectabit, reddetq; intemperatius, quam intemperantiam Saturnus etiam cõtagione ſua adaugebit, atque infeſtabit. Vehemens autem aſſiduaq; intemperantia non ualetudinem modò, ac morbum, uerumetiam uitium afferre conſucuit. Nec uero alienum fuerit, hac præſertim in parte in qua de oculorum uitijs agitur, referre quæ ab antiquis ſcriptoribus, præſertimq; à Iulio Materno traduntur obſeruata, quæ generis ſunt huiſmodi. Sol & Luna tropico in ſigno ijſdem in partibus copulati, ſi Mercurius quoque copulationi huic acceſſerit, cæcitatem obnunciant. An uero tropica ſigna uidentur malo huic accommodatiora, quod in illis fiat noctis ac diei uariatio? Nam & diei diminutio lucis eſt ex parte ademptio, quæ quoniam adimi in Cancro incipit, ſignum hoc cum ſit etiam Lunæ domicilium, inferendo luminibus uitio, quàm Capricorni ſignum longe uidetur opportunius. Luna in horoſcopo paritiliter conſtituta, ſi Martem, aut Saturnum in ſucceſſione habuerit horoſcopi, qui ſecundus locus eſt, fueritq; nocturna genitura, oculo ſiniſtro uitium minatur: Sol uero dextro, ubi in horoſcopo poſitus eandem hanc maleficam in ſucceſſione collocatam habuerit, minatur etiam cæcitatis uitium: hoc idem quoq; Sol in horoſcopo conſtitutus, ſi Luna infimum cardinem, Saturnus occidui cardinis deceſſionem, qui locus octauus eſt, teneant.

portendit & idem malum Luna sexto è loco, si Sol ac Saturnus in decessione occidui cardinis constituti simul fuerint, Mars uero in culminis successione, qui locus undecimus est, in imo item Luna constituta, si Sol, Mars, ac Saturnus in eadem occidui cardinis decessione inuenientur. Licet autem aspectus hic sit triangulus, ac suapte natura bonus, loci tamen, coniunctio nisq; improbitas, & quod octauus locus ab horoscopo prorsus alienus est, trianguli aspectus superant benignitatem, illumq; contaminant: ut cum arma, quæ defensionis gratia inuenta sunt, homini furioso permittuntur: aut cum remedia quæ salubritatem promittunt, ab ægritudinis peruersa ui superantur. Nec uero ex hac configuratione solum cæcitatis periculum timendum est, uerumetiam corporis debilitas, ac bonorum fortunæ iactura non exigua. Sol enim proximus & Martem exurit, & Saturnum arefacit, & ipse quoque illorum contagione sic inficitur, ut humorum commixtio ipsa futura sit maxime noxia, ac præsertim oculis, quorum ipsi præsides. Sol quidem hac in configuratione, coniunctione, Luna uero aspectu maleficorum, contagione quasi quadam, uterque inficiuntur. Eadem oculorum, corporisq; incõmoda Luna minitatur, si Sole, ac Marte in occasus decessione constitutis, ipsa in signo humano cum stella Saturni simul, oppositoq; in loco, atque in horoscopi successione collocata ab illis oppugnabitur. Maximum quoque oculis periculum timendum est, cum Luna in ortu, Sol autem in occasu constituti partiliter fuerint, itemq; cum Luna fuerit sexto in loco collocata, Sol in secũdo, Mars uero in ortu, ac Saturnus in occasu constiterint. Idem imminet cæcitatis periculum, ubi Saturno duodecimum locum tenente, atque in ortus declinatione constituto, luminaria ipsa cum Marte in imo simul cardine, aut octauo in loco inueniuntur, Sol in ortus successione positus, Luna in decessione occasus, hoc est Sol quidem in secundo, Luna uero in octauo loco constituti, qua è constitutione luminaria sibi inuicem opponuntur, uitium cæcitatis moliuntur. Hoc idem, si Mars infimum locum teneat, Saturnus autem undecimo è loco quadranguletur luminaribus. Sol quoque in ascendente cardine inuentus, Saturnus in imo, oculis insidiantur, si tamen Luna nono fuerit in loco constituta, licet ipsa è triangulo aspiciat: quippe quæ decimũ statim in locũ progressa quadrangulabitur Soli, frontemq; Saturno hostiliter obijciet. Est enim Lunæ tum defluxio, tum progressio diligentissime obseruãda. Easdem oculis parant insidias Saturnus ac Luna tropico è signo tum Solem, tum Martẽ opposita radiatione contuentes, aut Sole, ac Marte octauo in loco positis, si in imo ipsi cardine constituti fuerint: plus enim ad uitium patrandum habent uirium Luna & Saturnus imo è cardine horoscopum ferientes, Solis item ac Martis in loco auerso, atque inconiuncto peruersa coniunctio,

quàm

quàm trianguli aspectus benigna irradiatio, ut paulò est ante dictũ. Omnino autem timendum est oculis, cum Sol horoscopum, Luna infimum cardinem, Saturnus horoscopi successionem, Mars uero undecimum locum tenuerint: siquidem maleficarum altera succedit horoscopo, id est exorienti cardini, altera culminanti. Quod si duodecimum Mars locum tenuerit, quia Soli circumuento utraq; malefica insidias struit, periculũ quoque hac è configuratione imminere portenditur. Similem in modum si fiat Solis, ac Saturni locorum commutatio. Nec minus si diurna in genitura Sol ac Luna secundo in loco, horoscopiq; in successione constituti, Martem octauo è loco, occiduiq; cardinis decessione radios sibi aduersos iaculantẽ aspexerint. Nec uero traditum non est, aut inobseruatum, oculorum aciem, pupillæq; ipsius globulum peruertendum (quo uitio affecti Strabones dicuntur) cum Luna ac Mercurius ijsdem in partibus copulati, Martem Venerem q; eadem ratione sinistro in quadrangulo collocatos uiderint: tametsi configuratio hæc non minus capiti, aut collo deformitatem minitatur, ut aut collum, cui Venus præsidet, propter Taurum in alteram h umerorum partem tortuosius propẽdeat, aut caput, in quo Mars quoq; propter Arietem ius suum exercet, acuminetur, deformiusq; sursum uersus protendat. Hæc autem configuratio propter Venerem, quæ Martem lenit, cæcitatem nequit infligere: Martis tamen improbitas Venerem sic labefactat, ut deformitas hæc inde subsequatur, utq; è qua commixtione uitium non potest cæcitatis prorumpere, prorumpat colli, capitisue deformitas propter eas quas diximus, Tauri, Arietisq; rationes. Velle autem complecti singula, neq; huius est, neque alterius cuiuspiam disciplinæ. Quid enim esset aliud quàm infinite uelle progredi, atque in ipsa luce caligare? Satis autem sit hoc persuasum habere, è stellarum, signorumq; commixtionibus tam diuersis hinc uitia deformitatemq;, illinc decorem dignitatemq; corporis proficisci, tametsi parentũ quoque natura his ipsis utranq; in partem nõ parũ opitulatur. Hoc autem huiusmodi esse ipsa nos docet natura: siquidem uix unius atque alterius tanto è numero hominum corporaturã, effigiem, mores, atque commotiones ita similes uidemus, ut non multum etiam inter se differant: quod profecto à motionibus ipsis cœli ac stellarum sempiterna orbiculatione proficiscitur, quæ semper sibi ipsa dissimilis est, uariaturq; ubique, donec post confectam illam perannosam orbium omniũ conuersionem, res ipsæ ad illum ipsum statum regrediantur, à quo primum aliâs atque aliâs cœpere. Quæ consideratio, itemq; cognitio primos illos tum Chaldæos, tum Aegyptios mouit, uti arbitrarentur mortalium resurrectionem futuram. Ad hæc naturæ rerum studiosi, ac præsertim medici nequaquam aut ingenio assequi, aut usu possunt omnia. Qua è re fa-

ctum est, ut ab illis, et quidē non paucis, tum in perscrutationibus, tū etiam quæstionibus dicatur à natura, uicq; propria comparatum sic esse, reiq; illi de qua quæritur peculiariter attributū. Nauseabat familiaris meus Ioannes Spina, quoties eius naribus casei obijceretur odor: isq; ubi in mensa apponeretur, compescere uomitū haud poterat. Alter etiā familiaris rutam ubi sensisset, inhibere fugā nequibat. Mihi ipsi & fauces deliquescunt, et inhorrescunt artus, nō modò si, quæ Persica nux dicitur, manu tractetur, uerum si ab alio tractari eam uiderim, adeò me cortex ille attactu cōmouet. Eodem etiam afficiunt horrore P. Summontium nostrū poma omnia, quæ cortice sint pilosiore. Idem quoq; ego neq; balarum titillatione moueor, & plantarum perfrictione maxime delector, mirificamq; scabendis illis uoluptatem capio. Sunt qui frictionem illam nullo modo patiantur. Harū rerū ratio sua et quidē certa, peculiaris q; existit, nec fuit ab Aristotele præterita. Impigrū & fortem nouimus militē, qui repente obiecta sibi ex improuiso lacertula, fugā perinde atq; cōsternatus arriperet, retentusq; uisa ea exanimaretur. Itaq; qui neq; ab hoste armato, neq; ab angue deterreretur, lacertulā exanimis fugitabat. Diximus igitur de oculorū uitijs, ac nō modò de sexto, septimo, & primo loco disseruimus, deq; luminaribus, ac maleficis stellis, uerumetiā de cardinibus, cardinumq; ipsorū successionibus, ac decessionibus, hoc est anaphoris, & epicataphoris. De ualetudinibus uero, ac morbis alijs corporis satis est unū hoc admonuisse, eos ijsdē à stellis pro natura signorum, ac sua, ubi uespertinæ fuerint, ijsdēq; potissimum à locis indicari. Sed neq; omittendū hoc uidetur, easdem illas de quibus dictum est configurationes, ubi neq; prorsus ualidæ, neq; partiles fuerint, sed imbecillæ potius, aspectusq; sepositi, beneficorumq; syderum radijs temperabūtur, tenues offensiunculas, leuioraq; pericula potius quàm uitia decreturas. Et Mars quidem ac Sol oculorum lippitudines, quippe qui humores calfaciant, Saturnus uero ac Luna suffusiones, obnubilationesq; albugineas ingenerabunt, quæ lucem impediant. Quam ob rem ad alia iam corporis uitia, morbosq; transeamus.

De sterilitate & abortu, deq; uitijs circa pudenda. Cap. III.

NOn oculorū autem modò, sed et corporis totius, ac partium eius uitia, ualetudinesq; ab humorum intemperantia, pernitiosaq; commixtione originem ducunt, quippe cum naturæ, cōpactionis q; corporeæ sequātur semina, ut febres, dolores, hulcera: uerumetiam ex ijs quædam externa inferuntur à ui, ut uulnera, ut ossium fracturæ, quæ corpori quotidie uidētur extrinsecus accidere, iureq; appellari

appellantur uiolenta. De utrisque igitur dicemus, quodq; de maleficis, ac luminaribus, deq; tribus locis, primo, sexto, & septimo, maximeq; de oculorum affectionibus disseruimus, de beneficis quoque eadem ratione explicabimus, quæ de maligna perniciosaq; locorum natura infectæ, atq; à maleficis lacessitæ, morbos afferunt, diuersaq; corporibus uitia. Venus igitur in ortu, aut in occasu, sed in occasu præcipue, qui suapte natura noxius est, cum Saturno partiliter posita, aut ab illo conspecta de loco uel quadrangulo, uel opposito, aut domiciliorum inuicem commutatione facta, ut alterius stella in alterius sit hospitio recepta, si à Marte aut è superiore loco, aut è regione infestetur, suam illam genitalem uim amittit ob configurationẽ tantopere iniquam. Quo fit, ut qui uiri genitali in constitutione Venerem ratione hac obsessam habuerint, steriles omnino sint, genitaleq; illorum semen infœcundum reddatur: Mulieres uero tametsi uirile semen genitalem fortasse intra locum admiserint, ipsam tamen admissionem infelicem experiantur. Fœtum enim aut intempestiuũ eijcient atque immaturum, aut frustilla, quasdamq; carunculas magis quàm fœtum enitentur, aut fœtus ipse ex utero lacer, discerptusq; unco distrahetur: maxime autem si configuratio ipsa fuerit in Cancro, Virgine, & Capricorno, uidelicet quod Venus languescat in Virgine, in qua deijcitur, utpote in signo altitudini suæ opposito, quodq; Cancer, & Capricornus signa sint tropica, uiribusq; maioribus, pluribusq; prærogatiuis prædita: quæ mihi quidem propter augendæ ac minuendæ lucis iurisditionem, temporisq; uariandi, à quo cœlestis motus dimensionem quasi quandam, seu potius dinumerationem circumlabentium continue momentorum accipit, uidentur inter signa reliqua tribunal à meridie, septentrioneq; obtinere, ac perinde ut tribunalia magistratibus, sic ipsa planetis illic insidẽtibus autoritatem cõtribuere. Causa uero certa sterilitatis hinc à nobis conijcitur, quod stella Veneris præter alias, tum suapte natura, tum ob commixtiones, quas plurimas accipit, inuestigabiles quodammodo uires & habet, & suscipit, quæq; definiri uix queant: nec mirũ, cum sit materiæ in generatione apparatrix: neq; enim tanta rerũ quæ gignuntur, esset diuersitas, nisi materia ipsa tantopere uariaret. Quando autem monstra in generatione ipsa animalium fieri uidemus, an non sterilitas monstri quasi quoddam genus est? Quid enim monstrosius, ac tam naturæ aduersum, quàm hominem ipsum aliquando genitum, nunquam tamen geniturum? Tum semen igitur uirile accusandum est, perinde ut generationis conciliamentum, tum mulierum menstrua, quæ Venere male se habente, ut ipsa quoque male se habeant necesse est: qua uia nec materia, cui Venus præsidet, nec semen conuenire aliqua inter se ratione possunt. Saturnus igitur

copulatione, Mars uero aſpectu incompoſitiſſimi in generatione ſocij, in cardinibus cœli primarijs poſiti, moderatam illam, appoſiteq; fermentatam undique Veneris naturam conturbant, & calamitate quaſi quadam obiecta corrumpunt, indeq; ſterilitas ipſa ſequitur, quæ tamen (ut paulò poſt dicemus) pluribus de cauſis poteſt contingere. Neque enim tantarum uirium Veneris ſydus eſt, tantæq; autoritatis, tametſi Veneris amator à poëtis Mars decantatus eſt, ut eius, Saturniq;, præſertim aduerſante cardine, poſſit intemperantiam cohibere. Quæ autem in maribus futura eſt ſterilitas, ea erit in fœminis fœtus egerendi, ac parturiendi quædam infeliciitas: quamuis enim uiri ſemen intra uterum admiſerint, infeliciter tamen conceptio ipſa cedet, quando pernicioſa maleficæ utriuſque uis & locum ipſum genitalem, & muliebres humores adeò infecere, ut conceptio perfici prorſus nequeat, minimeq; ſit ad frugem uentura. Eadem Venus eodem in ſtatu Marti, Saturnoq; configurata, ſi Mercurius quoque ſocius acceſſerit, uel eunuchos, atq; euiratos faciet, uel hermaphroditos. Mercurij nãq; ſocietate addita, commutatio hæc continget, in qua Venus quidem gignendi uim propriam retinebit, ſocij uero maleficentiam non abijcient ſuam, peculiaremq; ad naturam Mercurium uterq; abducent, cum ſit ſtella eius tam topere uerſatilis. Quod ſi Sol quoq; in ſociũ aſcitus configurationis huius fuerit, luminariaq; cum Venere unà maſculeſcent, ac Luna (ut dictum eſt) acriter fuerit à maleficis infeſtata, locisq; è ſuperioribus, mares quidẽ euirabuntur, aut eorum teſtibus uitium inferetur, aut ipſi hernia laborabunt, uixq; obſcœnarum partium aut uitium, aut ualetudinem euitabunt: quando ex hac tot planetarum colluuione, tantaq; cum hoſtilitate coacta neceſſe eſt id eueniat, quod in conuentu plurimorum ſimul cõuenarum ſolet accidere, ut rixæ, turbæ, ſeditiones, ciuiliaq; odia publice, priuatimq; oriantur. Ipſæ uero mulieres infœcundæ, ac ſteriles futuræ ſunt. Hæc autẽ uiolentia, impetusq; tam incompoſitus acrius ſæuiet, ſi cõfigurationes hæ contigerint in Ariete, aut in Aquario, quorum alter Martis domus eſt, alter Saturni, dominorumq; ſuorum improbitatem augebunt, atque eo magis quod Venus ipſa mœret in Aquario, quippe qui deſcenſus ſit, atq; apoclima propriæ altitudinis, quam Venus habet in Piſcibus: in Ariete uero langueſcat, utpote in deſcenſione, atque prolapſu domicilij, eſt enim Taurus Veneris domicilium, cuius Aries eſt apoclima. Nec uero configuratio hæc propter luminaria à maleficis percuſſa, nõ oculis etiam uitium minitatur. Quocirca eadem ipſa Venus in imo quoque cardine atq; in Aquario conſtituta, ſi aut Lunam ſecum ſociam habuerit, aut forte aduerſantẽ ſibi è quadrangulo, oppoſitoue loco, id eſt ab ortu, uel occaſu, ſeu de culmine, ſterilitatem portendit. Quinetiam ſexto in loco genituræ tempore collocata

propter

propter loci malignitatem mulieri minitatur ex partu, nam aut ante diē fœtum eijciet, aut propter partus difficultatem in mortis periculum incidet, aut fœtus ipse discerptus extrahetur ex utero. In occasu quoq;, aut in cardine infimo copulata Saturno, Ioui, ac Mercurio, ijsdemq; in partibus mulieres quidem steriles, uiros autem à coitu alienos, ac frigidos facit. Quæ coniunctio si tropico fiet in signo, Marsq; socius accesserit, mares cuirabit, Fœminarum autem loca genitalia uinciet adeò, ut earū natura glutinetur, aditumq; ad se uiri minime permittat. Hoc uitio affectas mulieres Campani incassidatas uocāt, clausas alij, quod naturæ os, ut Celsus inquit, glutinatum sit. Septimo etiam in loco, mundiq; in occasu Venus posita, uespertinumq; ortum faciens, si Saturnus ei superiore è loco, atq; è culmine quadrangulabitur, uiros item frigidos, atq; à coitu alienos, nec minus etiam mulieres faciet. Eiusdem Veneris stella cum Saturno cœli in medio collocata, partibusq; ijsdem, si Luna ex imo, atq; aduerso cœli loco radios suos cōtra obiecerit, filios uiro nullos promittit, aut propter sterilitatem, aut quod anus ei uxor, atq; effœta futura sit. Hæc enim configuratio quadrangulatur à dextra, sinistraq; occasui, qui uxores dare consueuit, ac propter Saturnum futura est uxor aut infœcunda, aut anicula. Venus item cū Mercurio septimo in loco, hoc est occiduo in cardine posita mares eunuchos, atq; exectos decernit, mulieres uiragines, prolemq; nunquam suscepturas, quibus si Mars conciliabitur, aut coniūctione, aut aspectu, hermaphroditos. Eadem Venus eodem in occasu cum Marte, ijsdemq; in partibus posita occultas decernit ualetudines, quæq; ab iecinore proficiscantur.

De causis sterilitatis. Cap. IIII.

REs ipsa uidetur exigere, ut quoniam de sterilitate loquimur, quibus è causis sterilitas ipsa proueniat, quid item ab antiquis in hac ipsa obseruatione traditum sit, referamus. Sobolis propagatio, & ea quæ generatio dicitur, generi animalium est omni, à natura tributa. Nam & mulas aliquando peperisse compertum est, raritas tamen hæc mulorum genus reddere fœcundum nequit. Nihilominus & uiri, & mulieres (ut de hominum loquamur genere) reperti sunt, & quotidie reperiuntur steriles, quiq; prolem suscipiunt nullā. Quod tum in uiris, tum in mulieribus non una solum è causa euenire certum est. Cum nōnunquam sterilitatis causa sit corporis obesitas, quæ excrementitiā illam seminalemq; materiam ad se trahit omnem, quam in uirile semē, menstruaq; muliebria conuertere natura consueuerit. Interdum ob morbornm grauitatem, tum uiri semen, tum mulieris menstruæ illæ purgationes uitiantur adeò, ut uis illa manca omnino efficiatur. Aliquando loca ipsa geni-

talia, partesq; Veneris rebus accommodatæ oblæsæ sunt, meatusq; ipsi obstructi: etsi persæpe medicorum opera remedium adhibetur. Ebrietas quoque uictusq; intemperans quandoq; flaccescere naturam ipsam cogunt, atq; imbecillam reddunt. Verum ab ipso sæpe ortu maris sterilitas, fœminæq; proficiscitur, cum uidelicet menstrua mulieri nulla profluunt, uiro autem semen aut nullum liquitur, aut summum in modum frigidum, ne modo aliquo sit generando. Rei autem huius signa sunt, quod mari barba, fœminæ pubes neutiq; nascitur. His dictis ad obseruationes ipsas ueniamus.

De configurationibus facientibus sterilitatem & hermaphroditos. Cap. V.

SAturnus secundo in loco, id est in horoscopi successione positus, si Lunæ copulabitur, aut de quadrangulo, oppositóue loco sibi inuicem aduersabuntur, liberos denegat, cogitq; alienos sibi adoptare. Idem Saturnus quocunq; in cardine positus si à Mercurio percutiatur ab opposito, sobolem nullo modo promittit, præterquam si alicunde præsidium sit allatum. Iupiter item in occasu constitutus, si aduersos habeat Martem ac Mercurium in horoscopo ijsdē simul in partibus collocatos. Idem etiam efficit Iupiter cum Mercurio in occasu positus, si eis Saturnus ab ortu minabundus obstiterit, aut si illi in ortu, hic uero in occasu constiterint. Mars quoq; prolem minime promittit, ubi ipse quinto in loco positus Lunam ab opposito uiderit oppugnantem, præterquam si Iupiter alicunde prospexerit. In medio item cœlo, aut alio quocunq; in cardine constitutus, nocturna in genitura, signoq; fœminino, nec minus etiā seipso cardinem tenente, si pars, locusq; liberorum in altero è proprijs domicilijs repertus fuerit: uel si dominus signi eius in quo filiorū pars constituitur, fuerit ei copulatus, aut pernicioſa radiatione percussus. Mercurius item cardinalis, si Saturnum aduersum se, aduerso in cardine constitutum habuerit, sterilitatem obnunciat. Ad hæc Saturnus in culmine positus, ac Mercurio partiliter coniunctus, si dominus genituræ, aut uitæ dator aduersabitur, malaq; Martis irradiatio accesserit, præterquàm quod paralyticos, gibberos, atq; incuruos facit, faciet aliquando etiam hermaphroditos. Quoniam uero dictum est à nobis Veneris effectiones esse penè infinitas, non pœnitebit retulisse ea, quæ nostra tempestate de hermaphroditis & ipsi uidimus, & perquàm cognita etiam ab eruditis uiris habemus. Caietana mulierecula uiro piscatori nupta, cum quo annos complureis Veneris res miscuerat, ut Antonius Panhormita piscatoris amicus referre adolescentibus nobis solitus est, post quartumdecimum annum è muliere in uirū transijt, exorto repente in muliebris naturæ loco uirili pene.

Quo

Quo facto, quod conditionis perpuderet suæ, ut qui à uiris pariter, mulieribusq; rideretur, è ciuili uita ad uitæ genus religiosum transijt, uixitq; in monasterio, in quo ipsi eum nouimus, uitæ suæ reliquum, sepultusq; est Romæ in Mariæ ad Mineruam templo. Mulier altera nomine Aemylia nupsit Antonio Spensæ ciui Ebulano, postq; duodecimũ nuptiarum annum in Melium mutata est, hodieq; cum uiris conuersatur, artisq; uiriles exercet in patria: utq; relatum nobis est, nuper etiam uxorem duxit. Masius Aquosa, cũ quo uetus mihi consuetudo est, exorta inter eos de restituenda dote controuersia, testificatur, Ferdinandi se regis iussu prospexisse restitutioni. Biennio antequàm hæc scribimus, ut ab Vmbro nostro A. Colotio grauissimo quidem uiro accepimus, puellæ rusticanæ quæ uillico nupserat, ubi puerum ex illo genuisset, uirile membrum intra muliebrem naturã sese extulit, ineratq; illi, quæ non multis post mensibus diem obijt, ex eo partu maris atq; fœminæ natura promiscua. Hos naturæ cœlestiumq; agitationum effectus mirari magis possumus, quàm quomodo fiant, eorum rationem singillatim reddere. Quæ de re ab Aristotele dicta sunt, quæ dici pro disciplina illa naturali possunt. Quod igitur ad hermaphroditos, atq; androgynos pertinet, quãdo Mercurij stella uersatilis, ac, penè dixerim, promiscua est, siue quod Veneri copulata uires eius augeat ad progignendam fœminã, siue quod in illarum fauorem proclinet stellarum, quæ masculam sobolem meditantur, de coniunctione profecto, ac commixtione radiorum eius, quod semini ac materiæ genitali uberiorem, ualentioremq; uim adiungat, hæc naturæ duplicitas manat, ut dum utriq; fauet æquo studio, nõ tamẽ ut geminos ualeat gignere, aut alteri, ne omnino succumbat, fert suppetias, fœtus hæc sexusq; siue incertitudo, siue communitas proueniat. Nec uero prætercundum est quid Physici hac ipsa de re sentiant.

Opiniones Physicorum de hermaphroditis & geminis. Cap. VI.



Olunt autẽ calorem, à quo existat generatio, moderatũ illum quidem esse, & sua quadam certaq; mensura contineri, urere autẽ, ac supra quàm generatio ipsa exigat, exiccare, ubi uehementior fuerit, aduersariq; propterea generationi: aquã namque aheno contentam temperato ab igni non secus quàm à feruentiore cale fieri, eo tamen differre, quod ab hoc ipso efferuescente fiat euaporatio & maior, & resolutior, ut penè repẽte ab oculis aqua euaneſcat omnis. Oportere itaque tum genitale ipsum uiri semen, tum mulieris excrementa illa menstrua modum suum retinere, certosq; intra fines cogi. Ni enim & eius qui agit, et eius qui patitur, uis intra præscriptũ coërceatur, frustra utrũq;

niti. Vbi uero acceſſio facta eſt aliqua, & ea quidem tanta, quæ geminationi ſatis ſit, fœtum ipſum in utero ob acceſſionem eam geminari, idq; quod rarum ſit, quod parum omnino ſolitum, iam pro monſtro haberi, iudicariq; portentoſum. Eandem quoque acceſſionem in parte quidem aliqua factam, eſſe cauſam aut membri cuiuſpiam agnati, ac ſuperuacanei, aut naturalis magnitudinis regulam prætergreſſi, quod uidelicet in concipiendo fœtus materiæ ipſius plus conſtiterit, quàm quod neceſſariũ eſſet parti illi conſtituendæ. Atq; inde fieri, ut membra interdum ipſa maiora formentur, quàm pro ſua ipſorum natura, corporisq; reliqui conſtitutione. Quinetiam uſu uenire ab hac ipſa cauſa, ut nõnunquam uterq; ſexus inſit fœtui, maris ſcilicet ac fœminæ, etſi è duobus alter eſt ferè ſemper imbecillus, inefficaxq;, & ut ita dixerim, clandeſtinus, contingatq; nonnunquam alterum aut mutari, aut potius aboleri, ut quæ prius fœmina coierat muliebriter, pòſt in marem uerſa uiri cõeat more, agatq; quæ ſolita erat pati. Aſſeuerant igitur agentem uim illam & procreantem cum æquabiliter ſeſe ad alterutrum habuerit, ut aut prorſus ſuperet, aut ut rurſus ſuperetur, eodẽ quidem aut uirili, aut muliebri ſexu geminos naſci: At ubi partim uicerit, partim ſuccubuerit, tunc in diuerſum rem geri, atq; alterum marem, alteram fœminam gigni: quod rarius tamen audio contingere, ac plerunque parum diu uiuere. Vtq; propter materiæ interdum ubertatem in procreatione adnaſcuntur præter naturæ præſcriptũ mẽbra non neceſſaria, ut ſextus digitus, ut auris agnata auri, quod uidelicet materiæ plus inſit, quàm quod aut digitali, aut auriculari ſatis eſt parti: Sic è contrario minus aliquando ineſt, ut cum in fœmineo fœtu conglutinatur pars illa genitalis, quæq; fœminam diſcernit à mare: in maſculino autem, mari haud omnino prodeunt teſtes, neque uirili modo propendent ab inguinibus. Gigni autem geminos tradunt, quoniam & cor duplex generetur, cum ſimplex, id eſt unum tantum ſit in androgyno: quo fit, ut perfici niſi unus fœtus nequeat. Prouenire hæc igitur in geminis procreandis à materia, & ui eiuſdem duplicata, & prævalida ad utrumlibet ſexum conſummandum. In hermaphrodito autem ſecus, quod polleat ad neutrum, imò ad utrunque, ad alterum tamen, ut dictum eſt, clandeſtinum, atque irritum, quando ambo ſexus nequeant in eadem æquabilitate agendi, patiendiq; ſimul in uno conſiſtere. Natura enim in hominum omnino genere marem diſcreuit à fœmina. Itaque in eodem ſimul corpore uterque ſexus, ſuo in gradu nequit conſiſtere. Proficiſci autem hoc oſtenti genus à ſtella Mercurij, eiusq; cum Venere commixtione nomen ipſum hermaphroditi docet, à re ipſa inditum: cauſam uero afferri à materiæ ubertate maiore, oſtendunt etiam fructus arborei. Antonium Panhormitam, cum aliquando me præſente de rebus

his

his sermo incidisset, asseuerantem audiui, compertum sibi fuisse, Francisco Philelpho, cui ipse fuisset perquàm familiaris, tris testiculos esse ingenitos. Referentem quoque non semel audiui Andream Matthæum summa fide, summáq; autoritate uirum, allatum sibi à coco suo, in oppido suo Bitonto agenti, arietem exenteratum, cui & præcordia, & intestina omnia essent geminata, cor uero unum inesset tantum. Nimirum si materia, uisq; illa fuisset satis procreando cordi, geminatus etiam aries in procreatione fuisset.

De linguæ uitijs. Cap. VII.

Sed pergamus ad reliqua. In quorum genitura Saturnus ac Mercurius cum Sole pariter coniuncti cardinem aliquem tenuerint, præsertim ortus, aut occasus, Lunaq; configurabuntur, ipseq; Mercurius occidentalis erit, ijs in lingua uitium inerit: aut enim balbutient, aut blæse, hæsitanterue loquentur. Cum enim linguæ atque orationi Mercurius præsideat, hinc à Saturno Soleq; consli ctatus, illinc à Lunæ radijs male habitus, hunc & ipse malum habitum in lingua nati referet. Lingua enim ipsa hebescet ita, ut nisi ægre per os agitari, ac tractari inter loquendum queat: Idq; ab hebetudine, imbecillitateq; proficisci Mars docet: si enim coniunctione sua obstiterit, Lunaeq; obuiarit, propter insitam celeritatem atque uigorem natus ipse à uitio liberabitur. Quemadmodum autem pedes, lingua quoque uitijs laborat suis: nanq; ut illi claudicant, sic hæc & balbutit, & hæsitat, & blæsa est, et paulatim, ut illi, ætate ipsa perficitur: serius enim infantes loquũtur. Quinetiã postquam ætate lingua perfecta est, uitio quodam naturæ segnior nonnunquam, atque ad efferenda uerba ineptior redditur. Videmus enim alios inter enuntiandum, quod lingua tanquam in cursu retenta sistat, impeditaq; offensaculo hæsitet, nunc literam quampiam, nũc syllabam, hoc est duarum triumue literarum copulationem prætermittere, hiq; balbi plerunq; dicũtur: alios qui aut has, aut illas literas efferre prorsus nequeant, qui blæsi uocantur, quod blæsa illis, ut est in obscœnis carminibus, lingua sit. Sunt etiam qui præter hæsitationem alias alijs literas coniungere, ac simul continuare nequeant, hiq; ab hæsitatione ipsa nomen ducunt hæsitantes. Quãuis & animi quoque sit hæsitatio, ut cum dubijs in rebus constituti, quid potissimum eligamus hæremus. Hæc autem ipsa uitia ab hebetudine, imbecillitateq; eueniunt, quod lingua idonea parum sit illis, quæ animus & intelligit, & concipit, exprimendis: cui, ut officio suo liberrime uti ualeat, celeritate ac uolubilitate maxima opus est. Nimia uero humiditas ei rei cum primis noxia est propter motus tarditatem. Nanq; ut moderata humidi-

tas, quod in arborũ flagellis cernitur, flexibilitatis est, atq; agilitatis causa, sic nimia eneruat, nec patitur clabi, quod in tenerrimis ramulis apparet, iacent enim magis quàm flectuntur, uentoq; agitati decidunt. Ac tametsi lingua ipsa humoris arcula est, & quoddam quasi pœnus, de nimio tamen humore prosternitur. Quo fit, ut neque motari per os, succidentibus neruiculis, neque ipsa festinare ad frangendam uocem, atque in arctus suos redigendam possit. Quippe quæ à natura rerum magistra pulmoni superimposita est, quo spiritum ab illo efflatum informet, informatumq; atque impressum statim exprimat. Aegrotis tamen, ac febri ardentiore laborantibus accidit linguæ deprauatio nimiam ob siccitatem. In hac itaque configuratione Luna, Saturnusq; superfluentia humidi à se concitati, Mercurium usqueadeò madefaciunt, ut in constituenda lingua uitiosus futurus sit artifex. Quoniam aũt uidemus ebriorũ quoq; linguas hæsitare, atque intercipi, eorum item quos ardentior febris uexat, maiorúe urget distillatio, uitiaq; ipsa aut de superfluentia proficiscuntur atque excessu, aut à defectu atque penuria: fieri etiam potest, uti ab humidi inopia, nimiaq; siccitate arefacta lingua inhæsitet, neruiculiq; illi ab humore defecti & substant in motu, & lingua sese inculcet, atque ubi stetit, motari atque impelli uix queat. Siquidem hebetudo, segnitiesq; omnis à tarditate motus existit, quod lingua ipsa agilis nequaquã est, ut nimia fortassis exiccatio non minus quàm humidi exuperantia causam blæsitati afferat. Quocirca (quoniam Sol, ut ante dictum est, neruorum curam suscepit, Mercurius linguæ, Luna pituitæ, cuius etiam ciendæ Saturnus est autor) diligentissime uidendum est in hac ipsa configuratione qui sint ualidiores, pluribusq; prærogatiuis ornati: signa etiam ipsa quid portendant, in ariditatem ne, an humiditatem proclinent: ut ferri sententia pensitatim queat, utra è causa uitia ipsa sint profectura. Fieri etiam potest, ut quod uel breuior quàm oportet, uel angustior lingua ipsa sit, propter breuitatem latitudinisq; arctationem complecti, ac frangere suo tempore uocem articulatam nequeat, quod nihilominus ad malum Mercurij habitum referendum est. Quod uero ad Saturnum ut pote phlegmatis, pituitæq; conciliatorem attinet, stella eius cum sit arida, summumq; in modum frigida, propter frigidi ipsius, humidiq; inter se communicationem & trahit ad se humidi plurimum propter siccitatem, & tractum frigore suo cogit, coactumq; addensat: quo pòst calefacto necesse est pituitæ, lentiq; humoris riuos hubertim fluere, ut expressa è spongia uidemus, quæ aridissima cum sit, humidi plurimum rapit, atque in sese retinet.

De alijs

De alijs quibusdam uitijs. Cap. VIII.

NOn solum autem in lingua, uerumetiam in alijs corporis partibus uitia, malumq; inesse habitum persæpe cernimus, ut capitis à collo in pectus proclinationem, ut pedum claudicationem, ut spinæ, lumborumq; gibbum, & pectoris, ut neruorum solutiones, cõtractionesq;, ac debilitates, ut uertebrarum nimiam deformemq; prominentiam, ut mutilationes quoque: quæ quidem uitia pro signorum naturis eueniunt, maxime autem ubi in illis locus, hoc est uitij, ualetudinisq; pas ceciderit. Hæc autem signa quæ uitiorum, ac ualetudinis locum in genituris sortiuntur, à Græcis uocantur ὑπαύτια, quod uidelicet uitio, ac ualetudini causam dent, nobis tum uitiosa, tum ualetudinaria placet appellare, è recentioribus nonnulli ægrotantia uocauere, quidam ineptiuscule defectiua, quod uitium uocent defectum. Cum igitur ambæ maleficæ, Mars scilicet ac Saturnus, in ascendente cœli cardine cum Sole Lunaq; simul constituti fuerint, aut luminaribus ipsis in horoscopo insidentibus, utraq; malefica, opposito de loco, cardineq; ab occiduo aduersabitur, Lunaq; ipsa in nodis, seu flexibus reperta forte fuerit, aut in Ariete, in quo uitij etiam locus constitutus sit, aut in Tauro, Cancro, Scorpio, seu Capricorno: natus ille, in cuius genitura figuratio hæc contigerit, uitiorum de quibus diximus, aliquo laborabit pro signi natura: atque à primis quidem diebus, ipsaq; statim genitura, si luminaria partiliter cum maleficis copulata incedunt. Hæc autem ipsa signa, quæ supra expressimus, uitijs iam explicatis maxime appositasunt, quod membris præsideant, in quibus illa contingunt. Locus uero ipse nodorum, ac flexuum, flexuram quoque atque incuruationem, distortionemue membrorum in malo Lunæ habitu decernit. Qui nam autem deterior esse habitus Lunæ potest, quàm ut à Sole exusta, ab utraque etiam malefica, aut ex opposito, aut è propinquo, ac coniuncto situ, omni è parte labefactetur? Quod si luminaribus ipsis in ascendente cardine simul positis, Mars ac Saturnus superiores quidem effecti, uerum inuicem digressi de culmine, hoc est è signo cœli mediũ tenente quadrangulabuntur, grauioribus cum periculis, maioreq; consternatione mala hæc quæ decernuntur, inferentur aut à casibus, præcipitibusq; locis, aut à latronibus, quadrupedibus ue, aut ex igni, ferro, uulnere, contentione, rixa, quorum quidem malorum Mars autor atq; illator fuerit, ubi ob prærogatiuarum autoritatem iurisditio hæc illi obtigerit. E mari uero, aut à fluminibus, stagnis ue, aut è spasmis, neruorumq; distẽtionibus, aut ruinis, ubi Saturnus illorum inferendorum ius sibi, potestatemq; uendicauerit.

De uitiligine, scabie, & alijs uitijs compluribus, siue ægritudinibus. Cap. IX.

QVoniam aũt uitia ipsa potißimum decernuntur, Luna æquinoctialibus in signis, aut solstitialibus collocata, si Arietem ipsa permeabit, quod æquinoctiale signum est, uitiligines decernet, atq; albis maculis nati corpus asperget, cui uitio nomen est nunc Morphea. Sin autem per Cancrum feretur, quod Solstitiale est atq; æstiuum signum, lichenas minatur: at in Capricorno posita lentigines, in Libra uero tetram illam scabiem, quæ lepra dicitur. Itaq; pro humorum natura atque intemperantia anni quadrantes sequentiũ, uitia hæc aut his similia portendũtur. Futuræ autem sunt ægritudines, magis quàm uitia, si fiat commutatio status atque conditionis, ut scilicet maleficæ configurentur, Soli quidem uespertino in statu, Lunæ uero in matutino. Status enim uespertinus Lunam delectat, quoniam luminare nocturnum est, matutinus aũt Solem, quod est diurnum. Diurna nanque conditio, quam matutinatio sequitur, quia pollentior est, uitiũ inducit: nocturna uero, cuius particeps est uespertinatio, quod imbecillior est, ualetudinem. Hæc igitur conditionis permutatio, uel potius contrarius status uitia in ualetudines mutat. Generaliter autem & mali habitus, & ægritudines, ac uitia quæ à Saturno decernũtur, à frigore, ac pituita, occultisq; generantur humoribus, ut uentris, atque intestinorum dolores, quiq; morbi inde proueniunt, ut etiam qui è pituitæ affluentia & à reumate, distillatione, grauedine, ut tußis, uomitus, stomachiq; eiectatio, ut corporis totius macilentia ac tabes, ut debilitas ac languor, ut leuitas intestinorum, aluiq; solutio, ut colice, elephantia, icteros, quiq; morbus arquatus dicitur, muliebris etiam naturæ mala affectio: à Marte uero mala pulmonum affectio, sanguinis excreatio, bilis commotio, scabies, ac prurigo, quæq; mala ferro, igniq; curantur, quæq; aut uruntur, aut cæduntur, ut tubercula, hulcera, antraces, fistulæ, quæq; etiam uitia, morbiq; erumpunt in occultis locis, ut mariscæ, pustulæ, denique cuncta serpentia, abortus quoq; muliebres, ac fœtuum truces illæ discerptiones in utero. Quocirca uitia, ægritudines q; maleficarũ ipsarum naturam, ac matutinationis uespertinationis q; conditionem sequentur, easq; infestabunt corporis partes, quæ à signis innuentur, in quibus tum uitij, ualetudinis q; locus inuentus fuerit, tum cardinalis ipsa fiet configuratio. Quodq; Mercurij stella tantopere uersatilis est in utranq; partem boni ac mali, quoties aspectus eius, aut societas accesserit, tum Saturni malignitas, tum Martis augebitur. Siquidem in mouendis humoribus, illisq; exagitandis, atque ad fauces, pectus, stomachum diffundendis, perq; neruos distinendis, excitabit Saturni tarditatem, Martem autem &

irrita-

irritabit ad efferuescendum acrius, aduſtiusq; exiccandum, & ad inflammandum multo etiam uehementius: ut flagrante ſanguine, bileq; arefacta, atque incenſa, totoq; æſtuante corpore intumeſcant paſſim hulcera, fiant abſceſſus, ac uomicæ, ſerpat ignis ſacer, furieturq; inſania, ac mens delirio capta ſeſe ipſa ignoret, præcepsq; rapiatur. Nec uero ſigna non & ipſa in quibus configurationes hæ fiunt, & cardines obtinent, de quibus diximus, ſuas uires, ac ſuam unumquodq; præ ſe ferunt naturam his in malis & corporis & animi diſcriminibus. Etenim Cancer, Capricornus, ac Piſces, demum terrena, aquea, ac piſcoſa ſigna, quæ per corpus ſerpunt, ægritudines excitant, Lichenas item, quas ſupra dictum eſt mentagras uocari, tertram quoque ſcabiem, & ſcrofulas, & elephantiam, atque eius generis ægritudines: fouent enim humorem illum terrenum ac ſalſum, & in ſquamas uertunt, cutemq; inficiunt. Sagittarius, ac Gemini ἐπιλήψιαν, hoc eſt comitialem morbum inducunt. In uniuerſum autem maleficæ in extremis ſignorum partibus conſtitutæ uitia, ac morbos excitant (quod genus ἄγγια Græci uocant à cutis exaſperatione) qualis ſcabies aſperior, quæq; uehementius prurit: quales etiam papulæ nonnullæ, quas Cornelius feras uocat: quales item puſtulæ, quæ & rubent et rodunt, & cutem exaſperant, ſimulq; exhulcerant. Humores enim ad extimas atq; eminentes corporis partes euocatos, ut ad articulos defluant, cogunt, atq; ad partis item exteriores, cuiuſmodi ægritudines, ſiue uitia ſunt elephantia, podagra, chiragra, morbi articulares, quæq; alia mala in extimis, atque extantibus oriuntur corporis partibus. Qualis autem ualetudinum ipſarum futurus ſit exitus, beneficæ indicabunt: ſi enim nulla ratione aut maleficis configurabuntur, aut luminaribus in cardine conſtitutis, multos quidem, graueſq; tum dolores ac moleſtias, tum ualetudines ipſæ ſecum afferent: demum mala ipſa curationem non recipient, erunt enim morbi omnino incurabiles. Tantundemq; eueniet, ſi quanquam configurantur, ipſæ tamen inferiores, atque imbecilliores omni è parte maleficis ſuccumbunt, autoritate, prærogatiuis, ac uiribus ab illis ſuperatæ. Quod ſi beneficæ maleficis configuratæ uiribus ſuperiores, autoritateq; pollentiores fuerint, fauore, ſuffragijſq; id præſtabunt ſuis, ne fœda, opprobrioſaúe uitia ipſa ſint, quinetiam ſuo uti tempore curationem admittant, néue ægritudines ipſæ, ubi beneficæ orientales fuerint, tantopere moleſtæ ac laborioſæ ſint. Quod ſi beneficæ maleficæq; æquis ac paribus munitæ fuerint uiribus, uitia ipſa nunc minuentur, nunc augeſcent, ualetudinesq; temporali quadam intermiſſione & abibunt & regredientur. Quocirca ſi opitulator Iupiter fuerit, ægritudines ſedabuntur, morbiq; miteſcent: & uitia, uti Ptolemæus exiſtimat, quo minus turpitudinem afferant, occultabuntur, hominum beneficio ac pe

cuniarũ, & dignitatis gratia. Cui si Mercurius astipulabitur, nec uenefico rum deerit, nec peritorum medicorum opera. Sin Venus patrocinium susceperit, deorum immortalium utetur ope, ut & uitia honesta quadam uitæ ratione occulantur, & ægritudine sedentur, siue deorum oraculis aditis, siue uotis nuncupatis, siue inspectis sortibus, siue coniectis somnijs, seu deniq; sacerdotum opera, sacris q; piacularibus, aut exorcismis, atq; excantationibus. Cui si etiam Mercurius attestabitur, & uitia, & ualetudines tantum inde leuamentum accipient, ut fortasse etiam per sese tandem curẽtur. In hac igitur maleficarum improbitate si frendæ opis optio Iouis fuerit, primum id præstabit, ut uitia occulantur, ne è diuulgatione turpitudo, infamiaq; oriatur: deinde ut morbi leuationem accipiant, hominum quidem opera, consilioq;, nec minus pecuniæ, ac dignitatis gratia. Cui si Mercurius astipulatus fuerit, non medicorum solum operam, uerumetiam uenefi corum, sagarumq; opem sumministrabit. Sin Venus suffragabitur, sub honesta specie & uitia occultabuntur, & morbi sedabuntur adeò, ut magna è parte leuati uideantur. Cui etiam uitiorum honestamento, ægritudinumq; leuationi, dij ipsi immortales aderunt, nunc oraculis, responsisq;, nunc somniorũ, uisionumq; repræsentationibus, nunc etiam aut sortibus, aut incantationibus, aut uotorum nuncupationibus, aut sacerdotum opera, sacris q;, ut dictum est, piacularibus. Forsitan mala ipsa aut hominum opera, industriaq; curabuntur, aut ubi consenuerint, per se tandem desinent, si Mercurius quoq; Veneri suffragator affuerit. Nec uero frustra hæc ab antiquis scriptoribus, præsertim Ptolemæo, Maternoq; traduntur: siquidem Scamoneus monstrata sibi in somnis herba sanatus legitur, quæ ab ipso postea nomen cepit. Tradit etiam Galenus admonitum in somnis, uti cuiusdam, qui dolore laboraret hepatis, uena feriretur ea, quæ est inter manus pollicem atq; indicem, qua percussa, è uestigio fluisse illum à dolore liberatũ. Paucis ante annis familiaris mei Lancilai Rubidi non imperiti medici neptis, quæ nulla medicorum ope sanari poterat, multos postquam languere cœpit annos, mõstrato sibi in somnis remedio cum omnium admiratione curata est. His ipsis annis Nolæ, qua tempestate Vrsus Vrsinus eam urbem moderabatur (fuit autem princeps tum prudens, multiq; usus, tum à superstitione omnino alienus) puella tredecim annos nata, atq; à natali die inutilis ob neruorum contractionem ad templum à matre delata est, quò diuertisse audierat Iacobum Marchianum, religiosum quidem hominem, ac de quo summa etiam esset integritatis ac sanctitatis opinio. Iacobus rogatus uti pateretur puellam ad se deferri à parentibus, quod à Deo moniti facere hoc essent, subdubitauit, ne aut stultitia, aut nimius in filiam amor illos moueret: tandẽ uero expugnatus matris præcipue precibus, hortatu quoq; antistitis ad

tis ad templi fores matri flenti, genibus se aduoluenti, ac roganti, ut languenti manum filiæ admoueret, sese obtulit, fore enim mater asseuerabat, manu admota, uti filia statim malo liberaretur. Hoc Iacobus ubi fecit, è uestigio puella confirmatis neruis sana effecta domũ incolumis redijt. Quæres præterquàm quod nobis ab Vrso ipso relata est, multi mortales, qui eò conuenere, præstantissimiq; in his uiri & testificati idem tunc sunt, & nũc diuulgatim prædicant. Nec uero superuacaneum laborem hunc nostrum fore ducimus, si etiã configurationes ab antiquis traditas, atq; obseruatas, è quarum significationibus uitia, ualetudinesq; decernãtur subdiderimus. Quinetiam quo hæc ipsa quæ à nobis tradentur, apertiora fiant, naturam, causasq; uitiorum atq; ægritudinum, breuiter tamẽ, ac nutu quasi quodam significabimus, ne qui legunt, caligare prorsus uideantur, naturis ac causis penitus ignoratis.

De claudicatione pedum, & alijs quibusdam morbis. Cap. X.

Claudicatio propriũ uitium est pedũ, hominumq; ipsorũ maxime peculiare, idq; ex eo fit, quod & quadrupedũ, & auiũ crura ossibus, ac neruis tantum constant: hominis uero crus, multa carne uestitur, quoq; mollius est, eo magis iniuriæ exponitur, facileq; (dum in utero mouetur fœtus) lædi potest, ob teneritudinemq; infringi, atq; eo facilius in iniuriã sæpe crus incidit, quod fœtus ipse diutius immoratur in utero, antequàm absolutus in lucem ueniat. In cuius creatione si aut Aquarius, aut Pisces, aut Capricornus infestabũtur à Marte, Saturnó ue, aut ab utroq;, aut in ipsa forte genitura, fœtus illius genua, crura, pedésue uitiabuntur in utero quidẽ, quoties malũ in creatione portenditur: sin in genitura, postquã in lucem ex utero prodierit, eo quidem tempore, quod à malefica stella decretum fuerit. Mars igitur in quocunq; cœli cardine positus, nascente aliquo, ubi cardinis illius anaphoram Saturnus possederit, aut alium quemuis genituræ cardinem, luminaria uero aut quadrangulantur illis, aut opponuntur, aut cũ altero ipsorũ partiliter coiunguntur, natũ illũ claudum, fortasse & paralyticum faciet. Ex insessione nanq;, aut irradiatione Martis, Saturniue præsertim cardinalis signa ipsa acrius inficiuntur: hæc aũt infectio mẽbris illis maxime, quibus signa ipsa præsident, minitatur. Quinetiã aduertendum est cum primis, sint ne signa ipsa eorum ex ordine, quæ agnominantur curua. His minis accedit etiam Lunæ aspectus insensior, è quibus altera quidem corpori, alter uero spiritui dominatur, uterque autem animalitati. Quocirca non nisi male actum iri cum membris illis corporis, quæ uitio huic subijciuntur, existiman-

dum est. Euenit autem claudicatio plerunque uel propter aliquod uulnus acceptũ, uel quod ossa loco suo mota sint, aut quod aliqua externa ui confracta, aut fortasse propter uitiosos humores eo loci cõtinenter defluentes. Igitur si Mercurius, Saturnus, & Sol pariter in cuiuspiã genitura occasum, hoc est septimũ ab horoscopo locũ tenuerint, Luna uero & Mars octauo in loco, ijsdemq; in partibus collocati fuerint, natus ille aut claudus futurus est, aut certe mutilus. Sol enim à Saturno, Luna uero à Marte, omnes autem à locorum pariter malignitate inficiuntur. Quinetiam quod Mercurius & ipse rationis dator inficitur, mentis quoq; uitio, morbóue comitiali fortasse laboraturus est. Claudus quoque & ille futurus uidetur, in cuius genitura Saturnus cardini cuipiam præsidens, in sua Martem anaphora successorem habuerit, ipse uero aut Lunam uiderit, aut illa à Marte uisa fuerit. In hac configuratione ambæ maleficæ admodum potẽtes sunt, quod altera cardinalis est, altera alterius succedit loco, à quo noxiam etiam mutuatur uim, quam in sessione sua antecedenti loco indiderat, quarum noxio obtutu Luna percussa non potest corpori cui præest, ex hoc malo habitu nisi male consulere. Pro natura autẽ signi uitium inferetur, aut à quadrupede, aut è lapsu præcipiti, ruináue, fórte & pernicioſis ab humoribus continuate defluentibus, ac uitiatis neruis in eorum aut distentionem aut resolutionem incidet. Erit fórte natus ipse aut claudus, aut uitiatis neruis imbecillus, ubi Marti partiliter in aliquo cœli cardine constituto Saturnus successerit ab anaphora, aut quemuis aliũ cœli cardinẽ possidens, aut opponetur illi, aut quadrangulabitur, Luna uero aut alteri ipsorum pariter cõiuncta fuerit, aut utrũq; ab oppoſito, quadranguló ue loco intuebitur. In hac autem configuratione Luna multo infestius quàm in priore à maleficis lacessitur. Generaliter autem Mars sexto in loco ab horoscopo constitutus, quo è loco uires sibi multo maiores ad malefaciendũ mutuatur, ualetudines ac uitia decernit, pro signi tamen natura. Si enim incuruũ fuerit signũ, aut claudos aut gibberos reddit. Signa nãq; curua eiusmodi uitia corporibus inferũt, quando nõ temere hac cognominatione notata sunt. Idem Mars in Cancro, aut Capricorno positus, aut in Scorpio, aut Piscibus, aut Tauro, dũ quẽ tamen cardinẽ cœli teneat, Lunæq; aut quadrãguletur, aut opponatur, aut cum illa cõiunctus sit, aut claudos faciet, aut gibberos, aut contortis ceruicibus, aut certe membrũ aliquod uitiabit, ob nimiã atq; assiduam noxiorum humorum ad illud defluxionem. Saturnus quoq; cũ Mercurio in culmine pariter collocatus, si genituræ illius dominum, aut is qui uitæ dator est, aduersum se constitutum habuerit, fueritq; à Marte minaci radiatione pulsatus, aut gibberos faciet, aut paralyticos, aut fortasse incuruos. Idem in occasu positus, matutinaq; prærogatiua adiutus, latentes

corpo-

corporis dolores nato indicit, neruosq; tandem contrahet. Quod autem de Cancro, Capricorno, Tauro, Scorpio, Piscibusq; dictum est, sic uidetur intellegendum, Cancrum atque Capricornum, quoniam Solstitialia signa sunt, excitandis ijs malis multum adijcere. Quæ tum ab se ipsis, tum à planetis aut insidentibus, aut aspicientibus portenduntur. Ad hæc Mars in Capricorno positus altitudinis etiam suæ suffragio adiutus, Lunam in Cancro positam, oppositaq; consistentem in parte cum loco, domoq; etiam ipsa pessime afficit. Nec minus etiam & Lunæ domum, & Lunam ipsam infestat, ubi in Cancro, Capricornoue cõstitutus aduersantem sibi Lunam è Capricorno intuebitur: nam & insessu suo Lunæ domum inficiet, et Lunam in sua ipsius Martis altitudine deprehensam acrius pulsabit. Hæc autem ipsa infectio, uitiosaq; radiorum commixtio eadem ratione fiet, cum Mars ac Luna pariter coniuncti, cardinalem uterq; autoritatem in genitura exercuerint. Quod si eadem hæc aut coniunctio, aut oppositio fiat in Tauro, aut in Scorpio, ubi coniunctio fuerit, deprehensam in Scorpio, hoc est propria in domo Lunam Mars insessu suo tanquam captiuã sua in iura trahet, altitudine etiam Lunæ quæ in Tauro est, aduersa irradiatione tentata. Cum uero oppositio & Lunam, & Lunæ ipsius altitudinẽ proteret, atque interturbabit, quoties aduersantem illam sibi in Tauro adeptus fuerit, sua præsertim è domo radios perinde ac tela in Lunam iaculatus, ac nihilominus & Lunam & Lunæ altitudinem inficiet, diuerso tamen aspectu, cum quadrangulantem sibi illam alio è cardine intuebitur. Quocirca cum Cancer præsideat pectori, quæ pars corporis præcipue subiecta est gibbo, Taurus autem ceruici, & collo, qui locus strumis, incuruitati, contortioniq; maxime expositus est, quaq; parte capiti coniungitur, cum inde nerui per totum diffundantur corpus, Capricornus uero cum præsideat genibus, ubi est crurum iunctura, neruiq; ad pedes inde portendantur, cui membro ab incuruitate, contortione, claudicatione, ac neruorum imbecillitate, distentioneq; maxime timendum est. Cumq; Pisces pedibus præsint, quæ pars corporis non à claudicatione modò, uerumetiam à podagra, pernitiosisq; humoribus sæpissime petitur, quid mirum, si configuratio huiusmodi malorum horum in genitura infelix ominatrix uidetur, atq; in uitæ prægressu etiam importatrix?

De neruorum uitijs ac morbis. Cap. XI.

QVoniam autem in neruorum mentionem incidimus, de illorum resolutione ac uitijs statim dicemus. Ipsa uero neruorũ resolutio, quæ Græco uerbo est tum ἀποπληξία, tum παρά λυσις, perinde ut uel totum corpus, uel membrum aliquod

occupauit, de latentium humorum fluore continuo fit, raroq; adsanitatem peruenit, maxime ubi totum corpus infestat: quippe quæ si non peremerit, aut in comitialē uertetur morbum, aut in paralysim. Verū ex apopleticis ij quos Latine attonitos dicimus, quod ictu fulminis obstupefacti sint, euadunt, quod uerbū ipsum indicat, cum fit à tonitru deductum. Qui uero ui morbi à stupore occupantur, hi recte dicuntur apopletici, rarusq; morbus hic perhibetur, cum necesse sit repente occupato à pernitiosis humoribus uniuerso cerebro, mouentem, atque sentientem uim omnem etiam repente simul corripi, atque tabescere, membraq; identidem omnia consopiri. Contrà membrorū resolutio, quæ suo nomine paralysis dicitur, ubiq; admodū frequēs est. Horum origo morborū ad malum cerebri habitum refertur à medicis, ubi nimio humore occupatum est, cui humori pituita multa insit, eaq; crassa admodū, ac lenta, & ut hodie loquuntur qui medicinam profitentur, uiscosa. Frigida enim ac glutinosa à motu aliena sunt. Nonnunquā etiam pituitæ ipsi atræ bilis multū insedit, quæ cum suapte natura frigida sit, ubi modum excesserit, hominē ipsum aut attonitum reddere, aut obtorpescentem cōsueuit, aut fatuum, aut perquàm meticulosum, atq; ignauum. Sæpe etiam origo ipsa mali ducitur è sanguine admodum crasso, atq; glutinoso, quocirca morbus hic in species plures diuiditur: siquidem inter morbum comitialem, & hos, quos diximus, magna quædam cognatio est. Subtilius autem hæc quærere medicorum est proprium. De nimia igitur humectatione, eaq; male fermentata occupatum cerebrū uim illam, cuius proprium est mouere, atque agitare, quæq; à recentioribus motiua dicitur, sic impedit atque obtundit, ut sensus quandoque ipsos omnino sopiat, quà è re corpus, mensq; ipsa simul etiam obstupescat. Cerebri autem à male temperati humoris superfluentia occupati signum illud est, quod per sputum ac saliuam etiam spumosam eijcere illum natura atque expurgare nititur, quodq; pueri quoque propter humidi immoderatam affluentiam comitiali morbo frequentissime laborant, cum senes propter siccitatem uix hæc mala sentiant. Non semper tamen à superfluentis, glutinosiq; illius humidi copia occupato uniuerso cerebro meatus omnes, unde mouens uis ac sentiens defluit, obstipantur: uerū natura ipsa cum euomere quod humidi exuperat, utique contendat, distillatim, continuateq; in partem unam aliquam corporis humidū ipsum impellit: quo assidue defluente, qui obuiam facti sunt nerui, debiles admodum atque imbecilli redduntur: qua ex imbecillitate ac langore, cum fluor ille noxius usque increscat, tremor pòst inducitur membri illius, quem magnopere auget tum Veneris immoderatus usus, tum etiam uini, ac cœnarum. Erunt autem paralytici, in quorum genitura Sol in sexto ab horoscopo loco, Saturnus uero in duodecimo constituti,

tuti, inimica radiatione sese inuicem impugnauerint è locis ijs, qui suapte natura malefici sunt. Ex hac autem impugnatione portẽditur, Saturnum quidem, quod pituitæ excitator sit, quodq; atræ præsit bili, his humoribus simul mixtis, cerebrum cui Sol præcipue præsidet, assidue infestaturum: qua ex infestatione nerui postea elanguescant, ac tremorem contrahant. Laboraturi eadem quoque neruorum resolutione indicantur illi, in quorum genituris Luna, Mars ac Saturnus ijsdem in partibus coniuncti, duodecimum pariter ab horoscopo locum occupauerint, Sole illos opposito è loco aduersis radijs impugnante. Cum enim Sol ac Luna cerebri, cordis, uitæ, atque animalitatis ipsius præsides, à maleficis simul stellis, maleficisq; è locis pari modo inficiantur, necesse est illorum quoque corpora pernicioſis ab humoribus infici adeò, ut uitiato cerebro, ad quod illi perinde atque exhalationes è terra sursum in aëra feruntur, indeq; distillatim, continenterq; per corpus sese diffundunt, compages ipsa neruorum resoluatur, utq; corpus ipsum à mẽbris partibusq; destitutũ suis, expugnatumq; à concutientibus humoribus, per partis demũ ipsas labascat, & corruat.

De morbo comitiali. Cap. XII.

AB eodem hoc cerebri uitio, ut medicis tamen hæc subtilius discutienda permittamus, manat comitialis morbus, qui caducus à plerisque nunc dicitur, Græco nomine, ut diximus, est ἐπιλημψία, quo ubi quis capitur, è uestigio concidit, oreq; spumas agit, pòst uero interiecto tempore quo iacuit, excitatus sensibus ad sese redit, seq; ipse solo tollit. Generatur aũt non una è causa, neq; una eius species est. Siquidẽ ubi homo repente concidit, oreq; spumas agit, perinde euenit, ac si spasmus, hoc est neruorũ distentio uniuersum corpus occupet. Verum, ut diximus, medici, quorum cognitio hæc propria est, subtilius atque exactius hæc quærant. Illud tradi uniuersim à nobis potest, mala hæc omnia de peruersis, maleq; affectis, atq; contaminatis humoribus contrahi, dũ uel quantitas superfluens, uel qualitas, pernitiosa à cõmixtione deprauata, uel ipsemet humor à principio male constitutus est, progressimq; habitũ deteriorem induit. Laborabit aũt morbo comitiali, efficieturq; epilepticus is, in cuius genitura Luna horoscopũ tenens, aduersum sese, atque in occasu constitutos habuerit pariter Saturnũ atq; Mercuriũ. Neq; enim Luna Saturnusq; propter humorũ maiora incrementa cerebrum tantum uitiabunt, quo è uitio natus is comitiali morbo laborabit, uerũetiam ingeniũ obtundent, corrupto Mercurio, uitiatisq; mentis instrumentis, quam sedem in capite suam habere iam creditum est. Quocirca idem hic natus futurus est etiam lentus, ignauus, stultus, fatuus. Eodem quoque morbo

laboraturus uidetur qui in lucem ueniens hinc Martem, illinc Saturnum solidis è signis, atque ex oppositis locis inuicem aduersantes expertus fuerit, alterum scilicet ab ortu, alterum ab occasu, siue ab imo alterum, atque alterum à culmine. Eundem etiam morbum ingenerabunt, ubi in tropicis constituti signis eadem sibi radiatione aduersabuntur, quodq; tropica signa maioris sint prærogatiuæ, morbus ipse sanari uix poterit. Quod si eadem hæc cõfiguratio duplicibus in signis fiet, ad morbum ipsum corporis accedet animi quoque ægritudo, ac uitium: quippe cum homini huic nullus futurus sit in Deũ metus, nulla religio, crudelitas uero etiã summa. Nam Gemini, Sagittarius, & Virgo humana sunt signa, ex his autem ac Piscibus quadrangularitas integra constituitur, ijsq; è signis, quæ duplicia uocantur, quæ quidem Iouis ac Mercurij domicilia sunt, cunctaq; simul uitiãtur, quibus uitiatis, animus quoque uitietur oportet. Mars item & Iupiter inuicem sese percutientes, alter scilicet è cœli culmine, alter ab imo eũdem hunc morbum uitiatis humoribus afferent, qui tamen sanabitur, præsertim si in finibus uterq; suis, aut alter in alterius reperietur finibus: uincet enim Iouis tandem salutaris benignitas, sed post duodecimũ, aut quintũdecimum nati annum, quæ tempora utriusque diuisim sunt stellæ. Vbi enim Iupiter in ea configuratione potentior fuerit, succedet sanitas post annum duodecimum, ex quo morbus iam cœperit: sin autem Mars, post quintumdecimum, hi enim sunt Martis anni, Iouis autem illi. Mars item ac Saturnus duplici aut tropico in signo pariter positi, atq; in cardine cœli aliquo cõstituti, aut in sexto fortasse ab horoscopo loco, aut in duodecimo, quæ loca sponte sua malefica sunt, si Lunam aut cum Sole coëuntem uiderint, luceq; omni uacuam, aut Soli aduersam, atque omnino plenam, uitiatis ex omni parte humoribus, ijsq; pernicioſe fermentatis, indeq; uitiato etiam cerebro, non epilepticum modò illum efficient, in cuius genitura configuratio hæc cõtigerit, sed, quod magnopere timendum est, insanum. Eundẽ quoq; morbum comitialem, eandemq; insaniam minatur Saturnus, cum genituræ tempore in occiduo cardine constitutus Lunã alio in cardine siue è quadrangulo, siue ex aduerso loco constitutam uiderit, præsertim si huic ipsi configurationi illud quoque accesserit, ut Mars Mercuriusq; tropico in signo partiliter coniuncti Lunam Saturnumq; quacunq; radiatione respexerint. Vbique enim his in configurationibus Mercurius maleficis à stellis uerberatus, cui præsidet mentem infectus ipse inficit. Quod si Iupiter superiore è loco Martem aspiciens, illius rabiem moderabitur, Lunamq; ad se proficiscentem benigne aut acceperit, aut iamiam sit accepturus, nimirum morbus ipse curabitur, uitio ipso per uomicam expurgato. In graui enim periculo cõstituto, morboq; ex hoc laboranti, ratione hac illi Iupiter supe-

petias

petias feret. Mars item ac Saturnus iisdem simul in partibus copulati, ipsoq; in horoscopo collocati, in signo quidem seu tropico, seu duplici, si Iouem ab occasu sibi, horoscopoq; aduersantem cõspexerint, eum qui hac subconfiguratione in lucem uenerit, comitiali morbo infestabunt. Neq; enim Iupiter liberare illum poterit, cum septimi loci peruersa uis, Martis Saturniq; improbitati addita salutarem eius naturam conficiat. forsitan etiam in furorem agent. Quippe cum Mercurij, ac Iouis domicilia, quæ quidem duplicibus in signis constituta sunt, configuratione ab hac corrumpantur. Luna quoq; medium cœli possidens, si & ipsa duplici in signo posita, Martem in imo positum, in signo etiam duplici contra se stantem uiderit, Saturnusq; ab occasu utrique quadrangulabitur, comitiali morbo eum qui tunc nascitur, utiq; afficiet, exagitatis multifariam, uitiatisq; humoribus, qui morbum ipsum excitabũt. Rursus Luna Soli, ac Marti partiliter copulata, cumq; his simul in cœli pariter culmine collocata eundem morbũ ingenerabit, uitiato ab humorum excessu cerebro, si tamen aut Saturnum secum in culmine coniunctum amplectetur, aut illi in occasu posito quadrangulabitur, quinetiam mentem ita turbabit, ut forte à recto illum uitæ ordine retractum in furorem impellat. Ad hæc Sol, Luna, Mars, & Saturnus duplicibus in signis cardinaliter constituti, ea tamen ratione, ut Sol in Geminis positus orientem cœli partem teneat, Luna in Piscibus culminet, Mars in Virgine imum, Saturnus in Sagittario occasum occupet, comitialem morbum portendunt. Idem Sol eundem portendit morbum, ubi in Martis, aut Saturni domicilio constitutus, horoscopum partiliter cum Mercurio occupauerit: aut si fortunæ locus in aliquo maleficarum domicilio inuentus fuerit, Sole ipso ac Mercurio pariter horoscopum tenentibus, atq; in aduerso loco, id est in occasu Martem, ac Saturnum constitutos intuentibus, quinetiam præter comitialem morbum uiolentam mortem obnuntiat. Ad hæc non comitialis modò morbus innuitur, uerũetiam insania, morsq; ipsa uiolenta portenditur ei, qui Saturnum, aut Martem in undecimo ab horoscopo loco, dum ex utero matris prodit, sortitur: aut altero undecimum locum tenente, alterum Lunæ copulatum, aut illi quadrangulantem nanciscetur, dum tamẽ siue Saturnus, siue Mars quauis Mercurium radiatione pulsauerit. Eundem quoq; morbum comitialem, animiq; langorem quendam, ac fatuitatem decernit Luna in horoscopo constituta, si Saturnum ac Mercuriũ ab occasu hosticum in modum secum agentes intuebitur. Quinetiam uiolenta mors portenditur, si Mars hac in configuratione aliquem & ipse cardinem occupauerit. Futuri etiam cum Lunatici, tum insani uidentur, in quorum genituris Luna Soli partiliter cohærens, aut rursum Soli aduersa, ac plena cardinem quempiam sortita Marti quadrangu-

labitur, Saturnũq; aut è quadrangulo, aut ex aduerso loco intuebitur. Quã in configuratione illud sorte euenit, ut utraq; malefica cardinem sibi aliquẽ uendicet, ad maleficam uim acrius exercendam. Eodem etiam morbo capiẽtur quicunq; Iouem in ortu, Martem in occasu collocatos genituræ suæ tempore sortiti fuerint, dum tamẽ Mars Solem, ac Lunam quacunq; radiatione respexerit. Futuri quoque sunt aut lunatici, aut insani, aut languido saltem corpore quicunq; in lucem uenientes nocturno tempore Saturnum in culmine habuerint, Lunam uero ab ipso Saturno ad Martis coniunctionem fuerint proficiscentem sortiti. Mars quoq; in imo, hoc est in quarto ab horoscopo loco positus in diurna genitura, & langore, & comitiali morbo afficere consueuit: quo tempore si horoscopum Sol tenuerit, in Martis quidem domicilio collocatus, locusq; fortunæ similiter in Martis domo constitutus fuerit, insanos, ac lunaticos illos faciet, qui tunc è matris utero prodierint. Sol item in octauo ab horoscopo loco situs, si Lunæ & quidem plenæ diametrabitur, aut illam cõiunctam partiliter eodem ipso in loco secum habuerit, Mars autẽ ac Saturnus aut cũ ijsdẽ copulati fuerint, aut rursum illis oppositi, aut quadrãgulati, eius qui tunc nascetur, caput ita grauabit humoribus, cerebrũq; uitiabit adeò, ut inde lunaticus, ac comitialis morbus erũpat, natusq; ipse sæpius eo morbo intercipiatur, desipiatq; inter loquendũ. Quanquam autem insania mentis est potius quàm corporis uitium, malaq; animi affectio: nihilominus quoniam explicandi ratio sic fert, de ea quoq; subsequenti in loco dicemus.

De insania. Cap. XIII.

INsaniæ species ea, quæ Græce dicta est φρενῖτις, acutis in febribus ægros desipere, & loqui & agere aliena cogit, mentemq; uanis quibusdam imaginibus persæpe addicit. Verum è phreneticorum numero alij quidem hilares, alij tristes sunt, alij inter loquendum desipiunt, alij furore aguntur, alij simulationem atq; artes adhibent, ut pòst custodibus inferre manus ualeant. Est & altera species, quæ ferè incipit sine febre, pòst uero, ut Celsus ait, febriculas excitat, consistitq; in tristitia, quã uidetur bilis atra contrahere. Tertia species eorum est, qui aut non falluntur mente, uerum imaginibus, quæ obijciuntur, ut de Aiace, deq; Alcmæone Poëtæ tradunt, aut & animo quoq; desipiunt. Quocirca insania ipsa uaria est, perinde ut ebrietas, quod aliàs diximus: quando, ut Aristoteli placet, atræ bilis perquàm simile uinum est, ut enim à uino ebrietas, sic ab atra bile cietur insania. Euenit autem hoc ex eo, quod natura ipsa calore utitur ac frigore quibusdam quasi ministris, calorem autem moderatum esse oportet, frigus uero caloris est priuatio. Ab horum igitur

igitur intemperantia defectus, exceſſuſq; in generatione proficiſcuntur. Ex atra itaq; bile uarij generantur morbi, perinde ut ipſa aut frigidi, aut calidi multum in ſe habuerit, cum utriq; ſuſcipiendo ſit quamaptiſſima, tametſi ſuapte natura frigida eſt. An non aqua quoque cum frigida ipſa ſit, à calore ſic efficitur, ut & ferueat, & quam flamma acrius etiam torreat? Eadem quoque à frigore nónne ſic cogitur, ut in glaciem utique rigentem concreſcat? Quam ob rem qui ab ea excitantur morbi, naturam quoque eius, affectionemq; ſequuntur. Itaque inſanorum alij furijs agitantur, terrenturq; imaginibus, alij ſolitudines quærunt, alij in riſum ſoluuntur nimium, aut nimiam rurſus in triſtitiam deijciuntur, alij denique alio rapiuntur exceſſu. Cum ſint etiam qui Deos eſſe ſe ſibij ipſi perſuadeant, alij qui ſe mortuos exiſtiment, atque ex hoc etiam humore Sibyllæ, uatesq; futura prænuntient. Ad quam intemperantiam, diuerſitatemq; gignendam plurimum conferunt Martis ac Saturni habitus in hominum genituris, quorum alter ruſæ quidem, alter uero atræ præſidet bili: cum etiam Mars ſanguinem calore ſuo inflammet, Saturnus autem pituitam euocet propter frigus. Mercurij quoque ſtatus, qui & rationi præſidet, & cuius effectiones atræ bilis quamſimillimæ ſunt, cum primis conſiderandus uidetur. Quoties igitur in alicuius genitura Mercurius in Virgine, quæ & domus, & altitudo eius ipſius eſt, conſtitutus, aut in aduerſo ſigno, hoc eſt in Piſcibus, quibus ipſe ſubiraſcitur, poſitus, horoſcopum partiliter tenuerit, atque à Marte, Saturnoq; è quadrangulo percuſſus fuerit, natus is ab inſania uexabitur. Hæ nanque tres ſtellæ hoſtilem hunc in modum, atque è cardinibus ſeſe impugnantes, atram bilem ſic exagitabunt, ut mentis inde intemperantior agitatio ſubſequatur: cum præſertim ſignum, in quo tribunal ſuum Mercurius exercet, ipſum quoque infeſtetur eadem ipſa maleficarum impugnatione. In deiectione autem ſua, quæ in Piſcibus eſt, poſitus, tanto facilius de gradu, autoritateq; deijcietur ſua, cũ illinc & domui, & altitudini, hoc eſt rebus ipſe ſuis aduerſetur. Agitabitur inſania & ille quoque, qui in lucem ueniens Martem ac Saturnum habuerit, alterum in culmine, alterum in imo conſiſtentem: à qua ſanabitur tandem, ſi Mercurius irradiationem illis ſuam obiecerit. Quod ſi aſpectus ipſi maleficarum partiles omnino fuerint, uix unquam ſanabitur: quæ ſi ſuis in finibus collocatæ fuerint, aut commutata ſede Mars in Saturni finibus, Saturnus in Martis fuerit finibus collocatus, atque, ut dictum eſt, alter imum, alter ſummum cardinem obtineat, tunc liberabitur, cum Mars quintumdecimum, Saturnus uero trigeſimum annum confecerit, ex quo inſania ipſa cœperit. Qua in re aducrtendum eſt, uter horum ſit in configuratione ipſa potentior. Mars quoq; ac Mercurius in occaſu, ſeptimoq; in

loco ab horoscopo cõstituti genituræ cuiusp̃iam tempore, si Venerem quoque eodem illo in loco secũ copulatã habuerint, consueuere non modò iecinoris uitia decernere, occultamq; aliquam ualetudinem (præsidet enim Venus iecinori) uerum & insaniam, & atræ bilis uitia, morbosq; inducere, delirium quoque, mentisq; alienationem, & eam quæ phreneſis dicta est, forsan & cardiacum morbum pro natura signi adducet Sol in octauo ab horoscopo loco positus in genitura cuiusp̃iam, si tamen Martem, aut Saturnum secum coniunctum habuerit, aut è quadrangulo, oppositóue loco uiderit hostiliter insultantem. Quod si Luna octauo in loco cum Sole coëat, aut contra illum plena, atque aduersa fronte consiterit, hisq; ipsis luminaribus hunc in modum constitutis, si Mars Saturnusq; aut copulentur illis, aut diametrentur, aut forte quadrangulentur, non solum perniciosæ ualetudines indicantur, uerum caput ipsum ac cerebrum noxiorum humorum superfluentia, continuaq; illorum exagitatione infestandum decernitur, ut qui sub hac configuratione natus fuerit, aut lunaticus futurus sit, aut mente captus à recto uiuendi ac loquendi ordine, rationeq; detorqueatur, aut uitiliginosus impetiginosusue, aut phthisicus, aut hydropicus, aut elephanticus, forsan etiam paralyticus, aut claudus, aut gibber, aut mutilus fiat, pro natura uidelicet signi. Eadem hæc uitia ualetudinesq; portenduntur, si hæc Solis, Lunæq; configuratio contigerit in secundo, aut sexto, aut duodecimo ab horoscopo loco, perinde ut dictum est ab octauo portendi.

Decimi libri De rebus cœlestibus finis.

IOANNIS IOVIANI PONTANI AD COSMVM PACCIVM PRAEsulem Florentinum, De rebus cœlestibus Lib. Vndecimus.

PROOEMIVM.

IGNEM Physici tradunt Cosme Pacci nullo modo putrescere, cæterũ terrã, aquã, aërem, materiam quasi quandam esse illi à natura subiectam, in qua ius suum exerceat: Aërẽ quoq; ipsum & terras ambientẽ & aquas, à quo & foueamur ipsi, & hauriamus spiritũ, ita quidẽ affici, ut modò calor in eo exuperet, modò tenuetur adeò ut quasi statu de suo decidat,

dat, eijciaturq; à frigore, quod absq; caloris minime existit penuria. Porrò calorẽ cõtendunt, ac frigus, cum agendi ius, atq; autoritatẽ retineãt, ubi in exuperantiã abeũt aliquã, ferũturq; in excessum, animantiũ corruptionis esse causam, scilicet cũ ab aëre ipso plus æquo calefacto insitus ille animantibus calor lõge nimiũ exagitatus atq; incensus humescentẽ ipsam uim à qua uitalis calor foueatur, ita quidẽ exiccat, exhauritq;, ut exucto, aut potius exhausto humido, inarescat adeò corpus, exiccetur q; uitalis uis, ut uerso in feruorem calore, exusta corporis compage, mors sequatur, atque gignentium internitio: aut rursus cum nimio plus à frigore occupato aëre, ita quidem uitalis deijcitur calor, externo à gelu uictus, prostratusq;, ut paulatim hinc concreto humido, illinc destituto à calore corpore, animal extinguatur. Itaque genus hoc corruptionis quod externo aut à calore inducitur, aut à frigore in immensum aucto, ad aërem physici referunt, qui pro tempore uehementiorem in modum ab illis afficitur: quippe cuius natura est, patiendo affici. Intemperantißime igitur affectus aër aut humidum exhaurit omne, adauctis in excessum innati caloris uiribus, cum nullum ei pabulum relinquatur, aut summam ob caloris ipsius inopiam, concreto tandem humido, immoderanterq; grassante frigore incrudescit adeò, obtorpescitq;, ut caloris primo ingeniti, uitæ mox animantium sequatur interitus. Hæc igitur è physicorum sententia aëris est natura, uti caloris imperijs subiectus ac frigoris nunc in hunc, nunc in illum sese uertat excessum, cum uis hæc passiua sit eius, ut alternis pro tempore, proq; cœli motu alterius imperata faciat. Quod si calori ac frigori materiæ loco aër sese exhibet, non corrumpendis modò, uerumetiam generandis rebus (fit enim generatio cõuertendis inuicem, perinde ac rebus ipsis insunt, potentijs, agente calido ac frigido: contrà uero perpetiente humido, atque sicco) quanto campus eius & Soli & Lunæ, & erraticis stellis debet esse patentior? Cum aër ipse penu quasi quoddam sit, ac receptaculum exhalationum omnium, siue exeuntium in uaporem, siue in fumũ, caliginemq; aspirantium. Igitur siue ad generationem respexeris, siue ad corruptionem, summo etiam physicorum consensu, aër hic pro materia sese calori cum exhibeat ac frigori, necesse est tum ad salubritatem, tum ad malã corporis ualetudinem sese Soli ac Lunæ, stellisq; alijs pro materia tractabilem ut exhibeat: quandoquidem in aëre ipso stellæ perinde ac in agro quodam, quod agricolarum proprium est officium, semina spargunt sua, quæ ubi coaluere, ueneruntq; ad maturitatem, fructus tunc suos, hoc est effectus proprios in hominũ corporibus pro diuersitate proferunt seminis, proq; insita ipsis qualitate, siue simplici, siue mixta, siue excedente, siue contrà deficiente, quibus è causis ægritudines plerunq; eueniunt, siue etiam mo-

dum retinente ac pensum, quod salubritati causam præstare est solitum. Quis autem inficiabitur calori rebus ipsis insito, ac frigori alternis fomentum à Sole, Lunáq; & stellis subministrari, pro anni temporibus, signiferiq; orbis conuersione, & motu? Testatur hoc ipsum hyems quidem frigoribus, æstas uero caloribus augendis. Atque ut humorum concoctio, consummataq; illa digestio sanitatẽ gignit, sic è contrario cruditas ægritudinem, languentemq; ac ualetudinarium corporis habitum. Quod si has ad res tantopere, quod physicis placet, cõfert aëris, in quo uiuimus, & à quo spiramus, affectio, qualis fuerit, qualisq; eius habitus, huius uero ipsius & habitus, & affectionis primaria causa à stellis, utpote superioribus è corporibus manat, qualitates ipsas inducentibus, easdemq; & uersantibus et alternantibus: quidmirum si ægritudinum quoq; causas mathematici ad stellas referunt? cum frugum quoq; uitia ad temporum plerunq; qualitates referantur, quæ à Sole stellisq; temperantur. An nõ Aristoteles, cuius studiosi qui sunt, è scriptis hoc eius abunde nouere, ad orbem signiferum longe plura refert, quàm ipsi etiam mathematici, et ad Solem item ac Lunam, quã minorem quoq; Solem appellare non dubitat? Itaq; ut elementis ipse quatuor, qualitates etiam quatuor inesse tradit, has quæ agant quidem, calorem sanè, ac frigus, illas uero quæ patiantur, humidum, ac siccum: sic è stellis septem mathematici alias masculam præ se ferre uim, alias fœmineam uolunt, aliasq; calorem auctare, alias frigus, has humidũ, illas siccum fouere, ijsq; ex effectionibus eam quam uidemus, animantiũ ac rerum existere tantam tum uarietatem, tum copiam. Verum ut ad ægritudines reuertamur, quæ de corruptionis sunt genere, earum aliæ corpus tantum afficiunt, aliæ mentem quoque, animamq; ipsam uexant, quæ corporis est perfectio, utiturq; ratione: quædam ex ijs adeò quidem mentẽ exagitant, labefaciuntq; rationis usum, ut uitia rectius dicantur, quàm ægritudines, quæ tamen ipsæ de malo siue stellarum statu, siue ob agri naturam, soliq; male constituti malitiam, siue utranq; ob causam enascantur, stellis ipsis cum primis ascribendæ sunt: de quibus à nobis & dicta sunt satis multa, & dicentur libro hoc haudquaquam pauciora.

De uitiligine siue morphea. Cap. I.

Vitiligo, quæ hodie apud uulgus est morphea, præterquàm quod fœda ipsa est, è malo fit corporis habitu, serpitq; latius, & altius descendit. Tres eius à Celso species tradũtur, duæ albidæ, tertia subnigra, & umbræ similis, quo morbo homines soli ob cutis tenuitatem, quippe qui ferè soli ex animantibus apertissime canescunt, corripi consueuere, atq; ubi cutis laborat, pilum quoq; laborare

borare necesse est, atque inde defluere, quacunq; uis illa serpat, quam natura ipsa ob corruptionē secernit, eamq; ut è corpore exigat, ad cutem propellit, cutemq; ipsam aspirando ad illam uitiat. Oritur autem è sanguine, quem pituita crassior uitiauit: quodq; nunc remissius, nunc uehementius agitur, duæ inde species existunt, utraq; tamen albida. At quæ subnigra, oritur è uitio, quod rubra bilis in atram de nimia inflammatione uersa, sanguini ipsi attulit, cutemq; sic afficit, ut ex ea furfures, & quæ à Celso squamulæ dicuntur, resoluantur. Mercurius autem in sexto ab horoscopo positus loco, Lunæq; iam crescenti copulatus, uitiosas contrahere ualetudines solitus est, corpusq; nati illius in cuius genitura hoc euenerit, albis maculis & inficere, & uariare. Etenim Luna exagitata à se pituita illa crassiore, de qua dictum est, sanginem uitiat, cui etiam uitio accedit Mercurialis humoris pernitiosa contagio: qua è re infecto sanguine, cum excernere natura ipsa quod inest corruptum studeat, ad cutem illud excutit, indeq; uitiata cute ac pilis, maculæ illic malbescunt, eo fœdiores futuræ, si natura signi ad malum hoc sese adiunxerit.

De impetigine. Cap. II.

Simile uitium est impetigo, quæ in cute quoq; gignitur, nunc rufa, nunc nigra, pro sanguinis ipsius corruptione, qui aliâs de nimia inflammatione, aliâs ab nigra bile, aliâs ab humenti, salsaq; pituita infectus, hoc euaporationis genere expurgare se nititur, atq; hac uia cutē uitiat. Quo fit, ut Celsus quatuor eius species esse dicat, quæ rubescat, quæ sit etiam aliquanto rubicundior, quæ nigrescat, quæq; subalbida sit, quā deterrimā dicit, uidelicet ob sanguinis inflammationē, ac pituitæ, aut atræ bilis cōmixtionem ac uim. Nonnunquam etiam in impetiginē transire medici tradunt papulas quasdā, quas Græci ueteres ἀγρίας, hoc est feras uocauere: quod uitij genus denūtiari à stellis solet, quoties in genitura Mars in Cancro, aut Scorpio, aut Capricorno, aut piscibus inuentus Lunā è fronte oppositam uiderit. Ex his enim signa tropica, ut dictū est, maiore quadam autoritate prædita sunt, quorū etiam alterum triangularitas Martis est, ac Lunæ domicilium, alterum Martis ipsius altitudo, cum Scorpius peculiare quoq; ipsius hospitium sit, Pisces aūt sint squamosi, & hi morbi squamulas uagando ac serpendo in summa cute resoluant. Itaq; cum sit natura feruentiore Mars præditus, atq; hinc proprio à signo foueatur, illinc à Luna oppugnetur, sanguinē ita infestatus uidetur, ut ex infestatione hac turbulētia nascatur ea, quæ aut impetiginē, aut porriginē, aut fortasse scabiē etiam tetram contractura sit. Quinetiā si Luna, Saturnus, & Mars nascente aliquo æquinoctialibus in signis

pariter consſtiterint, nati illius corpus, ſanguine mq; ita inficient, ut is futurus ſit aut uitiliginoſus, aut impetiginoſus, aut leproſus, uitiaq; ipſa eò maiora & acriora erunt, quò ſtellæ ipſæ potentiorem cœli locum ad malefaciendum nactæ fuerint: ſæpe etiam id efficient, ut corporis ipſius cutis aſperior effecta & pruriat ubique, & ſquamulas ferè aſſiduas ſtringat. Et quoniam in ſcabiei ac lepræ mentionem incidimus, non alienum uidetur paucis explicare, de cuius humoris corruptione, aut pernitioſa mixtura, mala hæc oriantur.

De ſcabie. Cap. III.

SCabies igitur fit, quoties ſanguis cui rufæ bilis multũ ineſt, ac pituita, quæ ſalſior eſt, unà commiſcentur, qua è commixtione humor ille ſalſus, quem natura excernens ad cutem propellit, pruritum illic excitat, unde ſcabies dicta eſt: quòd ſi tenuior humor fuerit, in pruriginem abit: ſin craſſior, puſtulas gignit: qua ratione & uia humor ipſe ab interioribus ad exteriora propulſus, nunc pruriendo expurgatur, nunc putreſcendo. Sordes quoque, cibi item, potuſq; intemperantia, necnon & contagio ſcabiem perſæpe ingenerat. Lepra uero quam tetram ſcabiem non ſemel uocauimus, non ſolũ contagioſa, uerumetiam hæreditaria eſt, quippe quæ à parentibus in filios transfundatur, ob genitale ſemen uitio illo infectum. Oritur aũt atra è bile, quæ frigiditate ac ſiccitate nimia ſanguinem ipſum conficit, alimentaq; quibus enutritur corpus corrumpit, exiccatq; uehementius, cumq; his ſemen quoque genitale, quod è ſanguine ipſo manat. Hæc igitur ipſa tetra ſcabies ubi ex atra illa bile contracta eſt, quæ quidẽ è rubra maiorẽ in modum incenſa deſedit, lacertos, atq; artus ipſos paulatim exeſt ob innatam ſibi rabiem. At ubi bilis ipſa è ſeculentia ſubſedit ſanguinis, extremas corporis partes minime tangit, quippe quæ in initio plerunq; curationem recipit. Ignis etiam ſacer ab eodem ferè fonte ducit ortum, cum puſtulis ijs cognatus ſit, quæ craſſo fiunt è ſanguine, iſq; ſanguis multum in ſe nigræ bilis habet. Cum autem duo ſint eius genera: alterum quidem exaſperatum per puſtulas, ut Celſus tradit, cõtinuas ac plurimas, quarum nulla ſit maior altera, fit maxime in pectore, aut in lateribus, aut eminentibus in partibus, præcipueq; in plantis: alterum uero in ſummæ cutis exhulceratione, ſed ſine altitudine. Atq; ut illud eſt ſubrubicundum, aut pallore, ac rubore mixtum, ſic hoc eſt ſubliuidum, cumq; medium ſaneſcit, extrema procedunt. Scabiem Celſus eſſe ait cutem rubicundam, è qua puſtulæ oriantur, quædam humidiores, quædam ſicciores, ut è quibuſdam tamen ſanies quoq; exeat, fiatq; continuata exhulceratio, quæ & pruriat, & nonnunquam

nunquam cito serpat, quoq; asperior ipsa est, quoq; prurit magis, eo difficilius tollatur, quae re ἀγρίαν, id est ferã à Græcis appellatã existimat. Sæpe etiã licet ex toto desierit, anni certo tẽpore reuertitur. Humores igitur è quibus hæc morborum genera oriũtur, à Marte ac Saturno Lunam percutientibus præcipue excitãtur: excitati autẽ nũc de nimia inflãmatione, ac calefactione sanguinem uitiant, nũc de nimia frigiditate, ac siccitate, aliquando de pituita, quæ & crassa, & salsa admodum sit. Quarum rerum denuntiatio fit genituræ tempore à statu configurationeq; præcipue trium harũ stellarum, quæ humoribus his præsident, atq; à natura signi, in quo stellæ ipsæ reperiuntur: æquinoctiali nanq; in signo simul collocatæ, cum æquinoctialia signa magnæ autoritatis sint, atq; è quadrãgulo solstitialia percutiant, nati corpus aut albis dedecorabunt maculis, aut serpentibus uitijs, aut squamulis minutioribus exasperabunt, aut scabie diuturna uexabunt, aut etiam lepræ teterrimo morbo inhonestabunt, pro stellarum ipsarum inter se prærogatiua & uiribus.

De Elephantia. Cap. IIII.

ESt etiam morbus quem ἐλεφαντίαν Græci uocant, quiq; in Italia olim ignotus penè fuerit. Is totum corpus afficere, ossa quoq; uitiare consueuit. Summa itaq; corporis, ut Celsus ait, cutis crebras maculas, crebrosq; tumores habet. Hæ maculæ rubescunt primo, pòst in atrum uertuntur colorem: cutis autem inæqualiter uariat, quippe quæ nunc mollis, nunc dura est, nunc crassa, contrà nunc tenuis, quinetiam squamulas quasdam resoluit, exasperaturq;. In initio elephanticorum corpus macie quidem afficitur, cæterum os, suræ, pedes intumescunt: pòst ubi morbus ipse cõsenuit, manuum, ac pedum digiti sic intumescunt, ut sub tumore ipso condantur, demumq; exorta febricula, facile obrutus tot malis homo emoritur. Portenditur autem hoc morbi genus, cũ Luna in culminis successione, hoc est in undecimo ab horoscopo loco constituta, ibidem cum Sole coit, Iupiterq; cum ijsdem eodem pariter in loco inuenitur, Saturnus uero ac Mars horoscopum percutiunt, alter è quadrangulo, alter ex oppositio loco: Præsertim si aut Mars aut Saturnus æquinoctiale signum insident, hoc est Mars Arietem, in quo domicilium obtinet, Saturnus Libram, quo in signo altitudinem habet suam, cum etiam Mars in Libra collocatus domicilio opponatur suo, Saturnus in Ariete altitudini. Hæc etenim configuratio ob aspectus tam infensos necesse est humores ipsos ac præsertim sanguinem ex omni parte labefaciat, in qua Iupiter suo præsertim, hoc est undecimo in loco à Sole uritur, Lunaq; cum Sole deliquescit. Mars uero ac Saturnus loca opportunissima nacti sunt ad hoc ipsum mali

genus perpetrandum. Idem etiam elephantiæ morbus portenditur diurnã in genitura à Marte, Venere, ac Luna, ubi tropicis in signis positæ inuicẽ sibi diametrabuntur: Dum tamen Saturnus eãdem ipsas stellas de Leone uideat, seu de Tauro, Sagittario, aut Piscibus, quando insessu suo & Taurum inficit, Veneris domum, & Venerem etiam ipsam intuitu suo lacessit, & Pisces eiusdem altitudinem, cum etiam succedat Taurus Arieti, Pisces uero descensionem eius teneant, ad hæc in Leone collocatus successionẽ tropici signi, hoc est Cancri, in Sagittario autem Capricorni descensionem occupat. Quid quod Sagittarius à Cancro illinc sextum, hinc octauum sibi locum uendicat, Leo item à Capricorno, uterq; autem locus disiunctus, atque pernicioſus est, in quorum altero, quin in utroq; Saturnum inueniri diuersam ob rationẽ necesse est, Venere, Marte, ac Luna partim è Cãcro, partim è Capricorno sese impugnantibus. Pisces quoq; sextum à Libra locum obtinent, Taurus octauũ. Itaq; ratione eadem Venere, Marte, ac Luna è Libra, Arieteq; sese lacessentibus, si Saturnus inuentus fuerit in Piscibus, descensionẽ quidem Arietis, sextum uero à Libra locũ nanciscetur: sin in Tauro, Arietis successionem, octauũ à Libra locum obtinebit. Rursus Luna in Tauro comperta natali tempore, si Saturnum sibi è Scorpio aduersantem uiderit, aut mutata sorte Luna Scorpium, Saturnus Taurum obtinuerit, nec benefica stella radijs suis Lunam ab hostica Saturni irradiatione protexerit, elephantiæ uitium minitatur. Hæc enim ipsa Lunæ, ac Saturni tam aduersa radiorum commixtio, atq; è signis, in quorum altero Luna extollitur, in altero contrà deijcitur, hinc multum crassæ, salsæq; pituitæ, illinc multum nigræ bilis defluxurum indicat, quam ob causam uitiatus sanguis elephantiam inducet.

De Calculis. Cap. V.

CAlculi uitio solus homo uexatur, quod eius uesica in qua gignitur, angustũ admodũ os atq; canalẽ habeat. Ea & Pisces pleroſq; & aues carere cõpertũ est: & quibus inest animantibus, ut quadrupedibus, ea meatus laxiores, ipsumq; canalẽ sanè quàm amplum atq; adapertum habet, unde facilis est qui in illam influxerint, humorum emictio. Terreni igitur humoris quicquid in illam intrusum est, ubi secreuit sese, atq; subsedit, quod in matula cernitur, uitreisq; urinarijs, nec propter canalis angustias excernitur, paulatim concrescit, arefactumq; à calore fit crassius. Siquidem particulæ ipsæ sibi inhærentes dum ab exitu prohibentur, in calculi formam sensim coactæ transeunt, dolorq; inde oritur, dum natura emittere illum nititur, contrà angustiæ canaliculi ne exeat, prohibent. Totum autem hoc uitium Saturno uidetur imponendum, quoniam tum uesicæ, tum humori terreno præsidet, ac suapte

pte natura maleficus est. Erit igitur calculosus, laborabitq; hoc uesicæ uitio quisquis genituræ suæ tẽpore, modò ea diurna fuerit, Saturnũ cũ Mercurio simul octauo in loco ab horoscopo, hoc est in occasus decessione sortitus fuerit: forsan uentris quoq; uitio laboraturus est, locus enim octauus cum sit gratuito noxius, ut dictũ est, Saturnusq; ac Mercurius cũ bilẽ, quæ atra est, summum in modum excitent, ipseq; Saturnus diurno lætetur tempore, efficiaturq; ad maleficiendum potentior, nimirum morbum hunc ingeneraturi uidentur. Siquidem calculi, ut dictum est, concrescũt ex humore terreno, qui in uesica subsederit.

De quibusdam siue uitijs, siue ægritudinibus in generali. Cap. VI.

OMnino autem Saturnus, præsertimq; pernicios is in locis constitutus pernicios os, latenteis q; humores excitat, eosdemq; continuos, atq; eo magis, si Mars uires illi suas ad nocendum porrexerit. Etenim quocunq; in signo simul positi (tanta est utriusq; malignitas) occultos corporis dolores exuscitant, ac tum neruos, tum etiam stomachum, intestinaq; infestant: ijdem in sexto, aut duodecimo loco simul positi, præsertim in signo duplici, aut tropico, aut si in eodẽ ipso signo fortunæ quoq; locus partiliter inuentus fuerit, nõ solum uitia, ægritudinesq; corporibus minantur, uerumetiam animo ac menti, præsertim si et illud accesserit, ut Lunã Solemq; quadrangulo, aut oppositò è loco feriant. In hac enim configuratione tũ Sol & Luna, uitæ nostræ duces, maleficarũ irradiatione noxia infestantur, tum fortunæ locus illarum insessione ex toto inficitur, ut necesse sit animum quoq; nedum corpus male affectum iri. Fit magna quoque malis his accessio à locis inconiunctis, atque auersis, propter insitam noxam, & à signis tropicis, propter magnitudinem autoritatis, aut duplicibus à signis. In Piscibus enim Saturnus ac Mars constituti Virginem ab opposito loco uerberant, humanũ quidem signum, Mercurijq;, qui rationis dator est, domicilium, atq; altitudinem. In Sagittario Geminos lacessunt, eiusdem quoq; Mercurij hospitiũ. In ipsis autẽ Geminis, aut Virgine insessu suo longe illa uehementius corrũpunt. Deniq; partim in sessione sua, partim è quadrangulo, aut diametro irradiantes, signa ipsa duplicia undiq; infestant, ut nõ temere dupliciũ signorũ ratio hac præsertim in cõfiguratione habẽda uideatur. Mars quoq; uitia, ægritudinesq; decernit, ubi duodecimo, aut sexto in loco collocatus, à Sole, Saturnó ue conspectus fuerit. Locus enim gratuito noxius, & Solis aut Saturni aspectus, Marti stimulos ad maleficiendũ adiungunt. Saturnus in occasu collocatus, si luminaribus ipsis cardinẽ cœli aliquẽ aut simul aut separatim tenentibus

diametrabitur, aut quadrangulabitur, stomachi uitia, malumq; decernit habitum, ob frigus, pernicioso sq; humores, cũ ipse stomacho, inteſtinisq; præſideat. Idẽ Saturnus in ſecundo loco, id eſt in aſcendentis ſucceſſione, aut in quarto loco, imoq; in cardine genituræ inuẽtus, ei qui tunc naſcitur, graues, ac nonnunquam diuturnas minatur ualetudines, ad hæc horrores corporis ſtomachiq; præſertim dolores: è duodecimo etiam loco, horoſcopiq; deſcenſione ægritudines & quidem grauiſſimas, ſi aut Lunæ ibidem copulatus fuerit, aut Luna ipſa cardinem aliquem tenuerit. Erunt autem ægritudines multo grauiores, ſi genitura ipſa nocturna fuerit, quo tempore & Luna eſt potentior excitandis humorum fluoribus, & Saturnus cõditionem contrariam ſortitus, ex hac indignatione magis ac magis ad nocendum irritatur. In ſexto etiam loco, occaſusq; deſcenſione Saturnus conſtitutus, qui locus gratuito malus eſt, ægritudines portendit, ſi aut Luna deficiens ad eum applicabit, aut è quarto, oppoſitóue loco hoſtiliter ſeſe intuebuntur. Etenim Saturni pernicioſa uis deficiente à Luna mirum in modum augetur. Mars item quinto in loco ab horoſcopo poſitus, ſi diurna genitura fuerit, proſternata loci illius benignitate, inſeſſu ſuo, atque ob aduerſam conditionem, cum ſtella Martis nocturna ſit, Lunamq; creſcenti lumine undecimo è loco ſibi aduerſantem uiderit, infecto etiam radijs ſuis undecimo loco, qui per ſe benignus eſt, febres ardentiſſimas minitatur, quæq; inſaniam uideantur allaturæ. In duodecimo etiã loco collocatus Mars ægritudines quamgrauiſſimas decernit, quod itidem quocunq; è cardine minitatur, præcipue ubi diurna genitura fuerit, neq; benignus aſpectus aliquo è loco affulſerit. Idẽ Mars ſexto è loco & propter loci maleficam naturam, & quod ſimilitudine lætatur, ualetudines portendit. Signa tamen in quo reperitur natura diligenter aduertenda eſt: ſiquidem ſignum ipſum ubi incuruum fuerit, conſueuit uitium potius afferre, facietq; aut claudum, aut gibberum. Sol quoq; ſexto in loco conſtitutus graues, ac longos morbos denunciat, quod ſi Mars horoſcopum uitiauerit, etiam uulnera infliget: ſeptimo item in loco, hoc eſt occiduo in cardine poſitus tum uitia, tum ualetudines maximas, ſiquidem horoſcopum minaciſſime oppugnat, in quo uitæ ipſius fundamentum eſt iactum. Quod ſi Mars Soli coniunctus fuerit, aut quauis irradiatione Sol à Marte percuſſus, ualetudines futuræ ſunt uehementer calidæ atq; ignitæ. Sin Saturnus aut copulabitur Soli, aut illum irradiauerit, ualetudines futuræ ſunt Saturninæ. Sol quoq; duodecimo in loco ab horoſcopo conſtitutus, & uitia decernit, & ægritudines etiam maximas, ob loci pernicioſam naturam. Saturnus ac Mars ubi in cardinibus ita collocati fuerint, ut diametrentur inuicem, Lunámque aut è quadrangulo in cardine conſtitutam uiderint, aut è diametro, qua ratione neceſſe eſt alteri eorum

coniun-

coniungi, pedum debilitatem, ac langorem portendunt, præsertim si Luna ipsa in nouissimis inuenietur Libræ partibus, aut Capricorni, aut Arietis. Vbi enim Luna in Libra constituta fuerit, necesse est Saturnum ac Martem quo eidem quadrangulentur, sibiq; inuicem opponantur, alterum in Cancro, alterum in Capricorno tropicis uidelicet signis constitui, quibus è locis Saturnus illam in eius altitudine, propriaq; sub iurisditione constitutam mirum in modum infestabit, ac sua è domo, si in Capricorno collocatus fuerit, sin in Cancro, non ipsam tantum Lunam, sed Lunæ ipsius domicilium infectum præsentia sua reddet, quo tempore Mars aut ex altitudine sua, aut è triangularitate radios quoq; in illam suos iaculabitur: nam Capricornus Martis altitudo est, Cancer triangularitas: cumq; Lunæ domus sit, præsentia quidem sua domum corrumpet, quadrangularitate uero Lunam, domus ipsius dominam infestabit. Idem autem hoc continget, si Luna fuerit in Ariete constituta: sin in Capricorno, & Saturnus Libram teneat, Mars Arietem, alter ex altitudine, alter è domo sua illam flagellabit, Mars sibi altitudinis iure subiectam, Saturnus domicilij. Quod item continget, ubi Luna in Cancro fuerit constituta, Saturnus uero in Libra, Mars aũt in Ariete. Sed nec minor corruptio signorum futura est, si Mars Libram, Saturnus Arietem, & se inuicem ex opposito loco, & Lunam è quadrangulo infestauerint: quibus è rebus utraque malefica maximas sibi uires ad impugnandam Lunam à dextra sinistraq; accumulabit, atque eo magis, quod ultimi signorum fines maleficis ipsis addicti sunt, quippe qui suapte natura malefici quoque sint & ipsi. Videntur autem pedes ipsi debilitandi ob plurimos humores, eosdemq; continuos, ac lentos, quos Mars, Saturnusq; excitabũt, Lunaq; subministrabit, ijq; grauitate, ac multitudine deorsum sua assidue defluent, qua è defluxione debilitas ac langor exorietur pedum. Mercurius etiam Saturno copulatus, occasumq; cum illo nactus nocturna in genitura natos ipsos uitiosos, atque imbecillos decernit propter malam humorũ permixtionem, qui & lenti erunt, & continuati, multumq; in se atræbilis habebunt. Conditio quoque nocturna, quæ Saturno aducrsatur, malignitatem illius eo acrius irritabit. Corporis etiam membrorumq; imbecillitatem Mars ac Saturnus denuntiant ijs, quorum in genitura Saturnus quidem culmen, Mars uero imũ cœli occupauerit. Idem hoc malum & in ætate quidem tenera Saturnus ac Mars excitabũt, si uterq; simul ijsdem in partibus Soli, Lunæq; coëuntibus applicauerint. Sol item ac Luna duplicibus in signis positi, cardinemq; aliquem occupantes, si à Marte ac Luna quadrangula radiatione infestentur, idem mali genus portendunt. Ex hac enim cõfiguratione illud efficitur, ut signa omnia duplicia inuicem digladientur. Si enim Sol in Geminis constitutus fuerit,

Luna in Sagittario, maleficarũ altera è Piscibus quadrangulabitur, altera è Virgine, aut ab altero signorũ ipsorũ, in quo simul positæ illis quadrangulabuntur: hac enim ratione alterũ è duplicibus signis insessu suo, aduersis alterum radijs inficient: quæ constitutio cũ maxime perniciosa sit, præcipuos quoq; humores excitabit, quorum mixtura perquàm noxia futura est: quo fit, ut mirum minime uideatur, ex illorum exagitatione atque affluentia imbecillitatem ingenerari. Neq; enim nisi à noxiorũ humorum copia, eaq; male fermentata prouenire membrorum imbecillitas potest, uitiatis ab assidua infestatione neruis, affatimq; defluentibus in eos humoribus, qua è defluxione tum hulcera, tum abscessus ibidem fient, artusq; ipsos male habebunt.

De uitijs siue morbis in locis pudendis. Cap. VII.

ANus quoq; morborum expers non est, in quibus enumeratur uitium illud, quod fit, ubi circa eum ora uenarum quibusdam quasi è capitulis sanguinem fundunt. αἱμορροΐς Græce nomen est, quod uerbum à nostris ita receptum est, ut uix aliud sit in usu: tametsi purgatio hæc magis quàm morbus nonnunquã et in quibusdam uidetur, ut medicis placet. Generatur autem ferè nimio iecinoris sanguine, cui atræ bilis permultũ immixtum est: is aũt sanguis ad inferiores partes excretus, ibiq; sese colligens per ora uenarum quibusdam è capitulis, ut dictũ est, profluit, ab hacq; sanguinis profusione hæmorrhoides dictæ. Portenduntur aũt in natiuitatibus à Luna cũ Marte in occasu, id est septimo ab horoscopo loco constituta. Ad hæc nocturnis in genituris Saturnus, Mars aũt in diurnis occiduũ cœli cardinem tenens hæmorrhoidas decernit, sanguinisq; profusionem. Idem hic Saturnus eundẽ decernit morbum, ubi Lunæ diametrabitur, dum tamen ea neq; in sua, neq; in Saturni ipsius domo posita sit. forte et fistulas ingenerabit. Mars quoq; cardinalis hæc eadẽ mala decernit, ubi Veneri diametrabitur. Consueuit etiam Saturnus in occiduo cardine positus, si matutinus fuerit, hæmorrhoidas, sin uespertinus, aut hæmorrhoidas, aut fistulas circa anum inducere, præsertim Marti qualicũq; ratione configuratus. Hæ aũt stellæ maleficæ cũ sint, & alter sanguinẽ accendat, alter nigram bilem foueat, Lunamq; corporis dominã infestent, præsertim noxijs à locis, aut è cardinibus, sanguinẽ hac ratione uitiant, præsertim ubi Venerem iecinori præsidentẽ maleficæ ipsæ offenderint. Quoniã aũt in fistularum mentionẽ incidimus, hæ ipsæ nõ in ano solũ, uerum in qualibet ferè parte corporis fiunt, &, ut Celsus inquit, genera earum plura sunt, oriunturq; etiam è minoribus abscessibus, diuersisq; hulcerum generibus, suntq; altæ, angustæ, callosæ.

De Hy

De hydropisi. Cap. VIII.

GRæce morbus est ὕδρωψ, hunc prisci Latini aquam inter cutem uocauere, eiusq; tres sunt species: in omnibus aũt inest humoris abundantia nimia. Fuere qui censerent morbum ipsum iecinoris tantum esse, eoq; uitiato, aut male affecto, aquam ipsam enasci: contrà qui dicerent etiam splene, pulmone, stomacho male affecto fieri, totiusq; etiam corporis malo habitu. Sæpe aũt per se incipit, sæpe alteri uetusto morbo, maximeq;, ut Celsus tradit, quartanæ superuenit. Putant aũt medici, modò fieri ex mala iecinoris affectione, cum nimiam ob frigiditatẽ cibum non cõcoquit, indeq; generari sanguinem nequire, corruptaq; corporis cõstitutione aquã inter cutem fieri, modò è malo stomachi habitu, cum frigiditate sua cibũ ipsum crudũ iecinori transmittit, illumq; male concoctũ in pituitam uertit, eamq; inter pelliculas uentris atq; intestinorũ cogi, atq; diffundi, sæpe ex pulmone, aut liene, sæpe ex renibus male affectis, aut menstruorũ, hæmorrhoidumue uitio. Quandoq; aũt, quod perniciosissimũ esse hydropis genus uolunt, post diuturnas atq; ardẽtissimas febris iecur ita exæstuare, ut urat magis quàm cõcoquat, eaq; ob exustionem sanguinem nullũ gigni. Hæc aũt innuisse hac in parte satis sit: qui ea cognoscere expressius uolũt, medicos ipsos consulant. Futuri aũt uidentur hydropici, in quorũ natiuitatibus Mars ac Saturnus tropicis insignis constituti, Lunã quadrangulis simul radijs hostiliter pulsauerint. Mars enim aut sanguinem uitiabit ob calorem nimium, febrisq; ardentiores, aut Saturnus ob frigus febres q; diuturniores, perinde ut in configuratione ipsa alter altero ualentior fuerit, fauoribusq; maioribus instructus. Ac nihilominus sanguinẽ uterq; male afficiet, cũ etiam Saturnus ac Luna uideantur magnã pituitæ uim excitaturi. Signa aũt tropica, quod tam sæpe dicimus, maximæ autoritatis sunt, uiriumq; plurimarum.

De cardiaco. Cap. IX.

IN cardiacum persæpe morbum incidunt, quos ardentioribus laborantes febribus, dũ medici implere nolunt, ne insaniant, ieiunio ita conficiunt, ut ij ob imbecillitatem hoc ipso morbo afficiantur. Tametsi, ut Celsus tradit, ad hunc ipsum persæpe morbũ phrenitici transeunt. Fit itaq; morbus hic è nimia imbecillitate corporis, ac languẽte stomacho, quod pulsus ipse imbecillus, sudorq; potissimum declarat, qui toto prorumpit corpore, pedibus tantummodo ac cruribus siccis atq; frigentibus. Vino autem tandem succurrendum tradunt. Illis itaq; morbus hic portenditur, in quorum genituris præsertim diurnis Mars aliquem cardinem tenuerit, itemq; Mercurius, qua ratione

inuicem aut diametrabũtur, aut è quadrangulo sese ferient. Sol quoque in octauo ab horoscopo loco positus, si Martem, aut Saturnũ socium sortitus ibidẽ fuerit, aut forte illis quadrangulabitur, diametrabiturúe, deliros faciet, aut insanos, aut cardiacos pro signi natura: indicant enim febres ardentissimas, è quarum nimio æstu aut delirium oriatur, aut insania, aut hic ipse cardiacus morbus, de quo nunc loquimur.

De torminibus. Cap. X.

IStGræco nomine morbus intestinorum δυσεντερία, Latino sunt tormina: exhulcerant aũt intus intestina, unde Græcum nomen ductum est, dolor quoque multus est in ano, frequensq; deijciẽdi cupiditas, & quod deijcitur, utiq; exiguum est, ob hoc tormina à torquendo dicta. Ipsam aũt ob exhulcerationẽ cruor quidam excernitur modò cum stercore liquescente, modò cũ mucosis quibusdam, ut Celsus ait, modò cum carnosis. Ipsorum aũt torminũ non una est ratio: siquidem malum ipsum nonnunquam ad abscessum aliquem acuo micam quæ in intestino facta sit, referendum est, aliquando ad iecur, cum sanguine nimio laborans ad intestina illum deijcit, aut dum imbecillitate sua cibum male cõcoquit, neq; ad membrorũ transmittere alimoniã potest, quo fit, ut quæ male concocta sunt, ad intestina deiecta, ea ipsa exhulcerẽt: quandoq; etiam uenæ quod multo intumescant sanguine, rumpuntur, isq; sanguis pòst ad intestina defluit: sæpe autem ob humorum nimiam copiam, qui ad intestina delati illic simul computrescunt, intestinaq; ipsa uitiãt. Decernuntur aũt tormina, ubi Luna in occasu, hoc est septimo in loco aduersus horoscopũ constituta fuerit, Saturnus autem cum Mercurio unà sextum locum insederit, & illud quoq; accesserit, ut fortunæ locus aut Lunæ, aut Saturni domicilium sortitus fuerit. Ex hac autem configuratione, cum Saturnus intestinis præsideat, decernitur ijs in locis ægritudo futura, atq; ex uitiatis humoribus, præcipueq; ex atra bile, propter Saturnum ac Mercuriũ, necnon ex pituita, quæ multa sit, & salsa, propter Lunam horoscopo minitantẽ, itemq; ob Saturnũ pituitæ excitatorem è loco malefico. Signi quoq; ascendentis natura, in quem humorẽ morbus ipse inclinaturus sit, non parum indicabit. Quodq; fortunæ locus magnæ autoritatis est etiam ad illa quæ ad corpus pertinent, & ipse quoq; infectus à signi domino, pernitioso in loco constituto, excitabit plus nimio ac uitiabit humorem illum, qui ab ipso quidem signo excitabitur. Idem quoq; Saturnus cũ Marte sexto in loco positus, uel à Marte ipso è quadrangulo, oppositoúe loco percussus, quoniam occultos corporis dolores, atq; humores mouet, consueuit quoq; torminosos facere, quiq; dysenterici dicuntur.

De mu

De mutilatis. Cap. XI.

NEc uero raro accidit, quod humanarum rerum euentus ferunt, ut corpus ipsum hominis parte aliqua mutiletur, cuius mali causa ad Martem potissimum referenda est. Neq; enim corpora ipsa nostra, ut explicatum est, externis sunt à periculis libera, quod res ipsa quotidie declarat. Amputabitur itaq; aut pes, aut manus, aut membrum aliud pro natura signi nato illi, in cuius genitura Mars Saturno coniunctus, atq; horoscopum partiliter occupans, Solem ac Mercurium in occiduo cardine aduersum se cõsistentes intuebitur. Ambæ nanq; maleficæ coniunctis simul uiribus horoscopo, id est corporis minantur compagini, alter ferro, alter ruinis, uterq; autem uiolenter, Sol ac Mercurius itidem minantur ab occasu. Ad hæc Martis, Mercurijq; irradiationes simul mixtæ perniciosæ admodum sunt, atq; eo amplius, cum exustus à Sole Mercurius retorresçit. Indicatur igitur externa uis, quæ corpus aut cædendo, aut præcipitando parte ab aliqua comminuat. Quid quod Mars ac Mercurius infestis animis in rixas, contentiones, pugnasq; hac è configuratione progrediuntur, quod etiam oppositio ipsa indicat. Idem Mars in occiduo cardine constitutus, partem aliquam corporis excindet, pro natura signi in quo Mars ipse constiterit, dum tamẽ Luna octauum locum occupet, quippe quæ statim in locum Martis decessura sit, & ab ipso occasu signum illud infestatura in horoscopo, quod paulò ante ab octauo loco aduersis radijs in secundo, atq; in ortus successione infestauerat, forte pars illa corporis ex toto non excidetur, uerum cõfringetur potius. Luna quoque aut pedem, aut manum excisurã se minatur, quoties in Ariete, aut Libra, in Cancro, aut in Capricorno constituta Martem è quadrangulo loco gladium sibi porrigentem aspexerit. Sunt autẽ signa tropica ad omnes effectiones mirificæ autoritatis, quæ ex hac configuratione, cuncta aut quadrangulo, aut opposito è loco inficiuntur. Cum autem Luna corpus ipsum potissimum moderetur, ubi à Marte hostica irradiatione percussa fuerit, atq; ab illo afflicta, corpus quoq; affliget. Magnum etiã periculum nato illi imminet, in cuius genitura Mars ac Saturnus pariter aut in Capricorno, aut in Piscibus, aut in Ariete, aut in Tauro inuenti fuerint, ne membrum aliquod amputetur pro natura signi. Pisces nanq; pedibus, Capricornus genibus, Aries capiti, Taurus ceruici, & collo præsidet. Hæc autem signa commissuras corporis obtinent, qua primum parte caput ceruici connectitur, ac collo, deinde qua ceruix ipsa collumq; humeris, spinæ, costis, deinceps qua genua coxis cruribusq; postremo qua pedes subnectuntur cruribus. Quid quod ubi ambo Mars ac Saturnus Pisces obtinent signa ipsa duplicia, partim è quadrangulo, partim ex oppo-

ſito loco inficiuntur ſimul ab illis omnia: ſin in Tauro, ſolida quoq; omnia, in Ariete autẽ, & Capricorno, tempore eodem & æquinoctialia, & ſolſtitialia. Ad hæc ſi ambo in Capricorno conſtiterint, primum in ſeſſione ſua Capricornum ipſum, in quo Saturni domus eſt, Martisq; altitudo, corrumpũt è quadrangulo Arietem ac Libram, alterum Martis ipſius domũ, alterã Saturni altitudinem, & item Cancrum Lunæ domicilium ex oppoſito: quod idem rurſus mutatis continget ſedibus, ubi in Ariete, aut Libra uterq; ſimul conſtituti fuerint: ſin in Tauro, & Lunæ altitudinem inſeſſu ſuo inficiunt, & Scorpium Martis domicilium è diametro, & Aquarium Saturni è quadrangulo. Mercurius item cum Saturno, ac Sole pariter in occaſu poſitus, Luna uero Marti pariter coniuncta, octauumq; locum obtinens, conſueuere aut manus amputare, aut pedes, aut illas, illós ue imbecillos reddere, aut claudicationem inducere, aut ſaltem mentis uitium aliquod, pro natura uidelicet ſigni. Cardo enim ipſe occiduus cum aduerſetur orientis plagæ, in qua corporis, animæq; conſtitutio collocata eſt, atq; inde Sol, Mercuriusq; minitentur ortui, octauus uero locus, qui ſuccedit occaſui minitetur ſecundo, qui ſuccedit ortui, indeq; occaſus, id eſt ſeptimus locus delabatur in ſextũ, ortusq;, id eſt primus, atq; aſcendens locus in duodecimum, quæ loca admodum perhibentur nocua, octauus uero in ſeptimum, atq; inde quod ſignũ percuſſerat ab octauo, rurſus ac uehemẽtius quidem percutiat à ſeptimo, qui locus cardinalis eſt, neceſſe eſt partem aliquam corporis, aut animæ labefactari, plagamq; aliquam accipere, aut ex abſceſſione, aut fractione, aut imbecillitate, aut abſceſſu fiſtulis ue, aut delirio, fatuitate, inſaniáue. Neque enim harum quinque ſtellarum commixtio altercatioq; ſine corporis, animiq; detrimẽto, labefactationeq; poteſt contingere, præſertim in locis tantopere noxijs, cum neque Iupiter, neque Venus aut uim externam prohibeant, aut humorum improbitatem tantam irradiatione ſua temperent.

De Tabe, ſiue Phthiſi. Cap. XII.

TAbis, quam Græci φθίσιν nominant, tres à Celſo ſpecies traduntur. Vna, cum corpus ipſum non alitur, atq; quotidie decedit ab eo aliquid, propterea q; ſumma etiã macies oritur quæ, niſi diligenter occurratur, ſtatim interficit. Ea oriri cõ ſueuit, ubi quis aut auiditate nimia plus quàm debet, aſſumit, qua è re quod ſuperat corrumpitur, aut minus quàm debet, quæ res corpus ipſum infirmat, ac propterea qui eo uitio laborat, facile è uita tollitur. Altera ſpecies non niſi malus quidam corporis habitus eſt, cum aut quæ alere corpus debent, ea corrumpuntur, propter uitium longiore è morbo contractum, quo fit

quo fit, ut refici corpus ipsum nequeat, aut cum propter malam curationẽ, medicamentaq; male tentata pessime affectum est, aut cum neq; usitatos, neq; utiles cibos quis assumpsit, simile ue aliquid, ut ipse Celsus ait, incidit, quinetiam aut exasperari cutis assiduis pustulis, aut intumescere partes quædam corporis consuerunt. Hæcq; καχεξία uocata est. Tertia longeq; periculosissima, quæ suo nomine phthisis est, à capite oritur, indeq; in pulmonem distillans, illumq; exhulcerans febriculam excitat, eamq; leuem, ac lentam: cui & tussis frequenter adiungitur, & excreatio, quæ cruentum aliquid habeat, quod in ignem iectum male oleat, idq; phthisis ipsius signum esse uolunt. Omnino autem tabes pauxillatim quidem membrorum, corporisq; totius humectationem absumit, qua è re φθίσις à Græcis ob huiusmodi consumptionẽ nominata est. In decimo itaq; ab horoscopo loco, id est in ipso mundi culmine cõstitutus Saturnus diurnis in genituris, si Mercurium secum copulatũ habuerit, ipseq; deficiẽtis Lunæ cornu extremo inhæserit: ab oppositio uero, quadranguló ue loco Martem sibi repugnantem uiderit, nimirum phthisicos faciet, qui hac sub configuratione nascentur. Quod si Luna ab eo recedens, ad Martis coniũctionẽ festinauerit, aut lunaticos reddet, aut languidos. Etenim Saturnus decimo in loco propter culminis maiestatem, diurnæq; autoritatem conditionis efficitur excitandis nocuis humoribus longe ualentissimus, præsertimq; Lunæ coniunctus, eidemq; imminutæ. Luna enim corniculata imminuto est lumine: qua è re nocua Saturni uis mirifice augetur, indeq; distillationes & quidem continuatæ, propter Saturni naturam, atq; è summo, hoc est ab ipso capite excitantur. Humorum autẽ ipsorum tum distillationem, tum exitiosam uim, quæq; nigræbilis multum habeat, Mercurius & excitat, & exacuit, cõuersus & ipse in maleficam Saturni naturam. At parte alia Mars calorem excitat, sanguinemq; incendit, radijq; eius Saturninis Mercurialibusq; immixti id præstant, ut è cõmixtione ipsa, ea manet humorum fermentatio, quæ tandem ac suo tempore & exedat propter Martẽ, & pedetentim ac continuate defluat propter Saturni lentitudinem, & penetret propter Mercurium, ac distillet, quippe qui nequeat quiescere, Lunaq; ipsa suppeditatione sua humorẽ assiduum subministret. Non temere igitur tabes, id est corruptio uitalis roboris, consumptioq; hinc sequitur: cũ tot simul ad malum cõueniant, corruptio sanguinis, uenarũ arefactio, uitiatio arteriarũ pulmonumq; exhulceratio. Ipsum autẽ nomẽ, morbi ipsius proprietatem indicat, quod sensim uidelicet, continuateq; absumat: cuius exemplũ est tum nix, tum cera Soli obiecta, utraq; nanq; paulatim deliquescendo absumitur. Poëtæ quoq; tabescere amantes dicunt, quod assiduo dolore, ac cura ob amatoriam conficiantur cupiditatem. Idẽ quoq; Saturnus Marti

immixtus, ac sexto in loco cum illo positus, quo è loco uitia, ualetudinesq; maxime pullulant, modò phthisicos, modò dysentericos facere consueuit. Nec secus autem ubi eodem hoc in loco constitutus Martem aut è quadrangulo, aut ex opposito loco minitantem intuebitur. Quid quod Saturnus ac Mars inuicem oppositi, seq; è regione hostiliter lacessentes, uomitum prouocare consueuerunt, quidem sanguinolentum. Siquidem Saturnus propter malum stomachi habitum uomitũ ciet, Mars sanguinem reiectat. Forsan & ambo tussim mouebunt, excreatusq; cruentos, ac sputa etiam cruenta.

De Podagra. Cap. XIII.

AT ποδαγρικοὺς, id est articulorum, iuncturarumq; doloribus laborantes, quod uitium in pedibus, ac manibus oriri consueuit, unde ποδάγρα & χειράγρα Græce nominatæ, Mars, Venus, Lunaq; efficiũt nocturnis in genituris, cardinalibusq; in signis positi, seq; iuuicẽ aduersis radijs lacessentes: dum tamẽ Saturnus illos sic positos aut è Leone, aut è Tauro, aut è Sagittario, Piscibus ue aspexerit. Signa enim cardinalia summa sunt autoritate prædita, seq; inuicẽ aut è quadrangulo, aut opposito aspectu intuentur. Quo fit, ut quatuor cœli cardines ex infectione unius inficiantur simul omnes. Si enim Luna, Venusq; constitutæ simul fuerint in Cancro, quo Mars illis diametretur, necesse est eũ in Capricorno constitui: qua è constitutione & altitudinem simul inficiet suam, & Lunæ domũ cum ipsa Luna, Venereq; ibidem collocatis. Itidem si ipsæ in Cancro, illæ in Capricorno collocatæ fuerint, nam & Lunæ domũ in sessione, & altitudinẽ suam oppositione, & Arietem ac Libram quadrangulatione uexabit, siue Venus cum Luna fuerit coniuncta, siue cum ipso Marte, ni forte tres hæ stellæ singillatim cardinem quæq; suũ obtineant. Qua ratione Mars diametrari utriq; minime poterit, cum alteri necesse sit quadranguletur uel in Ariete, uel in Libra constitutæ. Luna igitur cum Venere in Cancro posita, Marte uero in Capricorno, si Saturnus in Leone constitutus fuerit, inuenietur in anaphora quidem, hoc est in successione Veneris ac Lunæ, à Martis uero loco octauo. Quod si Saturnum in Sagittario reperiri contigerit, locus ipse Saturni à Cancro sextus erit, à Capricorno duodecimus, quæ loca maxime pernitiosa sunt. At ubi diametratio stellarum harũ fuerit à Libra in Arietem, rursus ue ab Ariete in Libra, si Saturnus in Piscibus compertus fuerit, à Libra sextum, ab Ariete duodecimũ obtinebit locum: sin in Tauro, erit in Arietis successione, in octauo uero loco à Libra, in quibus cõtingit stellarũ ipsarũ diametrationẽ fieri. Atq; hac qdẽ ratiõe uidetur cõfigura

tio

tio hæc cõsiderãda, hoc est, ut Saturni situs, posituraq; hac uia colligatur. Neq; enim hac in diametratione si Saturnus inuentus fuerit in Leone, aut Sagittario, cum Libram è sexangulo, Arietem è triangulo aspiciat, usque adeò uideri exitiosus debet, ut mali genus hoc exuscitet. Similem in modum si diametrantibus illis è Cancro, Capricornoq; inuentus fuerit Saturnus in Piscibus, hoc est sexangulo quidem à Capricorno, triãgulo uero à Cancro, aut diametrantibus in Cancro & Capricorno, Saturnus comperiatur in Tauro, qui sexangulo iungitur cum Cancro, triangulo autem cum Capricorno. Mars igitur siue oppositus Veneri, ac Lunæ, siue alteri earum coniunctus, utranq; ita calfacit inficitq;, ut exiccet magna è parte, uitietq;, atq; acuat earum humectam uim, ac salsam reddat: cum Saturnus nocuis è locis nocuus, & ipse uenenũ illis suum inspergat, quod è terreno humore instillatum, & salsedinem simul, & grauitatem humoribus adiungit, qui ab illis excitantur. quo fit ut deorsũ, atq; ad extrema superioribus, intimisq; è partibus grauitate detrudantur sua. Efficiuntur autem hac in configuratione, propter nocturnam conditionem, qua gaudent Mars, Venus, ac Luna, multo ualentiores. Contrà Saturnus tanquam irritatus à contraria conditione magis magisq; liuescit. Quibus è rebus efficitur, ut in articulis dolores, ualetudinesq; suscitentur, ut qui neruis pluribus colligentur, in quibus Saturni uis magnopere ostenditur. Conditio aũt ipsa nocturna, diurnaq; tantum in erraticis ipsis pollet, ut si configuratio hæc diurnis in genituris contingat, elephanticos potius faciat, quàm podagricos: cum alia quidem ratione sanguinem afficiat, excitetq; uitij alterius prauitatem.

De Hernia. Cap. XIIII.

NEc uero partes genitales tutæ sunt à uitijs, cum secari sæpe numero mares contingat, aut propter externam uim aliquam, aut propter malum intus conceptum: quo efficitur, ut loco motæ partes ipsæ deorsum décidant, herniamq; inducant. Tametsi moris etiam fuit, ut qui initiari Cybeli Deûm matri, ut putatum est, uellent, sponte secarentur. Hodie quoq; apud Turcas inueniuntur qui colem sibi & testes ferro uinciant. Hæc igitur mala obnuntiantur illis, in quorum genituris Saturnus in occiduo cardine constitutus, Lunæ in aliquo item cardine constitutæ aut quadrangulabitur, aut opponetur: nati enim illi aut ad genitalia secabuntur, aut in abditis corporis partibus cædentur. Qua in constitutione figuræ si Luna fuerit imminuto lumine, uix fiet quin è sectione ipsa moriantur, præterquàm si Iupiter Lunam præsidio suo tuebitur. Luna enim imminuta, quod sæpius dictum est, Sa-

turno male conciliatur. Saturnus quoq; & Mars in oriente, atq; ascendẽte cœli parte, hoc est in horoscopo simul copulati, in signo uidelicet fœmineo, aut in ipso forte cœli culmine partiliter exultantes in signo item fœmineo, si Venerem Mercuriumq; fœmineũ quoq; signum pariter calcantes uiderint, genitalia minantur se excisuros, natosq; ipsos euiraturos, omnino tamen cinædos facient. Quod si genitura mulieris fuerit, pudicitia eius in propatulo habebitur, quippe quæ publice prostabit. In hac cœli, figuræq; constitutione Mars & Saturnus cogitantibus inter se de maris, ac fœminæ natura Mercurio, ac Venere è primis se cœli cardinibus contrarios illis exhibent. quocirca cum fœmineis in signis collocati pariter sint, si qui tunc fœtus in lucẽ uenit, mas fuerit, Saturni, Martisq; exitiosa uis exactis genitalibus effœminabunt illum, sexumq; uirilem contaminabunt: sin mulier fuerit, pudicitiam, quæ potissima mulierum laus est, peruulgatam prosternent. Superiore autem in constitutione Saturnus, Lunaq; uidentur pernicios os, atq; abditos potius humores suscitare, ob quorũ nocentem uim chirurgi opera adhibenda sit. Sol ac Luna uitæ, & generationis præsides, fœmineo in signo simul copulati, Mercurius quoq; & ipse in signo fœmineo, atq; in horoscopo constitutus, natum ipsum exagitabunt adeò, eiusq; perturbabunt animum, ut ipsemet natus sponte, suis etiam manibus uirile membrum amputaturus sit, aut causam castrationi daturus. Etenim Mercurius in horoscopo constitutus nati animũ ad hoc ipsum inuitabit: cũ parte alia Sol ac Luna simul coëuntes, quorũ coitus rebus inferioribus tam infensus est, atq; exitiosus, meditentur fœmineo è signo, qua uia uirilis illa nati informatio sexus proprij ruinam factura sit aliquam.

De difficultate partus. Cap. XV.

IAm uero fœtus ipse in lucem ubiq; non prodit, sed aliquando in utero extinctus inde medici opera frustillatim extrahitur, quæ trucidatio, aut mors quàm partitudo potius dicenda est. Euenire autẽ hoc consueuit, quoties Luna in horoscopantis cœli parte posita, atque à maleficis circundata, hinc Saturnum succedentem horoscopo ex anaphora, secundoq; è loco, Solem autẽ quocunq; intuentem aspectu, illinc Martem in duodecimo collocatum habuerit, quod signum paulò antè horoscopum ipsum obtinuerat, locum inde duodecimum obtineat suapte natura pernicios um. In hac enim configuratione Luna fœtus ipsius domina, quæq; partum eo è loco maturare uideatur, circumuenta ab exitiosis, ac paricidalibus stellis, quarum altera ortum ipsum ante Lunæ ad illum aduentũ infecerat, altera post Lunæ discessum ab ortu, statim subeat eundem illum infectura, præstare quod promittit non

potest.

poteſt: cum Sol etiam ipſe uitæ dator à Saturno improbe laceſsitus, Lunæ auxiliũ nullũ afferat, contrà uero maleficæ ſtellæ uires ſibi ipſæ ſexangulo è loco adiungant, & ab illo maleficentiã mutuẽtur. Quo fit, ut ex hac Lunæ circumuentione, maleficarumq; tam exitioſis conatibus fœtus in utero exanimetur, ac neceſſe ſit quo mater ſalua fiat, conciſum illum in utero artuatim à medicis inde extrahi. Illud etiã uidere hac ipſa in configuratione oportet, aſpectũ Solis ac Saturni ſorte ſua pernicioſum eſſe, ſi fuerit à quadrangulo, ſin à ſexangulo illud ſubſequi, ut Sol quadranguletur horoſcopo, Lunæq; ibidem conſtitutæ. Eſt enim neceſſe Solem in imo conſtitui, ut Saturnum in ſecundo poſitum aſpiciat à ſexangulo, aut in duodecimo collocari, ubi & Mars ipſe conſtitutus eſt. Quadrangulatio autẽ hæc ab imo, & quidem cardinalis, quàm ſit potens, malæq; conciliationis, res ipſa indicat. Solis item duodecimo in loco conſtitutio, Martisq; copulatio quid inde minitetur, quid tandem etiam patret, trucidatio ipſa docet. Idem hic Saturni ad Solẽ aſpectus, ſi fuerit è diametro, Solẽ oſtendit octauũ locũ occupare: ſin è triangulo, ſextum, loca utiq; ab horoſcopo, ubi Luna poſita eſt, aliena, naturaliterq; officiẽtia. Quocirca non aſpectus modò ipſe, uerũ etiam loca perniciem machinantur. Mars quoq; ſiue ſexto, ſiue duodecimo in loco ab horoſcopo collocatus, ſi Solem, Lunamq; pariter quadrangula radiatione reſpexerit de loco quidem ſuperiore, maſculinoq; è ſigno, tum è uitio loci, ac ſuo, tum è malignitate aſpectus, ſignifq; maiore ui aut abortiẽ faciet, aut fœtum intra uiſcera lacerabit, cum perpetua quadam matricis ualetudine, aut matrem ipſam in difficillimum inducet partitudinis periculum, quinetiam quod natum fuerit & uitijs, & ualetudinibus grauioribus ad obſcœnas partus uexabit. Eadem futura eſt fœtus mors, ac dilaceratio, ubi Mars, Saturnusq; in ortu conſtituti Lunam in ortu etiam ipſo conſtitutam, deprehenſam quoq; in medio, ſuas ipſi inter copias circumuenerint, Sol uero ac Mercurius in occaſu, cardineq; in aduerſo collocati inuicẽ tela hoſtilẽ in modũ iaculãtes, hinc atq; illinc ſibijpſi aduerſabũtur, hiq; Lunã oppoſito è loco, illi in medio interceptã crudeliter uexabũt, ut minime mirum ſit, fœtũ in utero tot ab iniurijs ſtatim intercipi: cum horoſcopus ipſe per quem eſt in lucem ab utero exitus, tã ualide infeſtetur, pugnentq; inter ſe Sol ac Luna, ut, penè dixerim, materia & forma, ſenſus item ac ratio, nullumq; aut à Venere, aut à Ioue, aut ab utroq; unà præſidium afferatur.

De præcipitationibus, & caſibus. Cap. XVI.



Aſus quoq;, ac præcipitationes è curribus, equis, quadrupedibus alijs, editioribus itẽ è locis, pedũ quoq; prolapſus ruinaq; collabentiũ ædificiorum maleficis à ſtellis Marte Saturnoq; portenduntur, utpote à quibus & uitia, & ualetudines cor-

poribus infligantur. Quocirca in quorum genituris Saturnus cardinalis fuerit, Marsq; in eius succeſſione collocatus, Luna uero alteri eorum aduerſa, quae re illud efficitur, ut Luna ſi Marti diametretur, octauum à Saturno locũ obtineat, ab ipſo uidelicet in Lunam numerando. Rurſus ſi à Luna in Saturnum numeres, ſextum ipſe à Luna locum poſſideat: ſin autẽ diametretur Saturno, ſextum ab ipſo Marte, cum ab eo numeraueris, Luna locum retineat, octauum uero, ſi ab ea in Martem proficiſcare: hi inquam in quorum genituris hæc contigerit figuratio, aut ruinis preſſi, aut exædificijs prolabentes, aut excuſſi curribus, aut è quadrupedibus deiecti, inter ue ambulandum prolapſi uitæ pericula, corporisq; damna accipient, ſimilibus'ue diſcriminibus uexabuntur. Mars item ac Saturnus occaſum inſidentes, ſignisq; in duplicibus conſtituti præcipitia minantur ac ruinas, multò autem uehementius, ſi Lunam in horoſcopo conſtitutam aduerſa radiatione pulſauerint. Sole quoq; ac Luna partiliter culminantibus, ſi Saturnus imum tenuerit, aduerſoq; è loco illis ſe oppoſuerit, Marsq; ortum utiq; matutinum tunc faciat, quo tempore admodum potẽs eſt, qui hac ſub cœli conſtitutione naſcentur, uitio etiam mentis agitati altioribus forte è locis ſemet præcipitabunt, quod tum propter phreneſim, tum ob furorem euenire conſueuit. Luna quoq; in ſucceſſione horoſcopi collocata, beneficisq; à ſtellis nulla irradiatione ſota, ſolidisq; in ſignis poſita, diurno præſertim tempore, eiuſmodi etiam caſuum pericula minitatur, qualia etiã & Mars in occaſu poſitus, dum Luna tamen plena ad eius copulationem feratur, aut Saturnus de culmine, horoſcopóue diametretur, in ſigno præſertim ſolido conſtitutus: ſigna autem ſolida ruinam portendunt potius quàm caſum, è contrario duplicia. Quanquam autem caſus, editisq; è locis deiectiones, quæ ab inſania, furoreq; proficiſcuntur, uitiatis ab humoribus ortũ ducunt, cæteri tamen caſus, præcipitationesq; neutiq; à corruptione humorumq; prauitate oriuntur: quippe cũ inter fortuita, hoc eſt externa numerentur mala. Quoniam autem, ut dictum eſt, corpora ipſa noſtra euentis quoq;, nedũ ægritudinibus ſunt expoſita, maleficæ ipſæ ſtellæ, ut ægritudines, id eſt corporis mala, pernicioſumq; humorum habitũ agitationibus ſuis & euocant, & ingenerant: ſic etiam quæ corporibus ipſis inferuntur, extrinſecus improbitate ſua moliuntur. Quid enim abſurdius, quàm id exiſtimare fortuita non eſſe ad ſtellas referenda, cum corruptio ad illas omnino referatur? ac ſi externa non etiam periculoſius corrumpant, quàm humores ipſi, quippe quæ repente, atq; ex imparato uires ſuas exerceant, etiam puncto temporis interimentia, aut partes aliquas corporis abſcindentia. Neq; enim natura ipſa hominem ita conſtituit, ut non etiã perinde ut elementa, è quibus conſtat, ſempiternis illis agitationibus ſubdiderit,

ac ſi

ac si ferro, naufragijs, casibus, ruinis, nõ bona etiã mortalium pars interea. Hæ igitur stellæ, Mars scilicet ac Saturnus, malis his exuscitãdis præpositi sunt, ut corruptionem non tantum nimio aut à frigore, aut à calore excitent, uerumetiam per alia atque alia mala, quorum autores ipsi sunt. Itaq; ut bella & pestes, sic fortuita, repentinaq; moliuntur mala, casusq; inopinos, quibus nostra corpora tum uexentur, tũ opprimantur, ut quotidie & uidemus & experimur. Et hi quidem suapte à natura non recedunt corruptionum causis excitandis, cũ sint intemperati, & nocui, quibus ut ager alendis frugibus, ita signa materiam, & succũ quasi quendã sumministrãt moliendis malis. Aedificia quidem ualida ipsa per se sunt, uis tamẽ externa demolitur ea. Signa etenim solida soliditatem illis suam obijciunt, in qua stellæ ipsæ sæuiant, ac per illam ruinam tandem pariant. At duplicia, quod cõmunia cum sint, uiribus non ita ualidis utuntur, casus magis denunciant.

De frigidis & glutinatis. Cap. XVII.

NEc uero cum genere hominum ita bene agitur, ut non & mares frigidi ad coitum & mulieres conglutinato generentur sexu, cuius rei mala Veneris constitutio causa est potissima. Quocirca Venus in occasu collocata, ortumq; uespertinum faciens si à Saturno medio è cœlo quadrangulariter uerberetur, & mares & fœminas frigidos ad coitum reddit, atq; à libidine alienos, penèq; consopitos. Venus enim parum feliciter septimo in loco sese habet, quippe cũ eo è loco orientem percutiat cardinem, qua è percussione, quodq; Saturno ob culminationem plurimum adiungatur uirium, frigoris hinc tanta fit incussio, ut appetitus ille Venereus in uiris, mulieribusq; penè extinguatur, cogaturq; relanguescere. Eadem quoq; Venus cũ Saturno, Ioue, & Mercurio, ijsdemq; in partibus pariter in occasu, imó ue constituta, qui hoc in statu nascentur, maribus quidem omnem coëundi cupiditatem adimit, mulieres autem steriles facit. Quod si tropico in signo copulatio hæc contigerit, nimirum propter tropici signi prærogatiuã, cardinisq; potestatem, quadrangulationemq;, aut diametrationem ad horoscopum, quæ tum in lucem uenerit puella, conglutinata natura prodeat, oportet. Siquidẽ commixtio hæc non generationem solum uidetur inhibitura, uerumetiam naturam ipsam, per quam generatio fit, obstructura. Quod si Mars sese his socium adiunxerit, uirilis partes excisurum minitatur, ut non generandi modò uim homini illi auferat, uerumetiam signa uirilitatis Quid quod permixtio ipsa radiorum adeò interdum pernicioſa est, quod è Venere potissimum afflicta, Mercurioq; male se habente fieri consueuit, atq; è signo-

rum tum masculinis, tum fœmininis qualitatibus, ut aut externa ui, quod natum est, cuiretur, quod in eunuchis cõtingit, aut ob commixtionis diuersam, parumq; cõsentientem, aut potius sibij ipsi repugnantẽ naturam, neutrum teneat sexum, uel magis utrunq; simul, imperfectum tamen, habeat, quod in hermaphroditis contingit. Venere igitur in Mercurij domo, aut finibus posita, Mercurio in domicilio Veneris, aut in eius finibus, Luna uero in Virgine, aut Capricorno, aut Tauro, aut Leone collocatis, cæteris autem erraticis masculinæ qualitatis fœmineis in signis, fœmininæ uero in masculis positis, quod hac sub cœli constitutione natum fuerit, biforme prorsus erit. Præmala autem Veneris, Mercurijq; constitutione, habituq;, genitalis ita colluctatur uis, ut neutrã in partem maris fœminæue declinet. Qua de re uocati sunt hermaphroditi, mixto Veneris ac Mercurij nomine. Videtis primum domorũ, aut finium commutatio quid præstet, quid etiã stellæ masculæ in signis fœmineis, fœmineæ in masculis collocatæ. hæc enim cõtentio tam cõtrouersa nec masculas permittit stellas uires proprias, nec muliebres uicissim exercere suas. Deinde animum aduertite ad Lunam, quod in Virgine posita fauet hinc Mercurio, illinc in Tauro Veneri propter domesticã coniunctionem. Quod si Mercurio Taurum, Venere Geminos tenente, Luna fuerit comperta in Virgine, Venerem quidem de fœminco signo respiciet quadrangulariter, at Mercuriũ triangulariter: sin in Leone è signo masculo atq; è successione domus suæ quadrangulabitur Mercurio, sexangulabitur autẽ Veneri. Rursum si Mercurius constituatur in Libra, Venus in Virgine, Luna uero in Capricorno è signo quidẽ tropico ac fœmineo, domui tamen suæ aduerso, Luna Mercurio quadrangulabitur, triangulabitur autem Veneri. Illud quoque principe loco considerandum est, Taurum, Virginem ac Capricornum constituere triangularitatem eam, quæ terrena est, cui etiã Venus, Lunaq; simul præsideant, in qua Mercurius quoque domũ, altitudinemq; habeat suã, propterea q; Lunã ipsam his in signis hanc ad rẽ pollere quamplurimũ. Fiẽt etiam eunuchi, quoties Luna sterilibus in signis posita, Saturnoq; cõiuncta Venerem quacunq; radiatione percusserit: dum tamen nec Venus in Saturni finibus, nec Saturnus in Veneris finibus sit compertus, nec Iupiter ulla Lunæ radiatione iungatur: hac enim in cõstitutione & Luna sterilescit propter Saturni frigentẽ naturã, signiq; qualitatẽ, & Venus in Saturni finibus inuenta contorpescit, Saturno etiam ipso Veneris fines frigore suo inficiente. Quo fiet, ut natus ille uirilem sit uim ob hanc tã pernicio sam commixtionẽ amissurus. Quod si Saturni, Lunæq; copulatio hæc terrenis in signis successerit, Venusq; ac Saturnus fines inuicem commutarint, Iouisq; aspectus accesserit, secabuntur quidẽ, tamen ut etiam coëant.

Signa

Signa enim terrena, ut dictum est, triangularitatem constituunt eam, quæ terrena dicitur, Lunæ, Veneriq; addictam. Quã ob rem omnis hæc triangularitas copulatione ex ipsa, præsides item omnes triangularitatis ipsius unà inficiuntur. Iupiter autem cum nonnihil faueat, quamuis prohibere malum nequeat, id tamẽ præstat, ut coëundi uis saltem aliqua relinquatur. Eadem etiam Venus in editissima cœli parte cũ Saturno collocata, aut ab eodem Saturno aspectu aliquo irradiata, si aut quadrangulos, aut oppositos crescentis Lunæ radios fœmineo è signo exceperit, Marsq; aut illã minaciter percusserit, aut forte fœminino in signo copulabitur, eoq; uel tropico, uel squamoso, testes abscisuram minatur, natumq; illũ aut prorsus euiraturam, aut saltem impulsuram eum ad muliebria patienda. forsitan hermaphroditũ faciet. Venus enim hac in constitutione à Luna, Marte Saturnoq; tum aspectu, tum copulatione infeliciter affligitur, quodq; in culmine posita est, si Mars, Saturnusq; copulabuntur, aut quadrangulabuntur ei, necesse est illos quoq; aut culminare cum ea, aut cardinem tenere aliquem. qua è re uires utriusq; ad male faciendum mirifice augescunt, cum præsertim alter eorum, quem aut diametrari contigerit, aut quadrangulari, Lunæ copuletur, qua cũ iunctis simul uiribus Venerem hostiliter infectetur. Signũ autem fœmineũ Martis adiuuat atrocitatem, quo acrius masculinam in naturã sæuiat, quod item præstabunt signa tropica. Signum autẽ squamosum, id est Pisces, Veneris quidẽ altitudo, quod Mars insessione infecit sua, genitalem uim Veneris, membrumq; quouis illa exercetur, cui quidem Mars præsidet, uitiabit. Ad hæc Venus ipsa cardinẽ quemuis sortita, dum fœmineum id sit signum, si à Marte, Lunaq; cardinalibus etiam è locis partiliter infestetur: quæ infestatio, ut aut quadrangula sit, aut opposita propter cardines, necesse est. Atq; in hac ipsa constitutione si Sol ac Luna fœminea signa teneant, aut unà copulati, aut separatim incedentes, in signis item fœminis, natũ ipsum aut spadonem faciet, aut forte hermaphroditum, uiriles partis exercere ut nequeat. Signa enim fœminina configuratione in hac Solem, Lunamq; sic infringunt, Veneręq; adeò labefaciunt, ut uirilẽ penè uim Marte grassante extinguant, aut dum Sol ac Mars masculinum meditantur sexũ, Venus ac Luna, signa itidem, in quibus Luna, Sol ac Venus constituuntur, fœmininũ, neutri sibi inuicem cedentes fœtum duplici, imperfectaq; natura cõstituant. Futuri etiã sunt spadones, ubi Venus in domo Martis posita siue in ortu, siue in culmine, Martem, Saturnũq; in domo ipsa sua permutatis hospitijs hostiliter, atque æquatis partibus constitutos cõtrà è diametro stare uiderit, aduersosq; in se radios iaculari. Etenim Libra domus Veneris aduersatur Arieti, quod domiciliũ Martis est, Taurus item Scorpio. Erunt etiam aut steriles, aut forte spadones, herma-

phroditi ue, ubi Venus à Saturno de quadrangulo percussa, latereq; à sinistro Lunam, Martemq; sibi inuicem diametrantes aduersum se quoq; infestis radijs irasci uiderit, Mercuriusq; ipsu cœli culmẽ tenuerit. In hac autẽ configuratione nõ Mars solũ ac Luna sese impugnant è regione, uerũetiã Saturnus ac Venus, quo fit, ut quadrangulariter constituti cœlũ ipsum hostiliter infestent. Quod si contigerit quadrangulationẽ hanc in cardinibus fieri, infestatio ipsa erit tanto potentior, cum præsertim ratione hac Mercurius ei stellæ iungatur, quam contigerit culminare. Itaque tam atroci ab infestatione Veneris genitalis uis aut sterilescet uitiato semine, aut ui ab aliqua grauiore natus euirabitur, aut propter Mercurium, nec uirilis omnino nec muliebris futurus est, uerum mixti, aut potius neutrius sexus. Venus item cum Sole, Saturno ac Mercurio occiduo in cardine posita, hosticaq; hac ui conflictata, fœtũ euirabit, aut sterilẽ reddet. Eodẽ quoq; malo afficiet, si Sole ac Saturno occasum tenentibus, ipsa cum Mercurio simul sexto in loco, id est in occasus ipsius descensione, aut in descensione horoscopi, duodecimoq; in loco inuenietur. Quibus si copulatus Mars fuerit, aut aliqua eis irradiatione cõciliabitur, fœtum duplici sexu fœdare molietur: hac enim in cõstitutione angulus is cœli occidui à Sole, Saturnoq; uexatus, orientis etiã cœli angulũ hostili radiatione lacessit, Venere ac Mercurio languẽtibus, siue in sexto ab horoscopo loco, siue in duodecimo, qui tamẽ etiã ab ipso occasu sextus est, itemq; à Sole, Saturnoq; illic præsidẽtibus. Quod si locorũ horũ improbitati Martis quoq; improbitas aut per consessionẽ, aut per aspectũ accesserit, Mercurio ac Venere ibidem deiectis, utriusq; ui res ad informandum sexũ impediet, reddetq; imperfectas, ut (quod Poëtæ dicunt) neutrumq; & utrunque quod nascetur uideri possit. De Venere igitur male constituta potissimũ tum sterilitas, tũ duplicitas, sexusq; imperfectio, aut euiratio decernitur: cuius quidẽ stella multarũ est, occultarũq; effectionũ ac uiriũ, quaq; etiam definiri uix queant.

De Fœtidis. Cap. XVIII.

NAm quamuis ab hac ipsa manet elegantia, mũdities, unguentatio, ac nitor, nihilominus indigna eius constitutio natũ fœtidũ, maleq; olentem reddet, cuius aut in naribus, aut in hazlis hircus cubet, ut Horatius increpat, aut sudor mephitim (ut Poëtice loquamur) exhalet. Siquidem ea in lucem ueniente aliquo, in Capricorno, quod Saturni domiciliũ est, constituta, atq; ab ipso Saturno opposita è regione infecta, nati illius humores & inficientur ob cruditatẽ, & corrumpentur adeò ut male prorsus, ob inconcoctionem eorum, grauiterq; oliturus sit, Saturno præsertim impugnante, à quo male concocti humores

mores, ijdemq; terreni, maleq; resolubiles excitantur. Quid quod & Venus odoribus præsidet, & Capricornus nõ frustra nomen id est consecutus? Etenim caper olidum est animal. Itaq; Venus odorum artifex & à signo, & à signi ipsius domino corrupta fœteat necesse est, quando odores ipsi corruptis, ac fœtentibus rebus immixti fœtorem ipsum augent. Quinetiã eadem hæc configuratio mulierum odium prouocat, coitúsque infames decernit.

De Caluitio. Cap. XIX.

Iusdem etiam Veneris stella partiliter suoq; in domicilio culminans, caluitiũ portendit, Luna quoq; aliquo in cardine posita, dũ per eas incedat signi partes, quæ glabræ ac leues sunt in animali, aut Sagittariũ perambulet, nocẽtes uero stellæ per signa ferantur seu tropica, seu solida, dũ tamen uitij, ualetudinisq; locus in ipsis illis reperiatur signis, caluitiũ quoq; minatur. Cur autem hæc eueniant, ratio quærenda est, quæ naturæ ipsi cõsentiat. Neq; spadones, quiq; eunuchi dicuntur, neq; pueros caluescere, quod neutri coëant, putat Aristoteles, eaq; re abundare cerebro. Etenim in coëundo per spinam, lumbosq; liquorẽ illũ è cerebro defluere, cerebrũq; ipsum ratione hac eliquescere manifestũ est: quoq; usus rerum Veneris frequentior fuerit, eo illud magis ac magis imminuitur. Bubus quoq; certum est post malleo subtritos testes, cornua uehemẽtius crescere, ob eandẽ hãc causam, quod scilicet in illorũ incrementũ transeat quod demptum est Veneri. Venus igitur tum sua in domo posita, ubi dominatur, nam à domo est dominor, tum in cœli culmine, quæ è re uires ingeminantur eius, natum ipsum in libidinem procliuiorẽ faciet, eaq; ex intemperantia, nimiaq; appetitione ad usum Veneris ita illum cõpellet, ut refrigescente magis ac magis cerebro, quod suapte quidẽ natura frigidissimum est, ob resolutionem caloris, humidiq; in coitu, desit capillo alimentum, quo deficiente decidat oportet nõ secus atq; ex arboribus frondes, ubi humidus ille, ac pinguis humor, qui à calore foueri solitus est, deficit. Verũ de caluitio, causisq; eius explicatius supra diximus. Luna quoq; partiũ signi glabrarũ, quæ uidelicet absq; pilis sũt, naturã secuta, Marsq; ac Saturnus tropicis in signis positi, in quibus ipsorũ augetur improbitas, aut in solidis, à qbus utriusq; firmius stabiliũtur uires: quippe quæ robur adiungunt ac firmitudinem, cũ præsertim uitij ualetudinisq; ibidẽ inueniatur locus, ubi malefica insidet, locumq; ipsum infestat, uidentur uitiũ illud portendere, quod tũ à leuitate, ac glabritudine signi partiũ, per quas Luna defertur, atq; à maleficis locum ipsum inficiẽtibus excitatur, tum à loco uitij. Siquidem partes ipsæ depilatæ atq; extersæ capillorũ uitiũ inducẽt,

quod uitiũ sit in capite, dictumq; est caluitiũ, datũq; deformitati. Quod uero ad Sagittariũ pertinet, ubi Mars ac Saturnus in Capricorno constituti fuerint, quod signũ alterius domus est, alterius altitudo, Lunariq; opponitur domicilio, cũ Luna ipsa in Sagittario cõstituta cardinẽ tenuerit aliquẽ, necesse est Martẽ ac Saturnũ in anaphora, hoc est in successione Lunæ ipsius inueniri, si horoscopantẽ, aut culminantẽ cardinẽ Luna teneat: sin occiduũ aut imũ Luna tenuerit, oportet illos in epicataphora, decessioneq; Lunæ constitui. Sin maleficæ ima Cncro constitutæ fuerint, Luna Sagittariũ tenente, & Lunæ domũ inficiẽt, & in octauo à Luna loco, qui noxius est, reperientur, si à Luna in illos computaueris, in sexto uero si ab illis in Lunã. Quod si seperatim altera malefica in Cancro, altera in Capricorno collocabitur, diametr abuntur ipsæ quidẽ inter se, alteraq; cõstituetur in Lunæ ipsius successione, decessioneue, altera in octauo ab illa loco. Sin Mars ac Saturnus, Luna Sagittariũ cardinaliter peragrante, solidis in signis uagabuntur, aut ipsi quadrangulabuntur inter se, aut sibi inuicẽ opponentur, dũ ne fuerint simul copulati. Siquidẽ Taurus ac Leo, & hic idem Leo, Scorpiusq;, quæ solida signa sunt, quadrangulantur inuicẽ, eademq; quadrangulatio inter Scorpium Aquariumq; existit, atq; inter hunc ipsum Aquarium ac Taurum. Aduersantur autem, seq; è regione lacessunt Taurus & Scorpius, Leo item atq; Aquarius.

De Canitie, & Surditate. Cap. XX.

QVm autem homo aut solus, aut cum animalibus perquàm paucis aperte canescat, uitiumq; hoc senectus ipsa secũ afferat, quidam tamen in ipsa penè adolescentia à canitie occupãtur, præsertim ubi Saturnus inter Solem ac Lunã perinde ut circumuentus ab hostibus intercipitur. Contingit autem canities ipsa, quod cum hominis pili nec annis singulis décidant, nec mutentur, ut denuo renascãtur, cũq; homo ipse diutius uiuat, necesse sit & capillũ cũ ipso quoq; corpore cõseneſcere. Et si nõ raro canitiẽ morbi efficiũt, atq; in nõnullis repẽte exortam constat, de qua quidẽ quod ea sit pilorũ imbecillitas quædã, abunde à nobis antè, deq; Aristotelis sententia disputatum est, quocirca dicere de ea plura desinemus. Saturnus igitur à Sole, Lunaq; circumuentus, neutriusq; à luminaris aspectu fotus excrementum ad cutem perlatum sic uitiat, ut ex eo putrefacto necesse sit capillum ac pilos reliquos ante diem intempestiuiusq; albescere. Huius autẽ stellæ uis ad maleficiendũ tanto quidem pollet opere, ut auditui quoq;, maximeq; dextræ auri, cui præest, surditatis afferat uitium, ubi Mercuriũ in domo ac finibus, qui Saturni ipsius sint, constitutũ, octauumq; peragrantem ab horoscopo locum uiderit. De malitia quidem octaui loci dicta satis multa sunt, de surditate autem dicendum

dum aliquid, quod uitium auditus est, fitq; in auribus, quas natura in capite constituit, ita tamen ut ad cerebrum aditum habeant nullum. Eæ in intima ac profunda sui parte concauæ cum sint, concauitate in ipsa natura quæ auditum aërium meditabatur, aërem inclusit, illūq; membrana quasi quadam obsepsit, ad quam aër exterior per aurium amfractuosos, & (ut ita dixerim) cocleares meatus perlatus perinde in tympanū impingit eam. Etenim ut oculi pupula tunica sua occulitur, unde oculus dictus est, sic & auris concauum membrana sepitur, quam aër exterior tanquam per cuniculos ingressus percutit, hauritq;, unde auris dicta, quæ è percussione auditus cōstituitur, quem auditū Saturni peruersa collocatio in creatione potest omnino eripere, concauitate illa auriculari peruerse concinnata, aut completa penitus, potest & post genituram in uita perniciosis, latentibusq; humoribus, quorum ipse fons est, uitiare. Quodq; humidum auribus maxime nocuum est, præsertim ubi crassum est & lentū, quodq; etiam frigus illis permultum obest, cū & frigidorum, non minus quàm humidorū sit Saturnus humorum excitator, non temere auditionis uitium, ac surditas ad Saturnum, qui auditui præsidet, estq; sponte sua maleficus, refertur. De Mercurio autem dicere hoc tantum possumus, cū ipse rationi præsit atq; orationi, ex hac mala affectione, perniciosoq; eius statu detractum iri & rationi & orationi sensum audiendi, per quem tum uerba in mentem illabuntur, tum disciplinæ discuntur, è quarū perceptione & cognitu ratio humana perficitur. Nec uero prætereundū est, audiendi sensus cū sit aërius, Mercurij stellam mouendis aëris affectionibus ualere plurimū. Dicere autē de aurium ualetudinibus, & quot aut modis oriantur aut è causis proueniāt, medicorū est propriū: nobis hac in parte satis sit pauca hæc attigisse. Nec uero in parte ea, quæ ad canitiem spectat, non & illud uidendum est, quod cum à Sole, Lunaq; Saturnus eodem in signo circumueniatur, necesse est, Lunam ipsam aut ad Solis coitū properare, atq; interim Saturno coniungi, aut à Solis coitu antè digressam, pòst Saturno ipsi coniunctā inde aliô proficisci. Huiusmodi autem cōiunctiones, quod humores corporis intemperantius misceant, necesse est malum aliquem habitum inducere, unde uitium pòst aliquod erumpat. Hoc autem illorū gratia attigimus, qui opinantur de nimia cerebri humectatiōe enasci canitiē, quæ humectatio uideri possit his è coniunctionibus suscitari.

Nec uero mirū uideri cuiquā debet, his è radiorum commixtionibus tam multa uitia, tot etiam ægritudines, ac mala tum corporis, tum animi, tot etiam uirtutes ac dotes hominū, tam uaria etiam bona cū externa, tum propria emanare, si ad ea animum aduerterit, quæ illorum è cōmixtionibus, quæ hominum operis ac curis subiecta sunt, proficiscuntur. Hominum

quidem ipsorum opera coquuntur in fornacibus saxa, quæ pòst aspersionẽ aquæ uertuntur in puluerẽ, quæ calx dicitur, cui pòst arena adijcitur, è quibus unà mixtis, eliquatisq; multa aqua cõstruuntur parietes, quibus nihil est firmius, magisq; diuturnum. Contritis item salignis carbonibus, atq; in puluerem uersis, ac factitio nitro addito, sal nitrum id hodie appellant, rursus ijs unà bene contritis, cõficitur tandẽ puluis ille, quo tormentis æneis incluso, pòst igne immisso nihil est uiolentius, quippe cũ lapideis, aut ferreis pilis è tormentis ipsis, hoc succenso puluere emissis, mœnia quamuis affabrefacta diruuntur, ac prostrata solo ingẽti ruina subuertuntur. Quis ante hoc uisum req; ipsa comprobatũ, credidisset posse fieri? Nihil tamẽ homines terribilius hactenus sunt cõmenti. Quàm multa miscẽtur à medicis, quorũ ante mixturã ipsã uis ea neuriq; existit, quæ pòst manifesto apparet, siue sanandis morbis, siue egerendis humoribus, siue purgandis, aut glutinandis uulneribus, atq; abscessibus. Hoc idem igitur ubi usuuenerit in nostris, & è quibus ipsi constamus corporibus, stellis id cõminiscentibus atq; molientibus, mirari cur quis debeat, cum ab illis, ac per illas existant hæc omnia? Quid admirabilius quàm rerũ futurarũ inter mortales prædictio? uaticinatæ sunt tamen Sibyllæ, quæ multis etiam pòst seculis euenere: eiusmodiq; tũ mulieres, tum uiri sæpius reperti sunt, & singulis penè seculis reperiuntur. Non arte, non institutione hæc comparantur, uerũ à cœlo eas uis existit per stellas ipsas, humorũq; commixtiones, quas illæ suis irradiationibus moderantur: eas tamen temperationes quis penitissime ex totoq; deprehendat? cũ ne in herbis quidem nisi usu ipso, effectioneq; deprehendi omnino queant, quarum succis uires eæ insunt, quas usus quidem ipse ante compertam rationem homini monstrauerit, effectusq; ipsi manifestas fecerint. Quocirca circumuẽtio hæc Saturni, de qua dictum est, cuiusmodi sit, usu, effectioneq; comprobatũ magis est, quàm ut ratiõe prorsus assequi ualeamus, ipsoq; ex humorum aut intemperamẽto, aut habitu, hoc est aut ex humidi subductione nimia, aut potius ex incremento, aut quod à Sole uehementius Saturnus concalescat, propter coniunctionem paulò ante præteritam, quæue breui pòst futura sit, aut è contrario, quod de Lunæ copulatione magis ac magis refrigeat, quæ quidẽ paulò ante prætericrit, aut statim est secutura. Si enim Saturnus in medijs fuerit Arietis partibus cõstitutus, Luna autẽ in primis, Sol uero in ultimis, necesse est Lunã ipsam statim ad Saturni copulationem, ad Solis inde coitum confestim proficisci, ipsum tamen Solem paucis antè diebus Saturno copulatum extitisse. Sin mutatis Sol & Luna partibus, ipse in Arietis primis, illa in ultimis collocata fuerit, ut cum Sole prius, posterius uero cum Saturno Luna coierit, necessum est, cum quo Sol ipse coiturus inde nõ multos est ad dies. Illud itaq; ipso ex usu,

usu, obseruationeq; affirmare tantum possumus, Saturnum hac è configuratione affecturum nati corpus intemperatione non modica, quando circumuentionis suæ tempore, neutro à luminari conspicitur, atq; ob coniunctiones ipsas, alteram quidem paulò antè præteritam, alteram uero nõ multò pòst futuram, eum habitum induat, uti ex hac ipsa affectione, atq; intemperantia, canities, de qua quærimus, sit ante diem obuentura, cumq; illa simul alia fortasse mala. Siquidem erraticis à stellis, deq; earum comixtionibus conceptus, ac genituræ tempore perinde ac in disponenda panificia massa, fermentatione ab ipsa stellarum fœtui induntur ea, per quæ pòst apte sit, commodeq; progrediendũ ad illa, quæ quidem euentura decernuntur ex ijs ipsis, quibus inest ab initio potestas. Pòst uero è potestate, eq; ea quæ potentia dicitur, cum idoneum fuerit tempus, ad actum, ipsumq; effectum deuenitur, perinde ut ad fructum, frugemq; è seminibus ac segetibus.

Libri undecimi de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI
AD PAVLVM CORTESIVM
de rebus cœlestibus liber duodecimus.

PROOEMIVM.

IOANNES Picus, uir summa nobilitate, maximo etiam ingenio, Paule Cortesi, dum & nobilitati plurimũ & ingenio suo non iniuria tribuit, in Astrologiam acriter est inuectus. Verum enim qui uiuentẽ illum ego laudandis extollendisq; ingenij eius uiribus honestauerim, insectér ne increpando mortuũ? Absit ab ingenio institutisq; meis, & ab summa beneuolẽtia in illum, dum uixit, mea. Quin magis magisq; indies & laudabo morũ eius suauitatẽ, & admirabor ingeniũ. Nec minus etiã honesto ob id afficiar desiderio industriæ eius indagationisq; temperandæ. Quid enim indignius, quàm ea uia, ijsq; gradientẽ uestigijs, contra disciplinarũ assertores inter se dissentientes acrius disserendo, id demũ conari, ut ob dissensiones autorũ, ostenderet quasi clanculũ disciplinas eas esse nullas, illarũq; cognitionẽ prorsus inanẽ? Priscianus grãmaticæ artis professor, & doctor egregius, ueteres aduersum Grãmaticos multa quidem & sensit acutè, & contra eos disseruit. Tantũ uero abfuit ab euertendæ Grãmaticæ consilio, ut firmioribus iaciendis fundamentis illam magis magisq; stabilierit. Nuper Laurentius Vallensis multa aduersus Priscianum, non pauca aduersus

Ciceronem cum disseruisset, nam contra Aristotelem pleno quidem locutus est ore, nec minore quidē uehementia in quibusdā aduersus Theologos nostros locis, ita quidem modū retinuit, eamq; adhibuit temperationem, ut disciplinas ipsas & susciperet, & magnificare illas quoad posset contenderet. Aristoteles & ipse, qui physicis ante se de rebus scripserant, eorum in locis plurimis opiniones perquam strenue quidē & coarguit, & labefacta uit, ut qui tamē naturæ ipsius patrociniū susscepisse uideatur, disciplinamq; eam conaretur perficere. Boëthus Seuerinus, Latinæ Philosophiæ magister, facileq; eiusdem princeps, ni sæuitia temporum, dominorumq; peruersi mores eius obstitissent inceptis, erat quæ Aristotelem inter Platonemq; uertuntur controuersiæ, modestiæ suæ temperamento adhibito eas compositurus. An, quod penè uidemus quotidie, in natura ipsa rerum quia contingunt permulta uaria, diuersa, nō raro etiā contraria, ob hanc ipsam inconstantiam contrariasq; effectiones, illam ipsam naturā nullam esse dicemus, nullumq; eius siue consilium, siue propositum? nullam deniq; indagationis eius atq; cognitionis habendam esse rationem? Accusatur quotidie Deus optimus maximus, quædam quòd contempserit, alia quòd parū curauerit, aut omnino etiam neglexerit, plurima quòd tanquā ignauus paterfamiliās aut insolens nimium, ne uidere quidem ipse illa uoluerit, aut superbe fuerit dedignatus. Qui Deum tamen esse neget, est nemo. Dixeritq; fortasse quispiam, minime illum curare mortalia, quæ tamen dum dicit, illum quoque ipsum esse, etiam non curantē mortalia uel nolens dicit. Nam & si casu fluitant omnia, illud tamen necesse est dicat, quando fluitatio hæc nunquam desinat, uim profecto esse aliquam, quæ fluitationem hanc nunquam destituat, nunquam effluere uniuersam, aut euanescere ex toto aliquando patiatur. Quinetiam quò plura in rebus ipsis uaria contingunt ac diuersa, eò naturam ipsam rerum consistere, Deumq; rebus ipsis præesse, hæc ipsa manifestius declarant. Nam quæ tum uaria eueniunt, tum contraria, eorum ratio aliquid esse declarat, cuius causa illa ipsa eueniunt. Nam & natura ipsa ut artifex etiam solertissima existit contrariarum rerum & autor, & moderatrix. Sed progrediamur etiam aliquanto longius. Rerum cognitionē naturalium doctissimi pariter ac probatissimi uiri scientiam esse arbitrati sunt. Atqui disciplina in alia ferè nulla opiniones extitere tam diuersæ de ipsis siue principijs siue causis. An hæc ipsa indagantium Philosophorum tanta inter ipsos dissensio id fortasse effecit, ne ulla omnino naturalium esset rerum siue cognitio, siue disciplina? Quin eo ipso plures multo & incensi olim fuere, & passim nūc ad perscrutanda naturæ abdita incenduntur. Nec idcirco physica ipsa cognitio cōiecturalis est habita. At cōiecturalis maxima est è parte medicina, signa enim sequitur, & quæ prognostica dicuntur: coniecturæ:

coniecturalis est item Astrologia. Nullus igitur erit medicinæ usus, nulla eius cognitio, quòd ea ipsa uel sæpissime ad sanitatẽ non perducat, uel quòd medici tum prisci maxime, tum etiam recentes sint in longè plurimis ac maximis rebus alius ab alio dissentientes? Videlicet in moderanda republica, in gubernandis regnis, quòd præter eorum qui ea moderantur cõsilia, euenire multa consueuere, nulla idcirco existimanda est regendæ reipublicæ administratio, nulla rectorum sapientia, nullum administrationis eius existimandum studium, nulla administratoribus ipsis adhibenda autoritas aut fides? Nulla item nauigãdi aut gerendi belli ratio, quòd gubernatores, quòd duces sentiant quandoq; cõtrouersa? Quota est autem ualetudinis cuiuspiam grauioris curatio, in qua medici non & dissentiant inuicem, & digladiaturi interdum altercentur, non de curandi modò ratione, uerumetiã de morbi ipsius causa, qualitate, genere? Mirum igitur, si cœlestium scriptores rerum interse alius ab alio diuersa sentiũt? quasi non & Democritus & Empedocles & Aristoteles & Plato & sentiant inuicem in physicis, & dicant omnino contraria: in curationibus uero, & morborum perscrutationibus Herasistratus, Hippocrates, Asclepiades, Galenus, Auicẽna. Sunt nihilominus tum rerum naturalium, tum medendi præcepta in uniuersum tradita, eaq; in artem redacta ac disciplinã. Idemq; hoc ipsum in syderali cognitione, ut si huius nulla sit disciplina, ne & aliarum quidẽ prorsus sit ulla. Quo fiet, ut relicta penitus inuestigandi opera & cura, neglectaq; animæ intelligentia, quæ diuina in nobis pars est, ad ferarũ nos uitam, moresq; transferamus, curandis solum corporibus dediti, quæ uel pessime quidem curabuntur, uel curare nullo modo recte poterunt, ubi rationalis illa, diuinaq; pars animæ neglecta deseretur, iacebitq; inculta. Nolui hoc in loco, hacq; in dissertione ac tractatu, de religione, cuius cognitio & studiũ ad Theologos potissimũ spectat, aliquid omnino loqui: quæ penè totidem habet uel altercatores, & quidem uehementes, uel rixatores potius cum primis acerbos, quot disciplinæ magistros. Quocirca missum iã, amicè tamen, suis ipsum cum sectatoribus Picum faciamus, uirum alioquin tum morum ciuilium suauitate, tum ingenij magnitudine mirifice etiam laudandum, atq; eo magis suspiciendum, si in disceptatores ipsos inuectus, quod ingenij disciplinæq; eius interesset, fuisset disciplinam tutatus, disciplinarũ omnium maximam, quæ à cœlo, stellisq;, cœlestibusq; à motibus ducat originem. Vsueniunt autem diuersitates hæ, uariæq; opinationes, quòd ueritas ipsa, rerumq; certa cognitio in abditis delitescat, quodq; rerum tum euenta, tum euentus ipsi non raro quidẽ euadunt contrarij, uidelicet quia principiorũ mixturæ, causarumq; cõuentus quasi quidã, & necessitudines tam multæ ipsæ quidẽ sint, ut earũ siue cognitio, siue scientia haberi particu

latim nulla quidem perſcrutatione queat, aut ſciſcitandi ratione. Quo effectum eſt, ut in uniuerſum modo ſpectare rerũ cognitio, & ea quæ proprio nomine ſciẽtia dicitur, à peritis iudicetur exiſtimatoribus. Quocirca Ptolemæus cœleſtium ſignificationum diligentiſſimus obſeruator, atq; inſpector bene acutus, particularem futurorum prædictionem ad numine afflatos relegauit, qui Græco ſunt nomine ſiue ἔνθεοι, ſiue δαιμονιακοί. Motus enim ipſe, cui mundus hic rerumq; natura omnis paret ac ſubiecta eſt, ita quidem agitat, conuertitq; elementa, ac rerum omnium ſemina, eaq; ſic commiſcet inter ſe, & quaſi fermentat, ut ignoratis ipſis fermẽtationibus, ignorare neceſſe ſit, quales inde prouenturi ſint effectus, qualia etiam opera. Quo fit ut non raro multa ſecus accidant quàm euenire aliàs eſt perſpectum: ut in generatione animalium, ut in frugum prouentu, atq; agrorum redditu, qui cum maxime certus eſſe ſoleat, interdum tamen ita decipit ac fruſtratur agricolas, ut fames inde ſequatur, generis q; hominum labes, uaſtitasq; regionum. Quis igitur ſtellarũ effectiones particulatim, omninoq; cognitas habeat? cum inferiorum etiam rerum naturas, uires, cauſas comprehendere particulatim utiq; nemo queat. Infinitæ penè ſeminũ ſunt inter ſe temperationes ac rerũ, infinitæ quoq; ſtellarum uires atq; efficaciæ. Quis igitur aut has, aut illas, aut utraſque ſimul minutatim comprehendat, & quaſi in ſinu complicatas habeat? Fatentur medici, declaratq; res ipſa, morbos quoſdam arte nulla curabiles, uidelicet ob eorum ignoratas cauſas, atq; ignorata remedia. Atqui in illis quoq; ægritudinibus, quæ notæ ab eis dicuntur, contingunt, & quidem haud rarenter, præter morborum ipſorum naturam ac medicorum opinionem, permulta nullo quidem modo aut prouiſa prius, aut cognita, Adeò uix eſt aliquid ita certum, aut hominum mentibus perſuaſum, quod non quandoq; fallat, obſeruata licet fuerit etiam diutius uis illius atq; efficacia. Dierum, menſium, annorũ, ætatum, ſeculorum inconſtantia ac diuerſitas, nón ne ipſæ palàm faciunt, quod de ſtellarum effectionibus, rerumq; ſeminibus nunc dicimus? Queruntur agricolæ terram iam conſenuiſſe. At nec terra tamen conſeneſcit, ut ipſa tandem intereat perinde ut animantia quæ ab ea aluntur: quamuis mutentur ſuis quibuſdam temporibus regionum ſitus ac qualitates. multoq; minus quàm terra ipſa cœlum ſeneſcit. Verum mutationes ipſæ qualitatũ, ſeminumq; alternationes terræ tum ſterilitatem, tum aëris, atq; aquarũ uitia multa producunt, quippe quæ & ipſæ aliter atq; aliter afficiãtur, ex coq; diuerſis ut etiam modis ſeſe habeant neceſſe eſt, perinde quidem ut cœlum ipſum à ſtellarũ motibus ſuoq; afficitur, atq; illarum inter ſe permixtionibus conformatur, afficitq; atq; informat inferiora. Itaq; laboretur neceſſe eſt ſingularium ignoratione rerum, cum rerum ipſa genera uniuerſim etiã

quandoq;

quandoq; laborent, periclitantibus penè ex toto singularibus. Inspectat ægroti urinam medicus, aliaq; excrementa, ac nonnunquã etiam uersat ea, pertentat digitis arteriam, ac percussa uena explorat sanguinem, denique commotiones illius singulas, ora, oculos, linguam, labra, etiam ungues, & tamen non raro fallitur, nouam ob aliquam, ac repentinam humorum commotiunculam. Habet agricola certos ac suos serendi dies, seritq; suo tempore, soloq; bene subacto & culto, certasq; colendi operas, certis etiam temporibus satis ipsis impartit, promittunt demum omnia felicem prouentũ, quem aut repente exorta uredo, aut dissipata è cœlo grando, aut maior aliqua siccitas, pluuiá ue intemperantior è uestigio aliquando intercipit, & quod uisum etiam non semel à me est, locustarum, ac bruchorum repentinus incursus. Sæpenumero itaq; luditur & agricola, quamuis operosus et diligens, non est tamen agricolam qui insectetur maledictis, quin miserantur hominis potius labores, indolentq; solertiam frustra eius esse habitam. Nulla ars, nulla scientia tam est quàm Astronomia certa, quod eclipsium prædictiones tam multos etiam ante annos, stellarumq; cõiunctiones inter se longè prius dinumeratæ declarant. Quæ tamen ipsis ex eclipsibus, coniunctionibusq; indicantur, apparentq; futura, falsum Mathematicum persæpe habent, propter commixtionum neq; probè omnino perspectam naturam, neq; planè cognitã defectus copulationisq; eius efficaciam, quodq; etiã fermentatio ipsa aliam atq; aliam ob causam, aliterq; quàm consueuit affecta uariat. Quod ubi accidit, decreto etiam publico Mathematici pellũtur exurbibus. Nec tamen nos ij sumus, qui in summa etiam uersari ignoratione Mathematicos ac deceptione negemus, tum propter agitationes cõtinuas stellarũ omniũ, cœliq; ipsius, quæ res incertitudinẽ suapte natura & gignit & auget, tum quia ex prædictione futurorũ uera, tanta existit pòst laus & hominũ admiratio, ut huius studium, intemperantiorq; cupiditas præcipites plerunq; Mathematicos ad prædicendũ agat, trahatq; ad significationes singulatim enunciãdas. interdũ quoq; lucri cupiditas, aut assentãdi gratia. cũ prædicere etiã uniuersim sit uel cũ primis difficile. Ad hæc, quota est fixarũ stellarũ pars Mathematicis bene cognita? quasi non inferiorũ quoq; rerũ causæ sint in prædicendis euentis uel diligẽtissime animaduertendæ, qualitates item, situsq; regionum, leges, mores, institutaq; ciuitatum. Vt enim ad humani generationem fœtus atq; conformationem, mulieris quoq; multum conferunt excrementa, & quæ dicuntur menstrua, sic ad stellarum roborandos, aut irritandos effectus, ea quæ à nobis sunt de natura locorũ ac situ, deq; urbium legibus, atq; institutis dicta. Nam quotus est, obsecro, his è Mathematicis, qui hæc aut moderetur, aut moderari ea omnino sciat? cum sint, ut dixi, tam multa obstrusa & abdita, eaq; penitus ignorata in

ipsa rerum natura. Ac mihi quidem uidetur Ioannes Picus ad ea quæ ad-uersus illos disseruit, potissimum tractus, quòd uideret Romæ quosdam, aut Bononiæ, in alijs ue Italiæ urbibus, Philosophiam ac Medicinam profitẽtes, salarioq; à ciuibus conductos, annis singulis facta stellarum ac cœli conuersione de uniuerso terrarum orbis statu, urbiumq; ac regum euentis tum in uniuersum prædicere, tum etiam per partes, & quidẽ minutatim. Rem sanè non absurdam modò, uerumetiam edictis publicis coërcendam. Nec cœlum profecto, nec stellæ naues ædificant, quibus merces transportentur, nec secures quibus facinorosi percutiantur ciues, nec lanam omnino curant, nec linum, è quibus panni texantur, nec itẽ pœnas statuunt aut supplicia, quibus puniantur sontes ac malefici homines, nec regna constituunt aut præfecturas: quæ quidem cuncta homines ipsi, ob uitæ maiorem usum ac commoditatem publice ac priuatim initio sibi constituere, & pro tempore etiam constituunt. Et quanquam multa sæpe mutantur, eundem tamen nunc sequuntur tenorem uiuendi & securius & abundantius. Quinetiam domos quoque ædificauere & oppida, ad hæc & decreta & leges & cerimonias & magistratus statuere, quò æquabilius uiuerent, minusq; obnoxij casibus ac necessitatibus. Motiones quoq; & ipsæ stellarum ac cœli, pro natura humani seminis atq; excrementorum, in generatione fermentant atq; efficiunt humorum ipsorum commixtionem, atq;, ut ita dixerim, massam: qua quidem è commixtione atq; affectu pòst & gignuntur & excitantur sensuum titillationes, è quibus etiam ipsis existunt uisa, & applicationes animorum ac studia ad has illás ue potius siue artes siue facultates atq; exercitationes. Idq; eo magis, si natura regionis, si leges, institutaq; auxiliabuntur patria, si domesticæ etiam opes, ac parentum accesserint institutiones. quæ ubi defuerint, idem cõtinget quod statuario, cui uis illa, peritiaq; fingendi ubiq; quidem etiam cœnanti inest. Quòd si nulla illi ad fingendũ materia subministretur, euanescet illa prorsus & uis & peritia. Sin uero male apta illa quidem suppeditabitur, inepta & ipsa profecto euadet effigiatio. Quid quòd persæpe natura quos ad literas ediscẽdas apparauit, ij quòd barbara, aut agrestis eorum est & terra, & patria, parentibus etiã ipsis inuitãtibus, cõuertuntur pastoralia ad munera, atq; ad agrestes operas. Contrà uero nõ paucos primarijs è familijs ortos natura ab ipsa quæstuosas ad artes accommodatos, maiorum ac patriæ nobilitas adhibita parentum diligentia retraxit ad gerendos magistratus. Itaq; non inepte fortasse dictum est in Vrania à nobis nostra, quod stellæ ipsæ

Sensibus afficiunt uarijs, uariosq; agitatus
Dant animis, unde & uarios formantur ad usus,
Estq; suum cunctis studium, & sua cuiq; uoluptas.

Sæpe

Sæpe tamen uis firma animi, resq; extera, lex'ue
Alternant fata, & Genio aduersatur egestas.
Stat fatum tamen, & fata uis insita perstat,
Nec natura suas unquam inficiabitur arteis,
In rectum, prauum ue uocet, uestigia seruat
Vsq; sua, & facilis per munera nota recursat,
Si qua forte locum dedit aduersata potestas.

Renatum Massilienſiũ ac prouinciæ Narbonenſis Comitẽ, quiq; aliquando Neapoli regnauerit, domestica gentilitas ad Comitatum primo, pòst ad Regnum etiam Neapolitanum extulit: Naturalis tamen eius applicatio, animiq; innata perpẽsio illa, quæq; à Liuio dicitur inclinatio, summa quidem ac penè tota erat in pictura, ducendis q; coloribus. Ferdinandus Neapolitanorum Rex, in maximis nõ regni modò Neapolitani, uerum Italiæ totius negocijs ac periculis, domandorum curam equorum nunquam omisit, nihilq; adolescenti ei aut prius fuit aut iucundius, quàm equitatio, quàm ferociſſimorum etiam equorum mansuefactio, illorumq; instituendorum cura. Nicolao Picinimo fortiſſimo temporis sui duci, lanionis tamen filio, ad eas quas natura eius animo infixiſſet applicationes & studia, quantum contulit, quantum, inquam, contulit Perusia patria? Ea enim tempestate nobilitas non modò Perusina, uerum uniuersa propè ciuitas, nobiles simul atq; ignobiles rei bellicæ summo cum fortunæ ac temporum fauore incumbebant. Regnant supra septingẽtos annos in Assyria atq; Aegypto Reges, qui sua ipsius gentis lingua Soltani dicuntur, illi quidem initio serui, quorum tamen liberi patri ne succedant in regno, publicis institutis cautũ est, & obseruatum. Quamuis igitur Soltanorum liberis & cœli & stellarum & naturæ ipsius opitulari uideatur fauor, à regni tamen successione, quæ hactenus constantiſſime quidem seruata est, lege penitus arcentur. aduersus quã Mahometes his ipsis temporibus, qui supra triginta regnasset annos, precio atq; largitione corruptis quos ipse euexerat, filij successionem cum procurasset, uanam deniq; eam expertus est. Nam non ita multos post menses successor filius militũ fuit consensu cæsus, stetitq; lex integra. Gallorum gens una tantum è familia Regem sibi constituit, ea etiam lege, ut filius natu maximus succedat patri. Igitur eam post cõstitutionem Reges apud Gallos non cœlum aut stellarum constituunt decreta, sed leges, maiorumq; instituta, cœlo forte ipso consentiente, legemq; ipsam comprobante. Quod autem regium nomen, potestasq; item regia esset antiquiſſima, ex eo introductũ à primis illis est Mathematicis, quoties eiusmodi stellarum constitutio esset in alicuius genitura, ut maximum ei inter ciues locum, maximamq; promitteret autoritatem in populis, Regem fore illum dicerent.

Cuiusmodi ciues Florentiæ nunc si nascantur aut Venetijs, non reges quidem ipsi futuri sunt, sed aut primi in administranda republica, aut inter primos. ijdem si nascantur in Gallia, erunt aut magnæ fortasse apud regẽ auctoritatis, aut suis in populis clari atq; eminentes, pro patriæ tamen atq; urbis, familiæq; magnitudine aut humilitate. Qui si in oppidulo aut uico nascantur aliquo, exurgẽt utiq; atq; efferentur inter oppidanos, quantum loci eius ac parentum ratio permiserit. Tametsi interdum cœli decreta, ubi ualidiora quidem fuerint, supra natalis soli conditionem illos extollunt, militiam præsertim ubi, præclarasq; sequentur artes atq; actiones. Quod in Mutio Sforția contigit, quem natum constat Cotiniolæ sordidissimo per id temporis Aemiliæ uico: cõtigit itẽ in Catamelata furnarij, ac maxime inertis hominis filio ex Narnia oppido, qui puer à militibus raptus pòst euasit Veneti Dux exercitus maxime inclytus. Extulit patria, extulit Cornelia familia, extulit militaris educatio ac disciplina, paternaq; item institutio P. Cornelium Scipionem. Quæ quidem, aliaq; suffragia defuere ijs, qui forte eadem genituræ conditione fuere tunc in lucem editi, humilibusq; in oppidis atq; obscuris è parentibus, aut Romæ forte non ijs suffragijs ac prærogatiuis geniti. Habent igitur & cœli & stellarum denunciationes nunc legum fauorem, humanarumq; constitutionum suffragia, nunc illas aut parum propitias, aut maxime aduersas, dum inferiora hæc superioribus illis causis aut minime congruũt, aut amicè admodũ suffragantur. Nec cœlum rursus ipsum, nec stellarum constitutio ac uis quenquam uel suspendio afficit, uel percutit securi, aut nauem frangit in scopulo. Qui tamen Mathematici in initio hæc ipsa obseruauere, quoties peruersam stellarũ constitutionem aliquam in ortu cuiuspiam cernerent, quæ uiolentam minaretur mortem, pro natura legũ atq; institutorum regionis aut urbis, in qua ipsi uersabantur, uiolentam illã mortem prædixere futurã, aut è securi, aut è iugo, aut è cruce, aut de saxo, aut è tortura, aliò ue prætorio è iudicio, secuti etiam naturã stellæ, quæ crimen ipsum, hoc est mortis causam innueret. Hæc igitur prædicendi, atq; (ut hodie dicũt) iudicandi ratio introducta ab illis cum esset, eandem ipsam & rationem & uiam secuti sunt eorum posteri. Quocirca mirari nemo quidẽ debet, ubi Mathematicus ex iugo mortem alicui pronunciauerit, in ea aut urbe aut regione, in qua hoc pœnæ ac mortis genere prætores minime utantur in animaduertendis criminibus, nec uanam ducere aut stellæ significationem, aut prædictionem Mathematici: neq; item si prædixerit naufragium, aut suffocationem, qua in regione nec flumina sunt ulla, nec lacus aut maria, nec ea gẽs libẽter peregrinatur. Hæc enim prædictionum genera fuere ab illis eadem ratione introducta, qui maritimas aut fluuiales incolerent regiones. quæ tamen mortes fortasse contingent

tingent, si non peregre, saltem è niuium suffocatione, aut grandinũ, aut pluuiarum, aut de nimio potu, nimiá ue cerebri exundatione, pro stellæ decernentis significatione ac uiribus. Ac nihilominus si humanæ persæpe (ut dictum est) leges decretis aduersantur cœlestibus, quid mirum, si rerum inferiorũ potentior uis aliquando causis obstet remotioribus, nec tanto pere ualidis? Itaq; satis quidem fuerit, mortẽ significari ex humido superfluẽte, & nimio. Habuit olim Assyria fortes ac bellicosos homines. At nunc Soltanorum ex edicto neque Syris, neque Assyrijs militiam sequi licet, quippe cũ militare ijs in regnis seruitijs tantũ, ac precio emptis militibus sit permissum. Igitur Alexandriæ si nascatur nunc quispiam, quem stellæ innuant militẽ fore, tribunum'ue militarẽ, num cœlum mentietur? minime hoc quidem. uerũ quod cœlum innuit atq; annunciat, regia lex, quæq; uiuens dicitur, mortis etiam proposita prohibet pœna. Adeò in rerum natura uariant nõ inferiora hæc solum inter se, uerũ hæc ipsa inferiora, dum ea superioribus male consentiũt, existuntq; etiã ualentiora. Apud eas gentes quibus nullus est omnino lanæ usus aut lini, quæ uis potest esse astrorũ ad decernendum lanificium, aut pannorum texturam? Vanus erit igitur illis in regionibus eiusmodi cœli innutus, quemadmodum erit in Sarmatia & uanus & nullus in significãda in alicuius genitura ex serico, aut sparto textura, quoticsq; etiã natura hæc inferior uires minime socias suggesserit superiori. Fuere Aegyptij disciplinarũ penè omniũ inuentores quondã & magistri. postea uero quàm Mahometes ea, quã nunc Aegyptij sequũtur, religione eos imbuit, ab omniũ prorsus abhorruere disciplinarum studijs, bonarumq; literarum cognitione. Videlicet quòd constitutiones illæ, stellarumq; significationes utiq; euanuerint. Quin eædem quoq; suo quoq; tempore & portendunt, & significant. Verum mutata sunt, ut quotidie mutantur, hominum instituta, mores, leges, uiuendi quoq; artes ac rationes, quæ quidem mutationes & ipsæ quoq; à stellis fortasse originẽ ducũt, quarum tamen obseruationum in longissimis ætatibus quis est qui non obliuiscatur? Nulli sunt apud fortunatas insulas rhetores, aut iurisconsulti, scilicet quòd nullæ ijs in insulis sint respublicæ, literæ nullæ, leges itẽ quæ scripto sanciant nullæ, neq; alijs quàm naturæ ipsius institutis uiuant insularũ earum incolæ. Nec tamen Mercurius qui elocutioni præest, nec Iupiter qui æquitati & iuri, nec Mars qui lites excitat alitq;, eas insulas, eosq; homines è cœlo non ut Hispaniam, ut Africam, ut eiusdem climatis inhabitatores radijs suis intuetur, atq; afficit. Atqui è fortunatis insulis quæ pelago nunc demersa iacet Atlanta, unde Atlanticũ mare, rerũ quondam fuit in occasu potita. Et uero si nulli sint hominum cœtus, nullæ respublicæ, legeq; sociati conuentus, cœlum quo modo decernet seditiosum, aut legum contemptorẽ

ciuem? qua etiam uia pœnam seditioso statuet, aut patriæ proditori? Atq; ubi patriæ legibus cautum sit, pœna constituta, sororem ijsdem ortam parentibus fratri nullo pacto iungi (etsi olim apud Persas licebat inter filium ac matrem nuptias statui) cœlum ne decernet eiusmodi matrimonia? minime profecto. uerum eo ab cœli ac syderum statu innui potius nefarium dicemus concubitũ. Scimus in Campania, agrcq; Neapolitano hyeme quidem tonitrua & multa & horrenda fieri, an in Gallia aut Germania prædicet Astrologus hyemem fore tonitruosam? cum alibi quàm in Campania uix hyeme tonitrus hi contingant. Neq; igitur ubiq; incessendus est Mathematicus, cum prædictiones euentorum eiusmodi minime succedent, & ipse ijs debet à prædictionibus continere, cum primisq; leges, mores, artes, studia, uitæ genus, quæstuq; hominum regionis cuiusq; considerare. Omnino uero & in re quaq; à prædicendis abstinebit particularibus, & in quocunq; euentorum genere. quod cũ fecerit & uindicabit se ab insectantium detractionibus, & disciplinam stellarum in autoritate, precioq; conseruabit suo. Volui te Paule Corteſi his, & fortasse quàm opus est pluribus affari, antequã ea quæ dicenda restant, aggredior. Nanq; accusare te persæpe haud iniuria quidem audio Mathematicos, uel de illorum potius ignorantia conqueri. Nihilo te tamen minus disciplinarum omniũ non amatorem solum, uerum etiam admiratorem satis esse scio & compertũ maxime habeo. Idq; eo feci consilio, quo tutemet intelligas, etiam me uel suasore, uel admonitore quid iure accusare, quid etiã laudare in hac disciplina, eiusq; professoribus, & possis & debeas, omni non modo liuoris suspicione uacuus, uerum etiam maledicentiæ. Scias igitur & à motu stellarum & cœli excitari elementa, ab elementis uero tum uegetantem, tum etiam sentientem uim foueri, agi, diuersis modis affici, etiam mutari, uerti, rationem autem in ijs uersari quæ subiecta partim nobis ipsis sunt, partim nos illis: in ijsq; quæ subiecta quidem sunt nobis, posse nos illis adhibita ratione aut ubiq; præscribere, aut plerunq;: at quibus ipsi subijcimur, partim aduersum ire nullo modo nos posse, ut senectuti, ne suo adueniat tempore, nisi forte inferre nobis manum uoluerimus, natura inuita, partim eorum moderari impetum, atq; ex parte minuere, aut si non penitus auertere, lenire saltem furorem, ut in fame, in tempestatibus, in aduersis casibus, in corporis deniq; pernicioſis affectibus. Nõ pauca quoq; ab his ipsis minime dissidentia libellum hunc legens animaduertes, quæ confirmare animum tuum, ad ea quæ dicta sunt & iure poterunt, & ipse minime abnues, homo ijs præsertim moribus præditus, tantaq; cognitione, ac plurimo rerum usu.

Libri duodecimi de rebus cœlestibus finis.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI

AD ANTONIVM GEVARAM COMITEM

Potentinum de rebus cœleſtibus liber tertiusdecimus.

PROOEMIVM.



QVAM è niue liqueſcentem ſitim non extinguere, uel augere illam potius, Antoni Geuara, è medicorum primis ſunt qui aſſeuerent: etſi ſuapte natura aquæ potus & ſedat illam mediocrior, & maior etiam extinguit. Salem quoq; tradunt cum uino ebibitum ebrietatem inducere, eundem ſi à ieiuno ſumatur prohibere eam. Lactucam item ex aceto caliginem oculis offundere, eandem illinendo medicamento adhibitam, caliginem multũ conferre ophthalmiæ oculorũq; ſuffuſioni. Arcet peſtilens illud uirus cum caricula nux, cumq; pauculis rutæ foliis ieiuno præbita. Eadem nux cum cepa & ſale remedium eſt etiam ualentiſſimum ſanando rabidi canis morſui. Ne autem huiuſmodi conſectemur multa, è rebus ſimul mixtis, atq; in unum coactis, non alij modò atq; alij effectus manant, uerumetiam ijſdem ipſis è rebus aliter atq; aliter ſeorſum adhibitis atq; adminiſtratis. Aliud olei munus eſt inuncti extrinſecus, aliud cũ cibo ſumpti, aliud etiam dum aluus inferius ſubducitur. Vini quoque ratio eſt non una, tum epoti ad ſedandam ſitim, atq; alendum corpus, tum exterius adhibiti, aut fouendis neruis, aut exiccandis tumoribus. An non aër ipſe exagitatus refrigerat, immotus æſtuat, incluſus male afficit? Putreſcit utiq; reſtagnãs aqua, eadem decurrens ſalubris efficitur: Natura enim ipſa, rerum omnium magiſtra, ita quidem comparatum eſt, ſeq; ea ſic inſtituit, uti rerum commixtionibus accedat plerunq; tertia quædam uis. Tertiã uoco uim illam ſcilicet, quæ poſt rerum ſimul ipſarum conflationem enaſcitur, quæ neq; prius omnino inerat in materia, neq; in ipſa quæ materiam concinnabat, atq; in unum redigebat forma. Eadem quoque natura comparatum eſt, uti rerum differentias uſus ipſe maxime pro diuerſitate ſua & oſtendat & probet. Vtimur ferro ad cædendum, ad fodiendum, ad frangendum. Idem etiam ferrum adhibemus ad ſuendum diſſuendumq;, ad includendum atque reſerandum. Vtimur etiam lapide ad ſtruendos parietes, ad molendum triticum, ad excoquendam calcem, ad effigiandas imagines, ad ſternendas uias. Ligneam uero materiam tam multos ad uſus uertimus, ut difficile ſit enumeratu. Ex hoc itaq; uſu rerum tam diuerſo ac multiplici, & earum inter ſe commixtione tam uaria,

uita ipsa nostra, hominumq; societas constat, siue artes inspiciantur, ne de corporis loquamur constitutione, siue ciuiles consuetudines, totiusq; reip. administratio, siue etiam sermo ipse humanus locutioq; consideretur, qua nihil est neque prius, neque melius, præter rationem, nobis à natura, dono dei munercq; concessum. Sermo igitur ipse noster totus è literarum commixtione constituitur ac syllabarum, è quibus uoces ipsæ constant, eæq; sermonem conficiunt. Vsus autem ipse uocum qualis fuerit, qualis etiam oratio, auditorem nunc ad iram inflammabit, nunc inducet ad risum: hic excitabit ad uindictam, illic inuitabit ad misericordiam: aliâs dolore afficiet, aliâs delectabit. Demum quid quisque sentiat, & quo sit modo affectus, oratio ipsa indicat, pro dicentis ipsius gestu, explicatione, habitu. Quòd si in ijs quæ cœli & stellarum sunt, rerum nostrarum exemplis uti, eaq; componere cum inferioribus his licuerit, hoc maxime modo, hacq; etiam uia cœlestium sese configurationũ commixtiones habent & ad informandum, & ad decernendum: Ineſt enim ſtellæ cuiq; ſua ac peculiaris uis, cuiq; etiã aſpectui atque configurationi. Vires autem ipsæ, ac facultates, multiplicem ſuſcipiunt tum diuersitatem, tum uarietatem, pro mixturarum natura atque configurationum. Iis accedunt similitudines dissimilitudinesq;, atque contrarietates qualitatum, conditionum, locorum, ſtatus item atq; habitus ſtellæ cuiuſque, acceſſus item atque receſſus, cœliq; ipſius acclinationes atq; declinationes. Quarum rerum quanta ſit uis, unius ſolis obſeruatio docet, è cuius motu progreſſioneq; auſtrum uersus ad ſeptentrionem, eiusq; per ſignum quodque diuagatione cueniunt hæc quæ uidentur omnia in herbis, in ſtirpibus, in animalibus, in aëre, aquis, terris. Ex ipſa itaque commixtione, ne à nobis receſſiſſe uideamur, è commixtione, inquam, ipſa effectionum iecinoris, lienis, pulmonis, cerebri, ac moderantis cuncta cordis, cum animalium cæterorum, tum hominis imprimis conſtituuntur ſuæ cuiuſque animalis partes ac munera. Eadem etiam opera, ſi, quod dictum eſt, comparatione ac ſimilitudine uti liceat, ſtellæ cuiuſque effectionum mixtura, ipſiusq; imprimis Solis, à quo perinde atque à corde fouentur omnia, ſtatum quæque ſuum inferiora hæc ſortiuntur. Et qua etiam ratione quæ diximus membra ſenſus motusq; ſuſcitantia utuntur uenis, arterijs, neruis, fibris, chartilagine, ſic Sol cum planetis alijs utitur cœli ſignis, ſingulorũq; miniſterio atque opera. Pro quorum quidem diuerſitate, natura, officio, uariant etiam ea quæ ab illis ſtatuuntur. Qua è re tanta exiſtit cum corporũ tum ingeniorum diuerſitas, itemq; applicationũ, multiplexq; illa fermentatio, è qua uarietas ipſa proficiſcitur, ut recte à primis illis naturæ rerum obſeruatoribus dictum ſit, & creditum, hominem ipſum minorẽ quendam mundum eſſe, ſuperioris q; illius referre imaginem, ad quem commotiones

ipſæ

ipsæ nostræ, atq; applicationes sint etiã referendæ: Etsi nequaquã eas omni è parte aut cognitio ea, quæ scientia dicitur, metiri, aut obseruatio deprehendere particulatim ualet: id quod in rebus his inferioribus passim quidẽ euenit, ut euenire idem in rerũ cœlestiũ inuestigatione minime mirandum sit, quarũ & inspectio sit quamremotissima, & inuestigatio maxime omniũ abstrusa. Quis enim ad exactum disserere de cœli stellarumq; effectionibus ualeat, earumq; inter se temperaturis? quæ sint propemodum infinitæ: ut inquirendis rebus quæ physicæ dicuntur, hac in parte non minus quàm in cœlestibus caligent inquirentiũ ingenia. Quo circa quæ à nobis traduntur eorum ad unguem omniũ, expressecq; ac minutatim ratio nequaquã redditur. Cum præsertim sapores quosdam, quos artificis concinnauit manus, ita aut probemus, aut improbemus, ut quisq; è palati sui loquatur sentẽtia, certa tamen causa probationis improbationisq; ignorata, quæ tamen ipsa certa quidem ac uera subest, aut in nobis, aut in illis, aut in utrisq;. Itaq; & me dicis, & minorũ artium professoribus merito conceditur, ut in quibusdam standum sit obseruationi atq; experimentis. Quod dari etiam cœlestiũ rerum, syderalisq; scientiæ studiosis tanto quidem æquius postulatur, quanto de his quàm de illis difficilius est sententiam ferre.

HOmo igitur cum sit mortalis, & ualetudines in uita, & uitia ei permulta accidunt, nõ in ea duntaxat parte animæ, qua aut uiget aut sentit, sed qua etiam intelligit, ac ratione utitur, & à qua rationale est animal appellatũ. In parte igitur & uegetante, & sentiente qui contingant morbi, quæ etiã uitia, medicorũ declarat industria ac disciplina: de quibus nõ pauca quoq; sunt à nobis iã dicta. Animi uero morbi atq; affectus, quas passiones etiam dicere, Græco præsertim exemplo, non est cur quis recusset: etsi non sunt fortasse quàm qui corporis rariores, tamen eo pauciores, quòd corporis ægritudinũ curatores ac medici ob lucrum inueniũtur permulti: animi uero morborũ aut omnino nulli (quis enim aut stultũ se fatetur aut insanũ?) aut omnino perquam rari. De uitijs itaq; animi ualetudinibusq;, ac morbis, dicturi hoc in libro statim sumus, non illis quidẽ seu uitijs, seu morbis, qui mediocres habentur, & quorũ uita communis abunde est plena, uerũ de illis ipsis, qui hominẽ de statu prorsus hominis, suoq; deijciũt, graduq; rationali, quales sunt lymphationes, furores, insaniæ, cum homo ipse deprauatis sensibus, mente etiã captus aut desipit delirans, aut insaniens furit. Post quæ de affectibus etiã quibusdam dicemus alijs, qui hominẽ ipsum inquinãt quidem, præterq; modũ intemperantẽ faciunt, contaminatis moribus, siue morbi affectusq; illi sint animi, siue hominis ipsius, ex animo qui existit ac corpore. Qua de re argutius

differere loci est alterius ac disciplinæ. Vitia uero atq; affectus in hac ipsa dissertione accipi sic uolumus, ut uitia quidē intelligātur ea, per quæ aut deliratq; quispiā, aut insanit. Affectus uero, per quos ad intemperantiā delabitur mores q; impuriores: neq; enim raro mēs ipsa ob imbecillitatē depraua tionē'ue, nec intelligit quæ ratiōis sunt, & ab illa quadā quasi obtorpescentia, sensuum'ue imbecillo habitu aberrat distrahiturq; de uia, unde delirare ductū est, & hi quidē homines desipientes habentur ac deliri. Alij uero rationē ita abiecere, ab illius q; deflexere curriculo, ut nō modò errent de uia, uerq; ab omni prorsus hominis officio alieni rationiq; aduersantes, ab eaq; extorres facti, insania agitentur ac furore, quos diuersis quidem appellauere nominibus fanaticos, procerritos, laruatos, dæmoniacos, lymphatos, furentes, furiosos, uno tamen omnes nomine insanos. Insaniam tamen hac in parte intelligi uolumus nō eam quidē, quæ à medicis phrenesis est appellata, quæq; ab illis in lecto curatur, sed quæ aut incurabilis ipsa est, aut non nisi post multos sanatur annos, habitaq; est interim ostentui. De quibus singulis, & quibus manent à configurationibus, & quo etiā inter se differant, hæc tradenda esse duximus, à cœli syderumq; cognitione, diurnaq; ab obseruatione profecta.

De insania ex morbo comitiali. Cap. I.

Morbo igitur comitiali qui correpti sunt, ab eoq; subinde continenterq; uexantur, quiq; Græcè sunt ἐπιληπτικοὶ, è nostris, ut uideo, sunt qui caducos eos appellarint: hi plerunq; morbi ipsius urgente assidue ui grauitateq;, mente tandē consternantur atq; animo, à rationeq; abalienātur quo fit, ut nonnunquā in pericula conijciantur multa, eaq; grauia ac pernitiosa, ut miseris deniq; exagitentur modis, clamitando, uociferando, fœdando sese. Quem morbum quòd diuturnitas ipsa, uisq; incurabilis uitium tandem efficit, Ptolemæus putat illis plerunq; accidere, in quorum genituris Luna nullam cum Mercurio copulationem ac familiaritatem habuerit, nulla illi fuerit ratione coniuncta, aut modo aliquo, ut ipse inquit, colligata, ut qui sint uterq;, Luna scilicet ac Mercurius, non disiuncti modò ab sese, nulla utiq; cōnexione deuincti, uerum etiam orientali à finitore omnino alieni, præsertim ubi illud ijs etiam accesserit malis, ut Saturnus diurna quidem in genitura, in nocturna uero Mars, quibus uterq; separatim conditionibus gaudeat, cardinem cœli teneat, ubi collocatus ipse superiore è loco uiolentius respiciat. Ne autem nostro ab instituto recedamus, rei huius illa uidetur esse ratio: quia cum Luna corpori dominetur, corporis q; humoribus, ac præsertim cerebro, quod motum quidem Lunæ ipsius sequatur, ac naturam, Mercurius uero rationi

cum

cum præsideat, ut abunde iam ostensum est, nulla prorsus esse possit humani corporis aut constitutio, aut fermentatio, in qua locũ ratio suum retineat, cum humorum ipsorum corporis rationis q̃; rectores ac duces nullo prorsus inter se fœdere ac societate, nulla inuicem omnino connexione, nulla denique orientali cum finitore copulatione iungantur, imò ab ipso potius abalientur horoscopo. Quando hic ipse horoscopus nascentis hominis constitutionem maxime indicat, totiusq̃; concretionis statum ac qualitatẽ: quæ perinde quidem futura est, ut rationis in se ipsa semẽ nullo pacto sit admissura, aut illud quidem potius auersura, quod in agris quibusdam cõtingit: neq; enim, quod ait Virgilius, Terræ ferre omnes omnia possunt. Ipsorum autem humorum, corporeæq̃; compactionis, ac cerebri præsertim, incomposita uis eò amplius exagitabitur, distrahetur q̃; ab omni rationis usu ac familiaritate, ubi Saturni, Martis ue pernitiosa, potens q̃; irradiatio sese adiunxerit à cardine, Saturni quidẽ diurno tempore (fit enim conditione ab ipsa temporis ualidior, ut qui lætetur die) Martis uero nocturno, quippe qui nocte gaudeat. Humores enim ipsos cõfiguratio hæc magis magis q̃; exagitabit, reddetq̃; indies maligniores, præsertim uitiato cerebro, quo è uitio mala hæc proficiscuntur omnia. à maleficarum enim intemperantia, peruersaq̃; effectione manat omnis humorũ malignitas, cerebriq̃; indigna affectio. Siquidẽ ægritudines illæ, quæ inexemplificabiles sunt, habentur q̃; ostentui, à maleficis oriuntur. Quòd si maleficarum ipsarum temporalis mutata fuerit conditio, ut noctu quidem Saturni stella, die uero Martis genitura ipsius configurationi dominetur, locum utiq; superiorem nacta, uiribusq̃; planè suis prædita, potissimumq̃; in Cancro, aut Virgine, aut Piscibus, ex hac profectò tam deprauata cerebri, humorumq̃; exagitatione insania gignetur illa scilicet, quæ Græcè est μανία, quo morbo correpti qui sunt à Græcis μανιακοὶ, furiosi à nostris dicuntur, quòd eorum mentes ratione ab ipsa penitus alienentur, sintq̃; à furore percitæ. In hac uero ipsa de qua loquimur, cœli genituræq̃; configuratione, ubi aut Lunã coire cum Sole cõtigerit, quo in coitu Saturnus eam peruersa irradiatione afflixerit, aut Soli aduersari, ac pleno contra illum ferri lumine, qua in plenitudine & statu Mars Lunam hostiliter uexet, oppressamq̃; radijs suis male habeat, maxime in Sagittario, aut Piscibus, nimirum quibus hoc nascentibus contigerit, ij fanatici erunt ac procerriti, quasi numinis alicuius ira exagitati, quos Græci δαιμονιακοὺς uocent, dcq̃; nimia capitis humectatione, cerebriq̃; humorũ exuperantia etiã Hygrocephalos, unde à nostris quoq; maioribus lymphationis nomen ductum est, uitioq̃; hoc affecti uocati sunt lymphati. Nec uero hæc ipsa uitia pro beneficarum quoq; stellarum situ, irradiationeq̃; non alias etiam atq; alias qualitates suscipiunt, quippe quæ

ſanari morbum ipſum tandē aliquando decernant, id eſt humores ipſos aliquando temperatū iri. qua è temperatione ſanitas tandē reſtituatur priſtina. Si enim Iouis illis aſpectus, aut Veneris ſeſe adiūxerit, ſintq; maleficæ ipſæ libycis in partibus, ut Ptolemæus ait, hoc eſt occiduis poſitæ, beneficæ uero in apelioticis ſubſolanisq;, eæq; cardinē teneant, morbi quidem ſanabiles decernuntur, qui nihilominus oſtentui futuri ſint, atq; inexemplificabiles. Sanitas autem ipſa, ubi Iupiter ſuffragator aſtiterit, hominum opera medicorūq; curatione ac remedijs reſtituenda decernitur. Sin Veneris adminiculabitur ſtella, ueneficijs, ſortibus, oraculis, numinis'ue cuiuſpiam beneficio ac fauore. Contrà nullam admittent morbi curationem, nullum remedium, ubi maleficæ cardinem tenuerint ſubſolanis in partibus cōſtitutæ, beneficæ contrà in libycis diuerſabuntur. Ad incurabilitatem illud quoq; accedet mali, ut futura ſint uitia peruulgatiſſima, nobilitenturq; infamiæ nota. Hoc igitur in ſtatu cœli morbus ipſe comitialis futurus eſt non modò manifeſtus ac diuulgatus, uerum etiam, ut paulò antè dixi, cum animi conſternatione, mentisq; ipſius compreßione, ac cum clamore & uociferatu, multorumq; ac letalium periculorū iactatione. Furoris autē comites erūt mentis à ratione ipſa omni è parte abalienatio, motus corporis, animiq; incompoſiti atq; inordinati, rerum familiariū diſſipatio ac iactatio, ueſtium diſciſſio. Ipſi uero ſic affecti nunc per loca maxime frequentia, nunc à cultu deſtituta nudi rapiuntur, execrātes deos, inceſſentesq; homines maledictis, uerberādo, cædendo, lapides iactando, ut neceſſe ſit uinclis eos ac carceribus cohibere. Itaq; furor ipſe non oſtentoſus modò, uerum etiam miſerabilis futurus eſt. At lymphationem, & quos fanaticos uocari diximus, numinum comitantur afflatus, & hi quidem ipſi ſunt, hodie qui Spiritati uocātur. Vulgo enim paſſimq; ſpiritus dicuntur, qui Græcè ſunt δαίμονες, ijdem Græco uerbo δαιμονιακοί: nam & futura uaticinantur, & conſilia maxime ſecreta detegunt ipſos adeuntium, ac nunc occulta ſcelera, nunc peruerſas illorum cogitationes produnt, futuraq; ſeu bona, ſeu mala annunciant, cuiuſmodi Sibyllas fuiſſe proditum eſt memoriæ: qualem nos ipſi penè pueri cognouimus mulierculam ſingulari pudicitia, uiuentem in agro, ac manuū opera parantem ſibi uictum: nam plerunq; mulierculas morbus hic inuadit propter maiorem cerebri humectationē. Eodem hoc morbo correpti quandoq; etiam pectus tundunt pugnis, ora oculosq; contorquent, ac faciem uerberant. Itaq; non temere Virgilius de Deiphobe illa ſua furente ait:

-- Cui talia fanti
Ante fores ſubito non uultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum.
Et rabie fera corda tument, maiorq; uideri,

Nec

Nec mortale sonans. Nec multo pòst:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro

Bacchatur uates. His enim uerbis habitum furentis declarauit. nam huiusmodi uesania correptos suo nomine maiores nostri furentes uocauere. Huius autem insaniæ non unam speciem loca, situsq; erraticarũ, quæ configurationem constituunt, pro natura sua pariunt: Comitialem enim ad morbũ ingenerandum, status collocationesq; Iouis & Mercurij, eorumq; domicilia conferunt plurimũ, Solis ac Martis ad furorẽ, Veneris ad numinũ afflatus ac uaticinia, Saturni Lunæq; ad lymphationẽ, eamq; ad uexationẽ, quæ de nimia ac peruersa capitis humectatione suscitatur. Siquidẽ fanaticorũ, ac lymphatorũ genus est duplex: alterum quidem quod uaticinatur, prædicitq; futura, & secreta aperit: alterũ uero quod uesania tantum agitatur, habeturq; ostẽtui. Itaq; pro uarietate locorũ, aspectus, cõfigurantiumq; stellarum, ipsa quoq; uariatur insania, isq; animorum morbus, de quo nunc agimus, quiq; mentẽ de suo prorsus statu deijcit, euertitq; de gradu. Ptolemæi hac ipsa de re enunciatum extat numero septuagesimum: In furentibus Luna Mercurio nõ copulatur, neuterq; ascendenti in dæmoniacis. In hac figura Saturnus quidẽ noctu, Mars uero interdiu cardinem tenebit, maximeq; in Cancro, Virgine, & Piscibus. Cui enunciato adijcere non recusabimus ea, quæ in commentationibus dicta sunt à nobis, ea uero sunt hæc. In genitura eius qui numine afflatus est, quẽ Græci dicunt ἐνθουσιῶντα, unde Sibylla ἐνθέα est dicta, inuenies Lunam nulla prorsus cum Mercurio copulatione coniungi, nullo simul cognationis genere colligari. Simili etiam modo in genituris laruatorum, procerritorumq;, quos hodie Græco nomine δαιμονιακοὺς dicimus, inuenies Mercuriũ Lunamq; nullam cum horoscopo copulationem habere, nullo ei uinculo iungi, nulla denique ratione horoscopum complecti. Quin etiã in genitura ipsa siue furentis, siue dæmoniaci, si nocturna fuerit, Saturnũ: sin diurna, Martẽ cardinalem inuenies, eriq; uterq; longè potentior ad furorem, lymphationemq; excitandam, si tunc in Cancro, aut Virgine, aut Piscibus collocatus fuerit. Si enim, uti dictum est, rationi Mercurius præest, Luna corpori, quis consilio, aut rationi esse in eo homine locus potest, in cuius genitura Luna Mercuriusq; nullo simul uinculo colligantur? nec horoscopum, qui corpora cam nati illius fabricam significat, ullo pacto complectuntur: imò quod perniciosius est, Saturnus noctu, quod tempus propriæ Saturni conditioni aduersum est, Mars interdiu, cuius stella nocte gaudet, cœli cardinem tenens, in corpore nati eius pernitiosos, & insaniam excitaturos humores ingenerat, cum uterq; planeta, alter atræ bili, alter rubræ præsit, & utraq; bilis, id est cholericus melancholicusq; humor, ubi uehementior fuerit, in insaniã uer-

gat. Cur uero in Cancro, Virgine, aut Piſcibus magis quàm in alijs ſignis? an quia Mars, Saturnusq; peſſime ſe habẽt in Cãcro? in quo poſitus Mars altitudini ſuæ, Saturnus propriæ domui aduerſetur: in Virgine, quòd illic conſtitutus Saturnus celat ex Libra, in qua exultat: in Piſcibus uero Mars poſitus ex Ariete, id eſt ex domicilio ſuo decidat. An fortaſſe quòd cum Luna, Mercuriusq; nulla inter ſe, nec cum horoſcopo colligatione iungantur, hoc etiam Saturnus noctu, Mars interdiu, quando nocentiores ſunt, ad malum utriuſq; habitum adiungant, ut Cancrum Lunæ, Virginem Mercurij domum inſidens magis ac magis infeſtet? Cumq; in tam pernitioſa cõfiguratione neceſſe ſit Iouem, Veneremq; male affici, ad malum etiam Iouis, Veneris q; habitum hoc quoq; addant, ut Piſces corpore ſuo inficiant Iouis domum, Veneris altitudinem, Cancrum item Iouis? An quòd in Cancro ac Piſcibus humores plurimos excitent? cum lymphati maxime humidum cerebrum habeant, inde enim lymphati dicti mihi uidentur, in Virgine uero bilem illam maxime exuſtam, cuius alumna uidetur inſania. An potius dicendum erit, ab inſita naturaliq; quadam poteſtate hoc fieri, idq; ita ſe habere obſeruatio ipſa docuerit? Qui locus uti fieret aliquãto illuſtrior, ac diſtinctior, placuit Ptolemæi ipſius uerba ex tertio Apoteleſmatum libro afferre, quæ ſunt hæc: Epileptici nanq; plerũq; ſunt, qui Luna, Mercurioq; nec aut inuicẽ colligatis, aut cũ orientali finitore Saturni quidẽ ſtellã interdiu, Martis uero noctu cardinalem habent, quæ ſuperiore è loco figuram deſpiciat. Cum uero contrariũ in his accidit, ut Saturnus noctu, Mars interdiu figuræ dominator ſit, ac maxime in Cãcro, Virgine, aut Piſcibus, inſani ſunt. Vexatos à dæmonibus qui humido capite ſunt maleficæ faciunt, cum ita ſe habentes Lunã Soli configuratam obtinebunt, Saturnus quidem in nouilunio, Mars in plenilunio, præſertim in Sagittario, ac Piſcibus. Solæ itaq; maleficæ ſtellæ quo dictum eſt modo, figuræ ſuſcipientes dominatum & incurabiles, & latentes, & quæ oſtentui ſint, quas diximus paſſiones, & animæ morbos in ea parte quæ intelligit, faciũt. Quibus ſi beneficarum ſtellarum Iouis ac Veneris ſocietas acceſſerit, atq; ipſæ quidem maleficæ occiduum cardinẽ tenuerint, beneficæ uero orientalem, quæ oſtentui ſint, paſſiones faciunt, curabiles tamen medicorum remedijs, hoc eſt ſubductione, & potione, & hoc propter Iouem, ſortibus uero, ac deorum ope propter Venerem. At cum maleficæ in orientalibus cardinales fuerint, beneficæ in occiduis, morbos faciunt incurabiles pariter ac diuulgatiſſimos, maximeq; nobilitatos. Morbum autem comitialem conſequuntur compreſſiones, clamores, pericula etiam letalia. Inſaniam, mentis q; externationẽ, motus incompoſiti, rerum familiarium diſſipationes, corporum denudationes, execrationes, & alia huiuſmodi. lymphationem, & humidi exagitationẽ conſequũtur

sequũtur furiæ, numinum afflatus, uerberationes, quæq; huiusmodi ostentui sunt. Priuatim autẽ & continentium locorum figura confert. Loca enim Solis ac Martis ad insaniam maxime conferũt, Iouis Mercurijq; ad morbum comitialẽ, Veneris ad dæmonũ uexationes, Saturni Lunæq; ad humidi exagitationes ac lymphationes. Videamus quid de his quoq; Iulius Maternus dicat. Saturnus & Mars solidis in signis positi, si diametra se radiatione respiciãt, aut unus in horoscopo sit, alter in occasu, aut unus in imo, alter in medio, epilepticos faciunt. Si uero in tropicis signis constituti hac se radiatione respexerint, caducos efficiũt, & qui nulla possint ratione sanari. Itẽ si Mercurius in Virgine, aut in Piscibus constitutus in horoscopo sit partiliter positus, & eum Saturnus, & Mars quadrata radiatione respiciant, insanos efficient. Si Mars & Saturnus ita sint collocati, ut unus ipsorũ in medio cœlo sit, alter in imo, ex prauis humoribus uitiosam ægritudinẽ faciũt. Sed si hos Mercurius quadrata radiatione respexerit, Deorũ illis præsidio sanitas cõparatur. Si uero his in locis positi partili sint radiatione cõiuncti ut æquas partes possideant, insanos efficiunt, & qui nunquã possint ab his criminibus insaniæ liberari. Si uero in finibus suis sint positi, aut in Saturni finibus sit Mars, & in Martis finibus Saturnus, & sint in quibus diximus locis, in initijs insaniæ cõstituti liberantur, posteaquã Martis quintus decimus annus, aut Saturni trigesimus cõpleti fuerint. Sed & cũ Iupiter & Mars simili se radiatione respexerint, epilepticos faciũt. Si uero sic, ut diximus, positi in suis partibus fuerint collocati, aut Iupiter in finibus Martis & Mars in finibus Iouis, in initijs eius ualetudinis cõstituti liberãtur. Sed quãdo prima stellæ tẽpora transierint, id est, aut Martis quintusdecimus annus, aut Iouis duodecimus, si Iupiter in horoscopo fuerit inuentus, & Mars in diametro eius collocatus, Solẽ & Lunã qualibet radiatione respiciat, aut insanos efficiet, aut lunaticos. Sed & si Luna aut synodica, aut plena in cardinibus posita Martẽ quadrata radiatiõe respexerit, & Saturnus ei per quadratũ, aut per diametrũ iungatur, eadẽ uitia decernũtur. Si in signo Saturni, uel in signo Martis horoscopus fuerit inuentus, aut certe locus fortunæ, Sol uero in horoscopo sit partiliter constitutus, & cũ eo Mercurius æquis partiũ societibus iũctus, Saturnus uero & Mars in septimo sint ab horoscopo positi, epilepticos faciũt, sed biothanatos: Si Mars aut Saturnus in undecimo ab horoscopo loco fuerit inuẽtus, aut si unus eorũ in ipso sit loco positus, alter uero cũ Luna sit collocatus, aut eã quadrata radiatione respiciat, & Saturnus aut Mars Mercurio qualibet radiatione iũgatur. facit insanos, epilepticos, biothanatos. Sed hoc peius erit, si Mars in undecimo ab horoscopo loco fuerit inuẽtus, & Saturnus in sexto. Ad causas etiã supra iam dictas & illa quoq; accedũt, quòd è Cancro & per diametrã, & per quadran-

gulam irradiationem signa utraq; tum æquinoctialia, tum solstitialia, quæ cœli uidentur obtinere prætoria, inficiuntur à maleficâ, in quouis eorũ collocata: è Piscibus uero ac Virgine signa omnia bicorporea, quæ humana dicuntur, per easdem quoq; irradiationes corrumpuntur, ut uideantur parte ex omni quæ hominis ipsius sunt exagitata labefieri. In deprehendenda igitur genituræ tempore insania, & cuiusmodi ea quantaq; futura etiam sit, curationem ne admissura, ac suo quodam tempore sananda, an potius futura sit incurabilis, semperq; ostentosa, hæc ipsa uidentur à Mathematico animaduertenda: status uidelicet Lunæ, quæ principe loco corporis ac sensuũ curam habet, præcipueq; humorum ac cerebri: status item Mercurij, in manu cuius ratio reposita est omnis: qualitas item ac natura horoscopi, cuius ius potestasq; eminet in constitutione corporea, corporisq; ipsius concretione. Vbi enim Luna Mercuriusq; amicè inuicẽ familiariterq; se habuerint beneq; collocabuntur, ratio in eo qui nascitur locum ubique suum retinebit, neq; de qua nunc loquimur timenda erit insania. Hoc idem eueniet, ubi cum finitore, hoc est ipso cum horoscopo, bene familiariterq; coniungentur. Vbi uero secus, ut neq; amicè inuicem, neq; ullo se familiaritatis genere amplectantur, imò & opprimantur ignobiliter & deiectè, utq; maleficæ horoscopum orientalemq; finitorẽ de superiore aspiciant loco, illumue aut insideant, aut è regione impugnent, seseq; hostiliter gerant, cerebri profecto ipsius uel animi potius insanum decernunt habitum. Etenim maleficæ ad malam illam morbi qualitatẽ, quæ deprauata è collocatione Lunæ Mercurijq; decernitur, configuratione ex ipsa momenti tantum afferunt, ut irradiatione atq; hostilitate sua excessum illum, qui insaniam pariat, meditentur. In animi enim quemadmodum in corporis ægritudinibus excessus contingunt pariter ac defectus. Furor igitur, & hæc de qua nunc loquimur insania, illorum est è morborum genere, qui non solum excedant lineam, uerum etiã sint ostentui. Ad hæc signa ipsa animaduertenda sunt, ipsorumq; signorum qualitates ac naturæ, maxime autem quam habeant in cœlo prærogatiuã: sintne tropica, an solida, an bicorporea. Stellæ item signorũ dominæ considerandæ, quibus in signis tum maleficæ, tum Luna Mercuriusq; collocabuntur. Iura enim hospitij plurimum hanc ad rem conferunt: languente enim hospitij domino, quem nos libenter hospitatorem dicimus, qui Græcè plerunq; est οἰκοδεσπότης, necesse est illum quoq; ipsum hospitio qui accipitur tristari: afficietur enim animo ob infirmum ac malum hospitatoris sui habitum. Quo circa non ipsæ tantum aduertendæ sunt maleficæ, quo uidelicet hospitio accipiantur ac signo, & quo etiam ab hospitatore, uerum etiã qualis tunc sit hospitatoris, ac signi ipsius domini status atq; collocatio. Cũ primis etiam attendendum, num stellæ ipsæ sint oriẽtales an occidentales,

matutinæ

matutinæ an uespertinæ, incedant recto an retrouersu gradu, primam ne an secundam forte stationẽ faciant. Hæc nanque plurimum ad mali tum magnitudinem, tum etiam ad diuersum faciunt illius habitum. Qualia uero hæc sint, exemplis configurationibusq; ante oculos positis aperiendum est: Etsi cum de morbo comitiali insaniaq; supra disseruimus, satis multa uideri possunt esse à nobis hac in parte tradita.

De configurationibus facientibus morbum comitialem. Cap. II.

VNa igitur in horoscopo collocata, si Mercurium in occasu aduersum se atque horoscopum constitutum uiderit, morbum comitialem ei qui tunc nascetur portendit, ad hæc illum ipsum fatuum futurum, atq; ingenio crasso. Hæc quidem figura solam habet Lunæ Mercurijq; considerationem, maleficarum uero stellarũ nullam. Itaque morbum tantum comitialem ingenerat, cuius ea causa est, quòd Mercurius cum sit in occasu positus, hoc est in loco qui aduersatur horoscopo, & Lunam & horoscopum irradiatione sua lacessit, Lunaq; Mercurij aduersis radijs lacessita, horoscopum quoq; ipsum corrumpit, uexatq; multo pernitiosius. Qua è re innuitur cerebrum, cui Luna præsidet, itemq; humores, qui corporis concretionem ipsam constituunt, immoderatius exagitandos. Qua ex immoderatione atque exagitatu, de nimiaq; humidi superfluentia, cuius Luna excitatrix est, morbus ipse comitialis gignetur. Etenim Mercurius morbo huic generando quammaxime idoneus est, quodq; ipse Mercurius septimo à loco malitiam contrahit, hostiliterq; à Luna percutitur, ita quidem humor ille, cui ipse præsidet, obtunditur, à quo etiam ratio ipsa suggeritur, ut ingenij acumine obtuso, natus ille futurus sit fatuus ac bardus. Eundem morbum animiq; siue fatuitatem, siue obtorpescentiam, proculdubio indecentiorẽ pariet Luna in horoscopo constituta, si ab occasu aduersum se Saturnum simul ac Mercurium sæuientes conspicata fuerit. Saturnus enim humido illi superfluenti magnum adijciet cumulum, morbumq; ipsum multo grauiorem reddet, Mercurium uero sic obtundet, ac refrigerabit, ut nati illius animus torpore capiatur. His è figuris aperte cernitur, quid Luna Mercuriusq; male collocati, horoscopumq; uexantes afferant tum animo, tum corpori mali ac uitij. Videamus nunc quid domicilia ipsa præsent etiã mali, & in quo etiam mali genere. Luna in horoscopo partiliter posita, si Saturnum ab occasu minitantẽ uiderit, aut è quadrangulo hostiliter ferientem, Mars uero ac Mercurius è tropico simul signo Saturnũ quomodocunq; percusserint, non morbum modò comitialem afferet, uerum etiam insaniam. Ex hac configuratione Luna, Saturnus ac Mer

curius comitialem solum uidentur morbum, fatuitatemq; illam, de qua diximus, ingeneraturi. Mars uero Mercurio copulatus, rabiemq; illi inurens suam, furorem etiã meditatur, mutuatus uires tropico à signo. Cuius, ut toties dictum est, maxima est prærogatiua. Si enim fuerit signum ipsum Cancer, ad prærogatiuæ ius illud quoq; accedet, ut Lunæ domum, ut Iouis inficiat altitudinem, ut ab oppositis ipse qualitatibus, atq; ab antiparistasi uehementius efferuescat: Sin Capricornus, ut ab altitudine foueatur sua, ac Saturni domum insessu exagitet, exagiteturq; ab illa infectus hospitatoris ipsius hospitijq; ueneno. Erit autem morbus ipse incurabilis, ni forte uenientem ad se Lunã Iupiter excipiat, Martemq; irradiatione sua locoq; è superiore temperet. Quoniã autem uitio è cerebri, redundantiq; eius humectatione caduci fiunt, & qui dicuntur Lunatici, sæpenumero nulla habita Mercurij ratione, corrupta Lunæ uis à Solis aspectu maleficarũq; peruerso obtutu comitialem inducit morbum, suffragio tantum domesticæ hospitalitatis, ut si Luna ipsa collocetur in Piscibus, hiq; cœli culmen obtineant, Sol autem ad ortum constituatur in Geminis, Saturnus ad occasum in Sagittario, ad imum Mars cardinem in Virgine. Vides signa omnia bicorporea atq; humana, quæ tũ Iouis sunt, tum Mercurij domicilia, insessu partim maleficarum infici, partim quadrangulatione, aut oppositione tum luminarium, tum maleficarum. Itaq; configuratione ex hac tam pernitiosa & ualida, humores ipsi, quibus corpus nati ipsius coagmẽtatur, in cuius genitura hæc contigerint, tam male quidem, incompositeq; fermentantur, uti uitiato cerebro, uitietur & animalitas. Quæ quanquam huiusmodi sunt, ut de Mercurio nulla fiat mentio, tamen Mercurij ipsius & domus utraq;, & altitudo pariter corrumpuntur, hoc est Gemini, & Virgo, alterum horoscopans signum, alterũ in imo cardinans. Ad declarandam etiam signorum ac domiciliorum uim, hoc quoq; addemus, Luna ac Mercurio prætermissis. Vbi Sol partiliter horoscopabit in altero è Martis domicilijs constitutus, si locus etiã fortunæ in alterutra Martis domo repertus fuerit, Mars autẽ ipse in quarto constituatur loco, hoc est cœlo in imo, natum insanũ efficiet. Hæc autem configuratio, cœliq; positura diligẽtius considerandæ est. Cum enim duo sint Martis hospitia, Scorpius atq; Aries, si constituatur Sol horoscopans in Ariete, Mars imum locum obtinebit in Cancro, pars autẽ fortunæ aut erit in Ariete, aut in Scorpio: si in Ariete, ea & exuritur à Sole, & à Marte percutitur è quadrangulo. quo fit, ut & Lunæ domus & fortunæ locus, qui est Lunæ ascendens, male à Marte habeatur, qua è re magnũ & ipsa Luna uulnus accipit: Sin fuerit fortunæ pars in Scorpio, octauũ incidet in locũ ab horoscopo, qui suapte natura nocuus est, nullaq; horoscopo societate iũgitur. Quòd si Sol horoscopauerit in Scorpio, locusq; in

eodem

eodem fortunæ inuenietur, eundem in modum & exuretur à Sole, & à Marte exagitabitur ex imo cardine, atque ab domo Saturni, id est ab Aquario. Sin fortunæ pars constituatur in Ariete, sextum incidet in locum ab horoscopo alienum, ac suapte natura pernitiosum. Itaque & fortunæ locus, qui est Lunæ horoscopus, affligetur, & nulla cum horoscopo genituræ societate copulabitur. Illud quoque animaduertendum est, cum huiusmodi configurationis genitura sit diurna, Sole quidem in horoscopo atque in Ariete constituto, si pars fortunæ fuerit in horoscopo cum Sole, Lunam quoque Soli necesse esse copulari Itaque & à Sole ea uritur, & à Marte è quadrangulo uulneratur, & Luna partis ipsius domina cum ipsa parte undique affligetur. Sin fortunæ locus statuatur in Scorpio, Sole ipso ab Ariete exurgente, Lunam necesse est in Scorpio cum ipsa fortunæ parte, octauoq; in loco reperiri. Itaque & ipsa ab orientali finitore cum parte fortunæ simul erit omnino aliena, & à Sole Marteq; hostiliter affligetur. Id quod etiam contingit, cum pars fortunæ horoscopante Sole cecideritin sextum locum, in quo Lunam quoque & ipsam necesse est constitui. Hoc igitur illud est quod ait Ptolemæus, Lunam atque Mercurium horoscopo non colligari. Quod quidem contingit quoties in sexto inuenientur, aut in octauo, aut duodecimo ab horoscopo loco genituræ tempore. Ex hac itaque figuræ explanatione fit notum & clarum quod erat prius obscurum. siquidem nullo modo apparebat Lunam in ea positione infeliciter constitui, in qua etiam uel infelicissime quidem constituatur. Vt igitur ad rem ipsam redeamus, signa quoque hac in parte uehementius ad malum conferunt, cum Martis domicilia, in quibus Sol ac fortunæ locus constituitur, domini sui suffragentur malitiæ, uiresq; ei clanculum subministrent. Sol item cum Mercurio horoscopum partiliter tenens in Martis aut Saturni domicilio morbum quoque gignit comitialem, uidelicet quia, ut dictum est, Mercurius, humorque ab illo excitus, male quidem temperabitur. ueneno enim saturnino delibutus, aut rabie martia exagitatus, concrematusq; à Sole, humidum illud cerebri male omnino inficiet. martia nanque saturninaque domicilia, in quibus cum Mercurio pariter Sol constituitur, dominorum intemperantiam in humoribus ipsis referunt, uitiosamq; illorum naturam: Quum uideamus ouum aut halij, aut cepæ, qua se gallina pauerit, saporem in cibo referre. Signa igitur suapte natura, signorumq; ipsorum domini, quid in utranque partem sanitatis aut ægritudinis, felicitatis aut infelicitatis conferant, iam uidemus.

Alia configuratio faciens comitialem. Cap. III.

AC nihilominus figuram etiam aliam subijciemus, qua traditur à Mathematicis insanum illum futurum, cuius in horoscopo Mercurius inuentus fuerit, siue Pisces horoscopēt, siue Virgo, dum tamen Saturnus ei Marsq; quadrangulentur. In hac positione primum Mercurius, qui rationi præsidet, contunditur Martis Saturniq; uerberibus: quorum alter aut è cœli culmine irradiat, alter ab imo, aut ab eodem uterq; simul cardine. Deinde quia horoscopante Virgine culminant Gemini, consistitq; in imo Sagittarius, signa humana pariter inficiuntur cuncta. Virgo enim & domus, & altitudo Mercurij ipso cum domino affliguntur à maleficis quadrangulantibus. Gemini quoq; altera eius domus, Sagittariusq; Iouis hospitium, aut ab insessu utriusq; maleficæ, aut alterum ipsorum signum ab insessione, alterum ab irradiatione quadrangula infestatur: Piscium item signum in occasu eadem ab irradiatione affligitur. Qua ratione utraq; simul, & Mercurij & Iouis afflictantur hospitia, totaq; simul bicorporeorum signorum quadrangularitas. Idem quoque eueniet, si Mercurius horoscopauerit in Piscibus, signorū situ mutato. Quā ob rem gignendam ad insaniam, tum signa ipsa natura sua, tum etiam loci (quaterna enim simul hac in configuratione cardinantur signa, atq; unà simul corrumpuntur) mirum in modum conferunt. Quod in re quoq; militari accidit, ut comparandam ad uictoriā tum miles ipse qualis sit, tum etiā situs ac locus in quo pugnatur, maximum momentū habeant. Ex hac enim ipsa Martis, Saturni, Mercurijq; collocatione & bilis atra sic excutitur à Saturno, & à Marte rufa, ut ratio ipsa his ab excussionibus omnino labefactetur. Videamus adhuc etiam, quid locus, quid signorum natura polleat, quid item prærogatiua. Neq; enim caducus modò futurus est, uerum etiam insanus, qui in lucem ueniens Martē Saturnumq; pariter cardinē cœli aliquē tenētes habuerit in signo aut tropico, aut duplici, aut in sexto forte, aut duodecimo loco cōstitutos, dum tamen aut Lunā Solemq; partiliter coëuntes uideāt, aut Lunā ipsam pleno lumine Soli partiliter aduersantē. Examinemus obsecro positionē hanc diligētius. Si Mars Saturnusq; simul cardinētur in Cancro aut Capricorno, quæ sunt tropica, necesse est signa etiā æquinoctialia corruptū iri, ut æquinoctialia simul & tropica uno pessundentur tēpore, quatuorq; unà mūdi cardines à uiolenta & pernitiosa tum insessione, tum oppositione, aut forte quadrangulatione maleficarū stellarū, nec nō à Solis ac Lunæ exitioso habitu, quos necesse sit aut quadrāgulari maleficis ab altero æquinoctialiū signorum si coëant, aut ab utroq;, si luminaria inter se diametrentur. Et signorum igitur uires prærogatiuæq;, & locorum

corum cardinalium autoritas ad malum simul coniurant. Quòd si coniunctio hæc Saturni ac Martis sexto fuerit, aut duodecimo in loco, primum loca ipsa sunt horoscopo inconnexa, penitusq; ab eo aliena, ac suapte natura peruersa, & nocua, irritantq; maleficas stellas ibidem collocatas ad exitium inferendum nato. Dehinc si diametrentur Soli, Lunæq; coëuntibus, necesse est alteras ex eis stellas in sexto, alteras duodecimo in loco constitui, configurationem profecto omni è parte grauem, atque erumnosam. Sin luminaria quadrangulentur inter se, nonum ab altero cœli locum, ab altero tertium occupari necessum est, ubi coniunctio maleficarum fuerit in sexto: cum autem in duodecimo, pari modo & tertium, & nonum locum, quæ duo loca horoscopo maxime cognata, & corrumpuntur à maleficis è quadrangulo, & male habentur à luminaribus ibidem afflictis, eodem etiam à quadrangulo, uel à coitu ipso, si copulatio amborum contigerit, uel ab oppositione, si contigerit plenilunium. Paratur igitur & cerebro, & rationi exitium à locorum situ, depraua taq; natura. Nec uero octauus ab his malis immunis est locus, in quo si contingat Solem Lunamq; coire in genitura, aut Lunã ipsam pleno lumine soli aduersari, maleficis pariter aut diametrantibus eisdem, aut quadrangulantibus, imò partiliq; è loco, nimirum natus ille mente capietur, tametsi fieri poterit pro natura signi, ut aut gibber fiat, aut hydropicus, aut phthisi sit laboraturus. Si enim coëuntibus octauo in loco luminaribus malefice diametrentur, inficiẽt insessu suo anaphoram, id est secundum ab ascendente cœli parte locum, qui aduersatur octauo. Sin erit plenilunium, ratione hac Sol cum maleficis secundo in loco reperietur. Quocirca tanto deterius utraq; inficientur loca. Quòd si quadrangulabuntur maleficæ luminaribus aut simul positis, aut è regione, hoc pacto necesse est aut undecimum ab ijs cœli locum, aut quintum insideri: quo fit ut loca hæc & à superiori hemisphærio, & ab inferiori tam arcto uinculo horoscopo coniuncta, pernitiosissime affligantur. Loca igitur cœli ad futurũ insaniæ malum, & ad alia item uitia, ut libris superioribus est ostensum, mirificum in modum per se conferunt, quod à mathematico summa est cura pensitandum.

De statu & conditione planetarum cum Sole considerandis. Cap. IIII.

VId igitur signa, quid loca ipsa cõferant, iam docuimus, quid item Lunæ, Mercurijq; in ijs quæ ad insaniam ac furorẽ pertinent collocationes. Nunc ad planetarum status, conditionesq; explicandas transeamus. Est autem conditio (ut dictum est) alia diurna, alia è contrario nocturna, utraq; autem pollet plu-

rimum tum in maleficarum, tum etiam in beneficarum stellarum effectionibus. Nanque in configuratione comitialis morbi à Ptolemæo posita, Mars quidem nocturnus, Saturnus uero diurnus morbum ipsum excusciant: contrà uero diurnus quidem Mars, Saturnus autem nocturnus furorem, quæq; ab eo suo nomine μανιακὴ uocatur passio. In ijs enim quæ temporalem ad conditionem spectant, uel mirifice ualent contrarij conatus, quæq; à Peripateticis dicta est ἀντιπαξίσασις. Status autem planetarum hac in consideratione sic est iudicandus, ut stellæ ipsæ aut orientales sint, aut occidentales, aut matutinæ, aut uespertinæ, & (ut Ptolemæi uerbis utamur) aut ἕωαι, aut ἑσπερίαι, rectóne cursu incedant, an retrogrado, an forte cursum sistant, primamq; aut secundam stationẽ faciant: rursumq; aut orientales, matutinæq;, aut simul matutinæ atq; occidẽtales: seu uespertinæ simul & occidentales, aut uespertinæ & orientales. Dicuntur autem matutinari, cum antè suos ab ortu radios efferunt, quàm Sol ipse oriatur: contrà uespertinari, cum occasum post Solem ostentant sese. Matutinantur igitur, cum non multis quidem gradibus orientali in parte, mane quidem ante lucis expergiscuntur exortum, quo tempore & recto incedunt cursu, & tanquam adolescentes exultant: contrà uespertinantur, cum occaso Sole illum secutæ radios suos exerunt imbelles quidem, & penè iam senescentes. Vtq; de Saturno, Ioue, & Marte seorsum à Venere, Mercurioq; habeatur sermo, ubi tribus Sol signis digressus ipse ab eis fuerit, hæ sub mediam noctem ab oriente radiare iam incipiunt, quadrangulariter illum intuentes, oriente autem Sole culminant, quo tempore etiam pollent plurimum, propter cardinem progressionisq; rectitudinem, Solisq; ob quadrangulationẽ male conciliantur. Quæ res hac in consideratione diligenter aduertenda est. Eædem stellæ ubi centum uiginti Sol gradus, hoc est signa quatuor digressus ab eisdem fuerit, ipsi illi triangulantes sistunt iam cursus, ac Sole exoriente præcipitatæ iam è cœli culmine, nonum permeant locum: Sole uero occidente tertium. Hic itaque status magno etiam in genituris studio circunspectandus est: Post hanc enim stationem & repedant obuerso motu, & non multò pòst Soli diametrantur ab opposito loco, ut exoriente quidem Sole occasum tenent, occidente uero horoscopum. quod huiusmodi quidem est. Fuerit Solis Saturniq; copulatio in Arietis initio, nõ multis pòst diebus quasi Saturnus à Solis radijs liber fuerit, mane ante Solis exortum conspici iam incipiet, eaq; matutinatio matutino ab exortu dicta. Itaque ubi ad Taurum Sol transierit, eo exoriente Saturnus duodecimo in loco ab horoscopo reperietur, qui locus est in horoscopi declinatione positus, suapte quidem natura pernitiosus, atque ad malum procliuis: occidente uero Sole Saturnus reperietur in sexto, qui lo

cus

cus exitiosus item est, atq; ad malefaciendum idoneus. At culminante Sole Saturnus nonum tenebit locũ, declinantem quidẽ ab culmine, respicientem tamen horoscopum triangulariter. Eodem autẽ Sole imum, hoc est quartum locũ permeante, Saturnus occupabit tertium, qui horoscopũ sexangulariter intuetur amico & grato aspectu. Pòst uero ubi ad Geminos Sol transierit, eo exoriente Saturnus undecimũ peragrabit locũ, qui & succedit culmini, & sexangulariter intuetur ascendentẽ locũ. Sole aũt occidente Saturnus quintũ permeabit locũ, qui horoscopantem partem triangulariter irradiat. Eodem quoq; Sole cœli medium peragrante, Saturnus in octauo atq; in Ariete constitutus reperietur, qui locus qualis sit, abũde iam dictum est. Idẽ Saturnus comperietur in secũdo, hoc est in ascendentis signi successione, qui & ipse piger est, atq; ab horoscopo alienus, ubi Sol in Geminis positus imũ cœli cardinem permeabit. Postquã autem præteritis Geminis Sol ad Cancrũ iam peruenit, quocunq; in cardine Sol constituatur, necesse est Saturnũ quoq; cardinari in antecedente cœli angulo: nã exoriente Sole culminabit: culminante autẽ illo ipse occidet: rursum occidente Sole imũ ipse tenebit cardinẽ, quo rursum à Sole occupato ipse ab horoscopo sese exeret, inuicẽq; hoc in statu ubiq; quadrangulantur. At cũ ad Leonem Sol transierit, quo è loco Saturnũ triangulariter cõspicit, pedetentim Saturnus ipse progrediens gradũ sistet, incipietq; stationari. Neq; enim uerebimur (uti ab horoscopo Græco uerbo deductũ est horoscopo, & à culmine ac turbine & turbino & culmino) sic à cardine cardinor, atq; à statione stationor deducere. Quo tẽpore exoriente Sole in Leone, Saturnus in Ariete positus, per nonũ feretur locum, culminante feretur per sextũ. Rursum Sole occidente in Leone, per tertium. In eodem item Leone Sole imum cœli locum tenente, Saturnus tenebit duodecimum. Itaque Sole gradatim procedente ad Virginem repedare Saturnus incipit, Soleq; horoscopante è Virgine, Saturnus in octauo constituitur. Idẽ culminante Sole quintum permeat, eodem illo occidente in Virgine Saturnus secundo in loco residet, at residebit in undecimo Sole imum locum peragrante. Cum in Libra Sol peruenerit, Saturnus ei opponetur ab oriente repedans altitudini suæ aduersus, nec multum aberit temporis cum occidente iam Sole, Saturnus apparere uesperi ab exortu incipiet, quæ apparitio ab ipso tempore dicta est uespertina, ut à mane matutina. Quo fit, ut Sole iam occaso, Saturnus appareat ab exortu. At ubi in Scorpium se Sol transtulerit, quoniam Sole in Scorpio occidente Taurus ascendit ab exortu, Saturnus duodecimo tunc reperitur in loco, è quo apparere uesperi euidentius incipit. Quæ re uespertinatio est dicta: & qui antea Solẽ præcedebat, nunc sequitur, situsq; eius mutatur, & itẽ loca. nam in Scorpio culminante Sole, Sa-

turnus Arietem permeans tertium locum poſsidet: poſsidebit uero ſextum horoſcopante Sole, nonum autem Sole imum cœlum peragrante, duodecimum occidente. At ubi Sol ad Sagittarium profectus occidet, aſcendet ab undecimo Saturnus, paulatimq; repedationem iam ſiſtet, donec in Capricornũ Sol perlatus, ipſe directo curſu occidẽte iam Sole culminet in Ariete. Sole autem profecto in Aquarium, eoq; occidente, ac ſub terras iam delato, Saturnus ueſperi nonum obtinet locum, tranſitq; pedetentim ad occidentalem regionem: quiq; prius fuerat matutinus atq; orientalis, cum undecimum ac duodecimum retinebat locum, maneq; conſpiciebatur, nunc nonum atq; octauum peragrans ueſpertinus efficitur atq; occidentalis. Sole autem profecto in Piſces, eoq; occidente, ac ſub terras iam delato, Saturnus ueſperi in occidua regione, octauoq; in loco cõſpicitur, donec Sol in Arietem tranſgreſſus radijs illum ſuis occulat. Quod aũt de Saturno dictũ eſt, idem in Ioue ac Marte ſequendũ, habita motus tamen ratione, præſertim in Marte, cuius curſus eſt celerior. Hoc eſt igitur quod ab antiquis præcipitur, ſtatum planetarũ cum Sole animaduertendũ eſſe. Veneris aũt ac Mercurij ratio aliter habenda eſt, quippe cũ curſus ita ſuos peragrant, ut cum Sole iũgi nulla quidẽ configuratione queant, præter quàm ſola copulatione, dũ eodẽ in ſigno unà corporatim coniunguntur. Quocirca quod de Saturno dictũ eſt, nequeũt Sole horoſcopante culminare, aut culminante illo, ipſi ab ortu exurgere: quando nec Mercurius integro à Sole ſigno digreditur, nec duobus integris ſignis Venus. De quibus ita quidẽ præcipiẽdũ uidetur. Cum Mercurij ac Veneris ſtellæ eodẽ tempore & matutinæ fuerint & orientales, non aliter pollere ſuis in effectionibus, quàm ſi horoſcoparent: cumq; matutinam ſtationem faciunt, perinde ac ſi culminarent: ubi uero curſum direxere, æquè ac ſi in occiduo cardine. at cum ſtatio earum ueſpertina fuerit, ac ſi in imo cœli loco conſtitutæ eſſent. Venus igitur ac Mercurius matutinari tum dicuntur, cum ante Solem mane apparent in regione orientali: ueſpertinari uero, quoties ueſperi poſt Solis occaſum apparent in occidentali. Erraticæ tamen omnes eſſe poſſunt & in regione occidentali etiam matutinæ, & in orientali ueſpertinæ, ut cũ Sole culminante in Ariete, matutina ſtella, id eſt Solem antegreſſa reperitur in occidua regione, hoc eſt in Aquario aut Piſcibus, & cum ipſa ueſpertina Sole culminante exiſtens in orientali tractu Taurum peragrat, aut Geminos. Quam ob rem erraticarum ſtatus omnium erga Solem ſumma eſt diligentia obſeruandus, ut quantæ cuiuſque uires ſint, exactius intelligatur: ſiquidem pro ſtatu ipſo effectiones futuræ ſunt aut ualidæ, aut imbecilles, aut mediocres. Huic obſeruationi illud quoque accedat, ut hoſpitatorum ratio habeatur, ſit'ne unus idemq; hoſpitator Lunæ ac Mercurij, an duo ac diuerſi: qualis

etiam

etiam sit utriusq; status in cœlo atq; habitus, qualis etiam natura atq; conditio: Malefica ne an benefica stella, diurna ne an nocturna hospitium præbeat. In hac autem ipsa conquisitione, quid item situs posit, docent Ptolemæi uerba, cum ait insanabiles futuros morbos, ubi beneficæ occiduæ quidem fuerint, maleficæ uero ab ortu cardinabuntur: contrà ad sanitatẽ tandem redigendos, ubi ad ortum beneficæ, ad occasum autem maleficæ collocabuntur. Ab ortu enim quæ beneficæ sunt, uires longè ad beneficiendum ampliores suscipiunt, quæ sua ipsarum natura est. E contrario insita illis beneficentia à loci septimi, horoscopoq; aduersantis malignitate aut omnino eripitur, aut magna è parte imminuitur.

De uitijs, siue ægritudinibus intemperantiæ. Cap. V.

Diximus de grauioribus illis, maximeq; infestantibus animum ægritudinibus, &, ut Græci dicunt, passionibus, quæ ratione subuersa hominem ipsum de statu suo deijciunt. Itaque ijs de ægritudinibus dicendum relinquitur, quæ hominem intemperantem reddunt, quæ moralis quidem pars est. Loquimur autem hoc in loco ea de parte temperantiæ, quæ ad libidinem spectat atq; ad rerum Veneris usum, quæ affectio homini cum belluis est communis, perq; eam mares discernuntur à fœminis. Quocirca ut in comitiali morbo, itemq; in furore prima ratio habenda est Lunæ, ac Mercurij, sic in hac consideratione Lunæ ac Solis, itemq; Martis ac Veneris. utraq; enim stella appetitioni huic præposita est, excitandæq; libidini. Quinetiam ad augendam insaniam, furoremq; exagitandum, ut momentum tantum habent maleficæ, quantum iam ostensum est, sic Martis ac Veneris stellæ ad intemperantiã hanc nobilitandã pro natura etiam signorum quæ ipsæ permeant genituræ tempore, humani sexus, itemq; signorũ ipsorum ratione habita. Quam ob rem hæ quoq; ad ea quæ à Sole decernuntur ac Luna diligentißime obseruandæ sunt, si quid aut addant, aut forte demant. Luna igitur ac Sol cum sensibus præsideant, atq; animalitati, quippe quorũ opera materia una coëat ac forma, sintq; res Veneris homini cum belluis cõmunes, utriusq; nimirũ status tẽperantiã intẽperantiamq; qualis futura est, indicabit. In ipsa aũt intẽperantia duplici peccatur uia, & cũ uiri, mulieres q; suo in genere ac sexu exercebunt res Veneris & uehementius & indecentius quàm par est: & cum ad ea mulieres transierint, quæ sunt mariũ, mares uerò ad ea quæ mulierum. Vtriusque autem excessus Sol, Lunaq; pro natura signi, in quo reperientur, indicium facient, Venus item ac Mars sua pro constitutione. Signa itaq; masculina indicant ea quæ uirorum sunt, fœminina quæ mulierum. Status quoq; ac situs obseruandi tam signorũ quàm etiam planeta-

rũ, ut paulò antè in ijs quæ de insania dicta sunt, iam ostendimus. Quoties igitur in uiri genitura Sol ac Luna duntaxat soli uterq; per ea ferentur signa, quæ masculinæ sunt conditionis, is à natura quæ marium est propria, minime recedet, ea quidem in usu rerum Veneris exercens quæ uirilia quidẽ sunt, uirilis q; naturæ lex permittat, quorũ in usu erit fortasse etiã uirilior. Quòd si utraq; Veneris ac Martis stella, aut his è stellis altera masculinis in signis reperta fuerit, idem hic natus eò usq; lasciuiet, incendeturq; à libidine, uti trãsgressus honesti ac legitimi fines, effectusq; in hoc ipso in continentior, & mœchetur frequentius, & ad obscœna infamiaq; rapiatur, ita quidem ad illa procliuis ac promptus, ut pudoris modestiæq; penè oblitus uideatur. In mulieris autem genitura, ubi hæc ipsa luminaria masculinis in signis sola quidem reperientur, futuram illam portendunt & incontinentem, & in rerum Veneris usu nimiam, ut relicto fortasse usu fœmineo, transitura sit ad ea quæ potius sunt mariũ. Itaq; procax erit & petulans, & oculis, gestuq; præ se feret libidinem, uersabiturq; in ganeis, incensa adeò, ut fœmineo abutens sexu etiam crissetur. Si & illud quoq; accesserit, uti Mars Venusq; similiter uterq; masculescant, aut eorum saltem alter. Hoc tamen intererit, quòd si Venus sola masculescet, hæc ipsa clancu lum à muliere patrabuntur. Sin Mars calcato pudore, ruptisq; naturalis legis uinculis, seq;, pudicitiamq; suam ita diuulgabit, ut nullã famæ suæ rationem habere prorsus intelligatur. Verum hac ipsa de re melius fortasse consultum fuisset, nihil omnino dixisse, propter rei turpitudinem. Secus autem in uiri, aut mulieris genitura, luminaria ubi fœmineis in signis ambo reperientur, mulier enim sexus sui naturam sequetur ac legẽ, qua in re forte erit blandiuscula ac lasciuior. At uir prolabetur ad ea potius, quæ præter naturam sunt, atq; ad muliebria patienda, mollis ipse, atq; effœminatis moribus. Quòd si Venus quoq; & ipsa fœmineo in signo constituta fuerit, eadem hæc mulier & adultera erit, & pudicitiam habebit in propatulo suam: &, ut inquit Salustius, uiros petet sæpius, quàm ut petatur à uiris, ad obscœnos atq; illegitimos Veneris usus ubiq; prompta ac parata: omni denique flagitij genere hac in parte cooperta. Vir autem cinædus ac pathicus futurus est, quiq; mulieris munus obeat in abutendo sexu, clanculum tamen, ac furtim. Sin uero & Mars fœmineo constituetur in signo, accedens socius & ipse luminaribus, uterque pariter & uir & mulier præter sexus ac naturæ legem impudentißime, audacißimeq; sese habebunt & in agendo & in patiendo, palàm etiam ob ea expositi hominum conuicijs, ac maledicentiæ, ut qui omni è parte impuri, contaminatiq; habeantur. Erunt autem hæc ipsa flagitia magis minus'ue opprobriosa, ac diuulgata pro statu Veneris ac Martis tum orientali matutinoq;, tum occidentali, ac uesper-

ac uespertino. Siquidem ambæ stellæ orientales ubi fuerint ac matutinæ, uirilem ad usum, eiusq; diuulgationem permultum adijcient, fœdioremq; inurent notam, & abutendo masculino sexu, & contemnenda fama. Occidentales uero ac uespertinæ in ijs quæ mulierum sunt, quæq; fœminei coitus, ac secundum naturam, compressius tamen atque occultius idem hoc præstabunt. Omnino autẽ hœoæ Martis configurationes diuulgant, uespertinæ potius occulunt. His aũt in hunc modum se habentibus Saturnus quoq; si se illis accõmodauerit, atq; addiderit sociũ, ad impudentiam impuritatemq;, atq; ad augendũ opprobriũ operam suã conferet in utranq; partẽ & agẽdi & patiendi. Contrà Iupiter moderabitur, modũ illis, cautionemq; adhibendã suadens, atq; pudoris admonens. At Mercurius & coëundi impuritatẽ, usumq; promiscuũ ac frequentem, & famæ contemptũ, cõtaminationisq; labem omnẽ adaugebit, quippe qui & uirum & mulierem Veneris in rebus tum pudoris honestatisq;, tũ rationis immemores faciet, agetq; transuersos, dũ ipse in illorũ mores applicationesq; cõuertitur. In omni aũt hac consideratione momenti plurimũ habet tum institutio in ætate tenera qualis fuerit, tũ leges ac mores patrij, habitusq; regionũ. Nã apud Turcas exoleta prostant publice. apud Germanos in id flagitiũ mortẽ animaduertitur. ciuiles etiam in bene constitutis Italiæ urbibus leges, iuraq; municipalia igne plerunq; puniunt. Hodie apud Tartaros, gentesq; illas Scythicas, inuenias mulieres quæ ex uoto prostẽt. Apud Romanos capitale olim fuit, militem Romanum in castris secum habere mulierẽ. Neq; ignotũ est, quæ apud Græcos esset cohors sacra. Quid apud Mauros minus aut turpe, aut uetitũ, quàm habere puerũ in delitijs? At puellæ Christianæ quæ deo initiantur uirginitatẽ uouent. Itaq; patrij mores ad hæc ipsa uitia uel coërcenda, uel fouenda plurimum etiam cõferunt. His hunc in modum explicatis, nõ pigebit, quasi exempli gratia, maiorum obseruationes quasdam, quo notiora quæ iam dicta sunt fiant, carptim referre. Eæ autem sunt huiusmodi. Futuras quidẽ meretrices, atq; infames mulieres eas, quarũ in genituris Martẽ, Lunamq; uno in cardine, ijsdẽ quoq; in partibus, cumq; his simul Venerẽ ac Mercuriũ cõstitutos, Saturnus summo è cœli cardine aduersans despexerit. Prostituent itẽ corpus, & (ut Maternus inquit) pudorẽ nundinabuntur, quæ in lucẽ uenientes fœminæ & partiliter, & ijsdẽ simul in partibus Martẽ, Venerem ac Saturnũ culminantes habuerint, accedente his Mercurij testimonio atq; cõsensu. Nec pudori suo parcent, nec famæ futuræ sunt satis studiosæ, quæ Martẽ, Venerẽ ac Mercuriũ, cumq; his Lunã pariter in solstitialibus habuerint signis, aut quadrangula sese radiatione ferientes: quæ quadrangulatio ubi contigerit, necesse est signa quoq; æquinoctialia labe hac infici. Erũt illæ quoq; & libidinosæ, et intẽperãtes

admodum, quibus nascentibus Saturnus & Venus matutino in ortu inuenientur: contrà Mars in uespertino, aut quadrangulans illis, aut è regione aduersans, si illud quoq; accesserit, ut masculinis omnes constituãtur in signis. Vendet simul & pudorem & corpus mulier ea, in cuius genitura Saturnus & Mars fœminino in signo horoscopantes sibi ab occasu fœminino q; è signo Venerem ac Mercuriũ aduersantes conspicabuntur, aut Mars ac Saturnus simul, ut dictum est, culminantes Venerem uidebunt ac Mercurium in imo cœli cardine colluctari. Eadem hæc natalis cõfiguratio si uirilis fuerit, cinædum illum futurũ decernet, uitioq; ex hoc infamem. Erũt πρίβάδες Græco nomine, crissabunturq; quoties qua mulieres hora nascẽtur, fueritq; nocturnũ tẽpus, Venus Marsq; unà tropicis, squamosis ue in signis positi, atq; occasum, id est septimam ab horoscopo regionẽ tenentes, Saturnum aut quadrangulantem ipsis, aut opposita è regione aduersantem cõspexerint, aut si unà tres simul eodem in occasu coiuerint. Eo autem tetrius futurum est uitium, si coitus iste in Ariete fuerit, aut Capricorno, quæ signa & masculini sunt sexus, & alterum Martis, alterum Saturni domicilium. cum etiam in altero extollatur Mars, deprimatur in altero Saturnus. Futuri sunt masculini sexus abusores, puerorumq; capientur amoribus, in quorum genituris Mercurius ac Mars simul ac partiliter quidem, ijsdemq; in signi momentis, præsertim si alienũ id fuerit, collocabũtur. habet enim Mercurius puerorum significationem. Eodem quoque inquinabuntur uitio, in quorum genituris Venus in domo Mercurij reperta fuerit, Mercurius uero ipse abiecte collocatus in sexto, aut octauo, aut duodecimo loco, aut forte in ascendentis signi successione. Idem quoq; Mercurius masculino in signo, atq; in cardine constitutus in pueros excitabit adeò natum illum, in cuius natali configuratione coniugij locus in Mercurij ipsius domum partiliter inciderit, ut uix unquam fœminini coitus cupiditate capiatur. Erunt eodem quoque morbo corrupti, qui in lucem prodeuntes, Martem, Mercuriumq; in deiectis ob horoscopo locis habuerint: ea quidẽ ratione, ut alter alterius accipiatur hospitio, aut ut Aries, Scorpius ue utrunque simul accipiat. Mars igitur cum sit libidinosus, Mercurius uero puerorum curator, genus hoc libidinis hac è commixtione exuscitant. Euadent adulteri & uir & mulier, in cuius genitura Mars & Venus pariter septimum ab horoscopo tenuerint locum, aut si Venus in finibus Martis, Mars uero in finibus Veneris positi quacunq; se radiatione respexerint. Quibus si Mercurius ab opposito, aut quadrangulo se è loco obiecerit, exæquatis quidem partibus, nimirum in adulterio decernit deprehendendos. Quoties Venus cum Marte pariter ac Saturno, atq; in Saturni ipsius domicilio posita occasum tenuerit, & mulierem quæ tunc nascetur,

naſcetur, ad publicandum corpus ſuum impellet, & uirum ad impuros marium coitus, qui ue meretricē forte, aut infamem matrimonio ſibi iungat. Hæ autem locorum conſtitutiones ſignorum conditiones ac qualitates, erraticarumq; mixturæ cōmotionibus, atq; exagitationibus ſuis mentem ſic uerſabunt, ut animū ac uoluntatem ad ſe trahant, impellantq; ad obſcœna, atq; flagitioſa, cōcubitusq; nefarios. Futuri autem molles ſunt ac cinædi, qui genituræ tempore Venerem, Martem ac Saturnum ſimul in deiectis habuerint ab horoſcopo locis, fœmininisq; in ſignis collocatos. Qua in collocatione ſi contigerit Venerem meliuſcule ſe habere, clanculum uitiū ipſum patrabitur. Eadem Venus fœminino in ſigno, ſeptimoq; ab horoſcopo in loco cum Saturno ſimul poſita, mares decernit cinædos, ſi Mars, ſi Sol, ſi Iupiter ac Luna, ſi unà hi omnes per deiecta ab horoſcopo ferantur loca. Qua in configuratione ſi Iouem cōtigerit, reliquis ita ut dictum eſt, conſtitutis, aut horoſcopum tenere, aut culminare in edito, hæc ipſa mollities & autoritatem illis comparabit apud principes uiros, & munerum adminiſtrationem & gratiam. quando uitium hoc ferè in principum illuſtratur aulis, quibus amplas quoque diuitias adijciet Luna, ſi reliquis cum Ioue ſimul erraticis, deiectis in locis agentibus, ipſa aut horoſcopabit ſola, aut culminabit. Et illi quoq; futuri ſunt cinædi, tamen haud diuulgati, in quorum genituris Venus ac Mars fœmininis in ſignis conſtituti, aut è quadrangulo, aut oppoſito è loco ſe impugnabunt. Eadem labe afficientur, in quorum genituris Venus cū Mercurio in Martis, aut Saturni domo reperta & Martem ipſa, & Saturnum hoſpitio ſuo accipiet, quemadmodum & ipſa mutuo accipitur. Fœdabuntur eadem quoque nota, non tamen palàm & peruulgatè, quorum horoſcopus fœmininum fuerit ſignum, ipſa autem Venus cum Saturno pariter aut radijs occuletur Solis, aut inuicem quadrangulabuntur, Luna ipſa fœminino in ſigno cōſtituta. Quod ſi Venus, Saturnusq; matutinum facient exortum, nota ipſa futura eſt publica, atq; eò uulgatior, ſi ueſpertino ab exortu Mars aut quadrangulabitur illis, aut diametrabitur. Laborabunt eodem etiā morbo, in quorum naſcentium occaſu Venus, Saturnusq; ſimul conſtituti Lunam è quadrangulo percuſſerint, aut in Arietis facie, aut Leonis conſtitutam, aut forte in Tauri facie, ſeu Capricorni. Eadem item mollitie afficiet Venus in Tauro, Leone ue, ſeu in Virgine, aut Capricorno poſita, ſi à Marte tamen ac Saturno qualicunq; fuerit radiatione conſpecta. Idem quoq; Venus efficiet in ſeptimo ab horoſcopo loco poſita, ſuis quidem in finibus, dum tamen nocturna in genitura Luna duodecimum, aut ſextum peragret locum, in diurna uero Sol, atq; in Veneris ipſius finibus cōſtitutus. Idē hoc Venus patrabit, quoties genituræ dominatum ſortita, fœmininoq; in ſigno cū Marte collocata deiectos ab horoſcopo

locos tenuerit, atq; à Saturno masculinũ signum tenente quadrato feriatur aspectu, si & illud quoq; accesserit, ut Luna etiam per deiecta feratur cœli loca. Et animum simul & corpus fœdabunt libidinis impuritate Venus, Saturnus, & Luna pariter occasum sortientes, si Mars imo illis è cardine radios suos impegerit. Quòd si Iupiter & illis ad occasum, & huic ad imum quadrangulabitur, ad cætera impuritatis opprobria illud addet, ut puerorum quoq; natus ille contaminetur amoribus, ac nihilominus propter locũ septimũ uxorem quoq; impurè cognoscet: adeò ex omni parte & mollis & impurus futurus est, atq; à uiro alienus. Tradit Iulius Maternus, omnẽ libidinis impuritatem, postremamq; corporis effœminationẽ, decerni à Luna Soleq; in Capricorno, aut Tauro, aut in Ariete Leonéue ita quidem horoscopantibus, ut in eorum signorũ aut facie constituantur aut dorso. In omni etiã genitura Lunã in cauda Leonis inuentã, id est, in trigesima eius parte, cinædos efficere: in facie uero eiusdem Leonis, itemq; Capricorni, Arietis ac Tauri libidinosæ impuritatis genus omne decernere. Arietis autẽ ac Capricorni faciem sexta septimaq; simul pars constituunt, Tauri uero ac Leonis tertia, quarta, & quinta. Leonis itẽ & Capricorni dorsum tres simul partes constituunt, hoc est, uigesima prima, uigesima secunda, & uigesima tertia. Eiusdem Materni uerba sunt hæc. Capricorni sexta & septima pronuntur in facie: octaua, nona, & decima quæ sunt, per ordinem in ore Capricorni constituũtur. In ijs partibus quæ sunt in ore Capricorni si quis habuerit Lunam, licet illa sit beneuolarũ testimonijs adornata, impuro ore uiros faciet, muliebris libidinis labe pollutos: mulieres uero, si in his partibus habuerint Lunam, omni erunt impuritatis uitio possessæ. Hæc Maternus. Quod reliquum est, Arietis dorsum constat ex his ordine suo partibus, hoc est uigesima tertia, uigesima quarta, & uigesima quinta, Tauri uero è sexta decima ac decima septima. Labefactabit autẽ tum uiri, tum mulieris impurissimũ & os & animũ Venus cum Mercurio in decimanona Arietis parte sita. Eadem ipsa Venus in trigesima cuiuscunq; signi parte posita, si partiliter aut quadrangulabitur Lunæ, aut diametrabitur eidem: simili ratione in ultima cuiusq; signi parte posita, eandem decernit impuritatẽ, clandestinã tamen: quæ quidem futura est uulgatissima, abrupto omni pudoris freno, si domini signorũ, in quorũ postremis partibus Luna Venusq; constituuntur, qualicunq; eadem radiatione respexerint. His in configurationibus uidere licet, à Martis stella libidinis excitationẽ, à Saturno turpitudinẽ, atq; impuritatẽ coitus portendi, à Mercurio fieri utriq; additamentũ, cũ diuulgatione & infamia. Quid quòd Venus undecimũ ab horoscopo locum nacta, culminisq; in successione cũ Saturno collocata, si alterũ è domicilijs eius horoscopet, & cum eo Iupiter, Mercurius ac Luna pariter ad hos

ferantur,

ferantur, Mars uero imũ cœli cardinẽ teneat fœmínino in ſigno poſitus in-ceſtos decernit, nefariosq; concubitus cum matre nouercáue, aut cũ materteris. Cum ſororibus autem, ubi Venus in imo cardine conſtituta Lunam partiliter intuebitur in ipſo cœli culmine peragrantem. Forſitan & ſororem ſibi matrimonio iunget, atq; hoc nomine, ut poëta inquit, culpam prætexet. Itaq; diligenter admodum uidendum eſt, num Luna in ortus ſui conſiguratione feratur ad Venerem, & à quibus etiã ſtellis aſpiciatur: ex hoc enim acceſſu progreſſioneq; coëundi, uſus præpoſterus ſumma cum intemperantia infamiaq; decernitur, forſan & uiolenta atq; opprobrioſa mors. Etenim ubi Luna ſic ad Venerem feretur, uti diurna in genitura cardinem teneat, uti Mars uel culmen occupet uel occaſum, uix fiet quin inceſtum ob ipſum infamis mors contingat, ferroq; illata. Hæc autem genitura ſi fuerit mulieris, ea utinam id euitet, ne aut cũ fratre coëat, aut fratris filio, aut cũ patruo, ſiue patrui filio, aut cum priuigno, aut ex affinibus aliquo: Sin uiri, ne is aut ſororem cognoſcat, aut ſororis filiam, néue patrui uxorem, aut filij, aut priuigni, aut ne forte nouercam, aut quam pater habeat in delitijs. Quid quòd aut nouercis iungetur, aut matribus natus ille, in cuius genitura Venere ac Ioue in Saturni aut domo, aut finibus pariter conſtitutis, ipſo etiam Saturno à Ioue mutuo accepto, in eius ſeu hoſpitio, ſeu finibus Luna & Mars pariter quadrangularibus illos radijs impetiuerint. Cui configurationi ſi Mercurius quoque acceſſerit, timenda eſt aut filiæ, aut priuignæ corruptio. Forte etiam non aberit, quin filius aut matrem noſcat, aut nouercam, aut filia iungatur patri, ubi Luna cum Ioue, Saturno & Marte in domo fuerit Saturni inuenta. Et cum matre, & cum filia naturæ uidetur iura polluturus, in cuius genitura Venus, Luna, & Iupiter aut ſimul cardinabuntur, aut ipſis è cardinibus inuicem ſe diametris, quadrangulis'ue irradiationibus affligent, dum tamen Saturnus omnes pariter radiatione aliqua uerberabit. Latebit tamen facinus tam nefarium, ſi Venerem duntaxat ac Lunam Saturnus conſpicabitur. Quæ genitura ubi mulieris fuerit, ac Lunæ locum Sol ſubierit, in ea configuratione mulier hæc & patrem uidetur, & filium cognitura. Mulier & illa cum patre conſueſcet, quæ in lucem dum prodijt, Venerem in Iouis habuit finibus, in finibus uero Iouis Venerem, Martem autem utranque ſtellam è quadrangulo diametróue intuentem. Fratres & illi nefarie, polluentérque ſeſe cognoſcent, qui naſcentes Solem, Lunam, Venerem ac Iouem ſimul copulatos, aut Soli ac Lunæ coëuntibus, Venerem ac Iouem quadrangulantes ſortientur, ita tamen ut commutatis finibus, Iouis fines Venus, Veneris autem fines Iupiter poſſideat. Omnino autem Lunæ Venus in natiuitatibus aut copulata, aut quadrangulo illam contuta, nefarios decernit coitus, nec puerorum modò amo-

res, uerum qui cognationis ac sanguinis iura polluant. Præsertim ubi copulationes ipsæ quadrangulationesq; in bicorporibus signis, solstitialibus ue contingent. Non temere igitur à ueteribus traditum est, Lunam Veneremq; liuore quodam se mutuo insectari. Abhorrebunt à fœmineo coitu, quorum in natiuitatibus Venerem Saturni fines occupantem nulla penitus stella intuebitur, solam quidem, aliarumq; à stellarum omnium conspectione desertam, Luna tamen ipsa in Leone, aut Virgine, aut in Capricorno Saturni fines possidebit. Sunt autem ultimæ cuiusq; signi partes maleficis attributæ. Hæc nos ab antiquis tradita scriptoribus referimus, quæ quidem suas habẽt omnino causas: Sed nec uideri uolumus, dum rationem singulorum consectamur, detrahere obseruationi. Ipsi meminimus Florentino à prætore publice affectum supplicio fabrum lignarium, qui filiam uxoris loco plures iam annos habuisset. Intelleximus & Neapoli agẽtes annis superioribus, Panhormi in Sicilia delatam prætori à filio suo matrẽ, cum quo illa in tenebris sæpius sub alterius specie consuesset, tandemq; cognitam abominatus filius ad prætorem illam, ut dictum est, detulit. Temporibus nostris Pontificem Maximũ, secutũ fortasse Lothi exemplum, de quo Hebraicis in historijs fit mentio, filiam suam & cognouisse, & grauidam feciſſe opinio est & aulæ totius, & urbis Romæ uniuersæ. De quo tamen parcius, propter sedis Pontificiæ maiestatem, in qua tot sanctissimi sacerdotes, tanta cum integritate, &, penè dixerim, diuinitate & olim sedere, & ut mihi persuadeo, etiam sedebunt.

Libri decimitertij de rebus cœlestibus finis.

IOAN. IOVIANI PONTANI

AD PAVLVM PRASSICIVM DE REbus cœlestibus liber quartusdecimus.

PROOEMIVM.



Eneris rerum, atq; imprimis hominum, Paule Prassici, tanta quidem inter eos ipsos diuersitas, ipsiusq; diuersitatis tam multiplex item uarietas, quanquam alijs atq; alijs proficiscuntur è causis, ad cœli tamen stellarumq; aspectus, atq; ad ipsum terrarum situm sunt potissimum referendæ. Permagni enim interest, qui terrarũ tractus cui cœli tractui sint subiecti, cui etiã erraticæ stellæ: positura quoq; ipsa terræ qualis sit, quo etiã solo, natura, facie, atq; habitu prædita. Vtq; de rebus nunc taceamus alijs, effigies non solum habitusq; corporum, uerum applicationes

cationes ipsæ constitutionesq; animorum, locutio quoq; pronuntiatioq; uerborum palàm hoc faciunt. Qua in re duo etiam considerandasunt, positus ipse scilicet terræ, quo à cœli circunductu temperetur, & qualis sit eius constitutio, sit'ne situs ipse planus an montanus, humido solo an arido, frequens an à cœtu cultuq; hominum destitutus, in mediterraneis'ne an secundum mare. Hæc enim, aliaq; huiusmodi, ad quam quisq; sit artem applicaturus, plurimum momenti habent. In montibus enim sitæ regiones, saltuosisq; in locis, aut palustribus, propter ubertatẽ pastus accõmodatiores sunt gregibus atq; armentis. Itaq; plerunq; uidemus earum regionũ incolas pecuariam exercere atq; armentariã: qui apertos colles, aut plana magis incolunt loca, agro eos colendo dare operam, conserẽdis q; arboribus, aut disponendis uitibus oleis'ue: qui ad lacus aut mare habitant, piscatui & nauigationi: quibus loca obtigere steriliora, ij plerunque manuarijs dediti artibus atq; operis uitam inde sustentant, aut famulatu, aut militia, aut hinc atque illinc comportandis mercibus: quibus patria est nobilior aut opulentior, artes ij præstantiores exercent, mercaturamq; locupletiorem, &, ut Cicero ait, undiq; apportantem, moribus lautioribus, ac perurbanis instituti. Quo circa situs ipse non ille modò qui cœlum suum sequitur, sed qui eodem est sub cœli tractu positus, uariante quidem locorum ac soli natura, mores quoque & artes ut uariẽt plerunq; efficit, illudq; persæpe præstat, uti finitimæ etiã regiones propter dissimilitudinẽ positus dissimiles quoq; sequantur uitæ institutiones. Siculi propter camporum ac collium latitudinẽ pleriq; omnes, præterquam qui ad mare agunt, aratoriæ atque armentariæ sunt dediti, ut non temere diuulgatum sit, Cererem inde profectam, terræ cultum, ac serendæ frugis mortales primam docuisse, eosq; à pastu uocauisse ad aratrũ. Apuli colendis ferè tantum agris, ac faciendis messibus. Montana Peligno rum ac Marsorum oppida pascendis præcipue pecudibus, aut exercendo lanitio, atq; contexendis pannis. Alij quarum rerum terra quam incolunt est ferax, in ijs sese exercẽt, ut colendis oliuetis, atq; amygdaletis, moretis'ue ad usum atq; contextum sericorum, aut croco etiam, aut cumino, bombici'ue intenti. Nullas Nomades urbes habent, itaque palantes agunt. Scytharum item pars maxima aut pecoribus, aut rapto uiuunt. Galli Germanıq; suas quique populi sedes habent, ac certos & definitos agros. Et in ijs quidem ipsis, præter illud quod tractus ipsius propriũ est, gentiq; incolenti propemodum naturale, regionatim tamen sunt suæ cuique diuersæ ab alijs institutiones, uitæ item studia & artes, quas peculiarius sequantur, ut eæ magis uideantur à natura ipsa quàm ab electione profectæ. Dedit nomen Ichthyophagorum genti piscium in uictu usus, Struthiophagis uero è struthijs cibus, dedit Ambronibus atq; Anthropophagis, quòd carnibus uesce-

rentur humanis. Est mihi domi Aethiops seruus, qui persancte affirmet, morem illis esse, uti abactos infantes saginent, quibus saginatis pòst uescantur in cœnis lautioribus. Refert Tacitus id quod ita quidem sese habet, Britanorũ hominũ corpora uaria esse, eorumq; qui Calidoniã habitant, quòd Germaniã prospectẽt, rutilas esse comas, magnos artus, ac Germanorũ gentis similitudinẽ referre: Silures uero torto esse capillo, colorato uultu, atq; Hispanorum similes, quòd ea pars Hispaniæ sit obiecta. At qui Gallis sint proximi, eos esse Gallorum similes, quòd procurrentibus in diuersa terris, cœli positiones habitum corporibus suum dederint. Horum igitur admonuisse, ab instituto hoc nostro minime fortasse uideatur alienũ: quam ob rem distinctius ac particulatim magis de ijs post hæc disseremus. Quæ enim in uniuersum spectant, ea utpote generaliora cum primis obseruanda sunt. Nam & in urbibus bene constitutis, & in quibus lege uiuitur, publicum bonum priuati ciuis commodis antefertur.

OMne igitur hoc terræ spatium, quod æquinoctiali à cardine Solisq; ab ortu per mediterranei orbis tractum ad occasum porrenditur, atq; ab ipso occasu in septentrionem, indeq; in ortum colligitur, duabus lineis ab oriente cœli parte in occiduam protractis distinguitur, æquinoctiali uidelicet una, solstitiali altera, quæ Græco nomine est τροπικὴ. Et in æquinoctiali quidẽ linea bis anno dierũ ac noctium æqualia contingunt spatia, uere scilicet atq; autumno, in solstitiali autẽ semel, idq; æstate euenit, diem summũ ad incrementum produci, noctem uero ultimum pati detrimentum. Nam de solstitiali illa linea, quæ hiberna ac brumalis dicitur, non uidetur hac in parte præcipiendum aliquid, quando si qua sub illa est hominum habitatio, nihil ad nos attinet, nullaq; habetur eius à nobis cognitio. Tametsi ultra æquinoctialẽ lineam aliquantum terræ habitatum constat, quibus in locis umbra sic uariat, ut nunc septentrionem uersus, post autumnum scilicet, nunc in austrum æstate diuertat. Illud autem de brumali affirmare tantum possumus linea, ubi Sol ad illam accesserit, maximas inde noctes, dies cõtrà breuissimos nobis contingere. Igitur quæ gentes quæq; nationes tractum inhabitant, æquinoctiali ac solstitiali hac linea comprehensum, illæ quidem à signifero contegũtur, Solq; singulis ueris atq; æstatis diebus iter suum uarians, supra uerticem illorum capitaq; progreditur. Incolentibus uero tractum eum qui à solstitiali æstiuaq; linea uergit in septentrionalem cardinem, Sol ubiq; ac toto anno obliquus apparet, signaq; illa zodiaci orbis etiam obliqua. Nunquam enim supra caput eorũ Sol per illa incedens circunfertur, nec rectis illos radijs ferit. Peritè igitur atq; elucubrate admodũ à Lucano dictũ est.

Sed

Sed neq; in Arctoo ſedem tibi legeris orbe,
Vnde tuam uideas obliquo ſydere Romam.

Rurſus autem duos hos terræ tractus maioribus noſtris ita quidem uiſum eſt diſtinguere, uti à puncto æquinoctialis lineæ æquis quidē ac dinumeratis partibus, inter ortum atq; occaſum, ac ſub ipſum cœli medium conſtituto, lineam rectam ad cardinem ipſum ſeptentrionis ducerent, qua ducta totum hoc ſpatium ab ortu in occaſum, æquinoctialiq; linea ab auſtro diſcretum, in parteis diſtribuerunt quatuor, ſiue quadrantes eas uocare quis maluerit, ſiue quadras. Quarum duæ ita conſtitutæ ſunt, ut altera quidē à ſeptentrione atq; ab latere uergat in ortū, altera uero latere ab altero in occaſum: cum è duabus reliquis altera in meridiem ab occaſu ſeſe diffundat, altera uero ab ortu.

De ſeptem climatibus. Cap. I.

RVrſus latitudinem hanc omnem, de qua diximus, atque hunc ipſum terrarū orbem ab æquinoctiali linea, ortu, occaſu, atq; à ſeptentrione comprehenſum alia ratione dimenſi ſunt, ſeptēq; in climata, ducto inde nomine, quòd ab æquinoctiali fiat tractu in ſeptentrionem aſcenſio, diſtinxere. Ac primum quidem ſpatium ipſum, quantum maximum ac uaſtiſsimum illud eſt, ipſamq; omnem latitudinem una ac uiginti lineis partiti ſunt, ſuam in unaquaq; diſtributione rationem ſecuti. Deinde ab ipſius æquinoctialis lineæ punctis, ideſt ab oriente atq; occidente cœli cardine, æquo digreſſi tramite, primū clima, mundiq; acclinationem ita conſtituere, horarum quoq; aduertentes ſpatia, uti cum ſub æquinoctiali ipſa linea duodecim ſemper horarum dies pariter ac noctes eſſent, primū ipſum clima eò uſq; prolatauerint, quòd maximus quidē dies tredecim integris conſtitueretur ex horis. Quodq; plaga hæc Meroën, notam ac maxime claram inſulam peruaderet, quæ à Nilo, Aſſaboraq; fluminibus efficitur, διαμεροὲς à Græcis eſt dicta: nobis eam appellare Meroënſem placet. Cæterum cum inter unumquodq; clima ab initio eius ad exitum interlabatur horæ dimidiatæ tempus, uiſum eſt priſcis autoribus, ac præſertim Ptolemæo, quo ſpatiū ipſum temporis appareat diſtinctius, interſecare ſingulas plagas ſingulis æquidiſtantibus lineis. Partitus eſt autem omne illud tempus horæ dimidiatæ in quadrantes duos, ideſt in duplices, ut hodie loquūtur, quartas. Quodq; ab æquinoctiali linea, quæ duodecim ſemper eſt horarum, fiat digreſsio ad horas tredecim, quod primæ quidem plagæ tempus eſt, interiecit lineas tres, quarum prima, æquinoctialiq; quamproxima horarum eſſet duodecim, & quartæ alterius horæ partis: ſecunda quæ eſſet horarum duodecim & alterius dimidiatæ:

tertia quæ ad horas duodecim ac dimidiatam alterã adijceret etiam quadrantem partem, qua ratione linea quarta, quæ primam claudit acclinationem, existit horarum tredecim integrarum. Capit autem æquinoctialis linea ab ortus Solaris cardine principium, qua parte Sinarum in Indico mari sinus incipit, hoc est à Satyrorum post Ichthyophagos promontorio, auream inde pertransiens Chersonesum, oppidumq; eius Calipolim ac fluuium Attaban, indeq; per Indicum excurrit pelagus, pertingitq; Tabrobanam insulam, Azanum tranans flumen, oppidumq; mediterraneum Nagadumam, & Nubartã, quod est in ora maritima: ac rursus in Indicum irrumpens mare Aethiopiam inde intersecat, dirimens interiorem Aethiopiã ab ea quæ est sub Aegyptũ, perq; Azaniam feracẽ elephantorũ regionẽ profecta, itemq; per Struthiophagos, scindit Coloan paludẽ ac Pylæos montes, secundumq; Arangam montem digressa interiorem Libyam interiore ab Aethiopia diuidit, uastamq; illam latitudinem, quæ albos gignere elephantos traditur, permeat, donec ad alios peruenit Ichthyophagos, qui sunt in ea parte Aethiopiæ, ad illumq; oceani sinum, qui ab antiquis Hesperius dictus est, regioq; ipsa Hesperia uocata, unde à Græcis ἑσπερίαι dicuntur stellæ, quæ nostra lingua sunt occiduæ aut uespertinæ. Quo sinu tempestate nostra ab Hispanis enauigato, occupatis insulis, quæ Fortunatæ olim, nũc Canariæ ab illarũ dicuntur maxima, loca permulta adaperta sunt antea quidem ignota nostris hominibus. Ab hac igitur linea digressi in septentrionẽ, orbem hunc nostrum una & uiginti (ut dictum est) lineis secuere. Primæ itaq; plagæ, & ut Græca loquamur appellatione κλίματι, tantum attribuere terrarum ac marium, quantum lineæ quatuor complectuntur, id est quousq; dies in tredecim integras excrescat horas. Ac prima quidem & secunda linea attribuenda fortasse esset æquinoctiali tractui, quo septem climatum unumquodq; uarietur horæ dimidiatæ spatio. Nos tamẽ uniuersum tractum ab æquinoctiali linea usq; ad quartã, primæ plagæ attribuemus.

Libri decimiquarti de rebus cœlestibus finis.

IOAN.

IOAN. IOVIANI PONTANI
DE LVNA LIBER AD AEGIDIVM EREMITAM.

PROOEMIVM.

ACademia Salernitana quamdiu floruit, Aegidi Eremita, rerũ naturalium, eiusq; disciplinæ, quæ φυσικὴ Græcè dicitur, ita quidem tutata est partes, ut Latinæ quoque orationis curam minime abiecisse uideatur, multiq; ex ea schola medicas res satis etiam ornate literarum tradiderint monimentis, tum prosa oratione, tum carmine. Appareatq; magis illis bona defuisse tempora, quàm suis ipsos defuisse temporibus. Et profecto pars ea Campaniæ, in qua Neapolis sita est, maritima item Lucaniæ ora, Brutiæq; ac Calabriæ cum insula Sicilia ita quidem cognitioni rerum incubuere, ut Philosophia illic initio nata putaretur, atq; apud eiusdẽ gentis homines educata & culta. Quod & Eleates, & Locrenses, Tarentinæq; scholæ, Siculusq; maxime Empedocles docent, Empedocleaq; dogmata clarum fecere. Nam si Homeri de Sirenibus ad Vlyssem dicta recte accipiantur, cum tenere se profiterentur illæ cuncta quæ alma tellus, eademq; multigenia pareret, educaretq;, quid hæc aliud dicta magis innuunt, quàm rerũ quæ in terra gignuntur fiuntq; cognitionem ac scientiam? quæ Physicorum quidem est propria. Quid? quòd eadem quoq; cognitio perdurauit, percrebruitq;, ut pleræq; artes bonæ, Romanorum temporibus ad auos usq; nostros summa cum celebritate & gloria, cõtinuatis etiam eloquentiæ studijs, ut Virgilius Neapolim non temere florere his ipsis dixerit. Vltima igitur Salernitana studia & philosophandi, & Latinè quidem philosophandi laudem amisere. Non tamen ut aut Salernitanis, aut Neapolitanis meis bona hodie quoque mens non adsit uoluntasq; illa, quæ senserint, ea cũ ornatu & copia disserendi. Quam ad rem nos quoque pro uirili excitare non desinimus, atq; adhortari ciues nostros, si tamẽ per Gallorum insultationes licuerit quod intendimus assequi, dum pacatissima olim regio, & bonis artibus dedita, illorum nunc armis afflicta ac prostrata iacet, languentq; hominum ingenia, tantumq; à studijs ijs deterrentur humanitatis ac naturæ, quantum Galli ipsi ac Germani excitantur ad prædam, expergiscunturq; ad cædes ac latrocinia. Tulit olim Pythagoras Samius laudem hanc secum, quòd oram illam Italiæ docuisset, quæ mihi quidem non minus ab ingeniorum excellentia & flore Magna quondam uidetur Græcia appellata, quàm à frequentia maximarum urbium ac populorum, excultissimisq; diuitijs: cum tamẽ studia præ-

clarissimarum artium pluribus etiam ante Pythagoram seculis hic floruissent. Itaq; fama hæc nõ magis uera fuit, quàm Numam Romanorum regem Pythagoræ eiusdem auditorem fuisse, quippe qui Metaponti docuerit regnante Seruio Tullo, qui fuit à Numa ipso Romanorum rex quintus. Nec uero hanc nos laudem Pythagoræ inuidisse uideri uolumus. Et dum naturali disciplinæ, dicendiq; facultati consulimus, uetustissimi philosophi, eiusdemq; optimi uiri nomini ut detrahamus, absit ab ingenio institutisq; quamlongissime nostris. Docuerit itaq; uir Samius, & bonus & doctus uir, Italiam primus, institueritq; nostrateis homines non ad disciplinas modò, uerum ad religionẽ ac dei cultum, fueritq; auditor eius Pompilius rex, dum nos ab insita moderatione, prosecutioneq;, uel admiratione potius maximorum ingeniorum minime recedamus. Nec tamen Salernitano illo instituto desinamus aut eloquentiæ physicas res adiungere, aut rebus ipsis naturæ explicandis ornamentum & comptum. Ne te igitur pigeat cœlesteis inter cogitationes tuas, studiaq; diuinarũ rerum, Christianæq; religionis confirmandæ atque illustrandæ, nostratia hæc legere, quæ sunt de Luna, corporisq; eius maculis, quibus legendis, quòd pleraq; physicorum quorundam aduersentur opinioni, satis scio te magis admiraturum esse inquisitionem de ea re nostram, quàm arbitraturum nos uel liuore aliquo, uel maledicendi studio incitationeq; ad hæc ipsa tractum, quippe qui ueritatis indagandæ gratia moueamur, non odio, minime uero aut inuidia impulsi, aut insectandi cupiditate, aliorum'ue gloriæ detrahendi.

VNam Aristoteles minorem esse Solem ait, secundumq; ab illo locum obtinere, atque autoritatem tum caloris, tum lucis. Cumq; calor, et Solaris quidẽ calor, generationis prima sit atque appositissima causa, nimirum Luna secundo illi succedet in loco, quando minor ea Sol à maximo rerum naturæ indagatore iudicatur. Itaque nec me ipsum puduerit uicariam esse eam Solis dicere, & in calfaciendo genitalem ad operam & illuminandis nocturnis tenebris, luccq; terris subministranda. Ipsam tamen suapte natura opacam esse docent menstrui eius discursus, illuminationisq; quotidiana uarietas: quippe quæ pro recessu aut accessu ad Solem suo, nunc corniculata appareat, nunc dimidia: modò autem tumentior, modò perquam plena: hæq; uarietates formæ bis illi accidant singulis mensibus, bis etiam contingat, nullam uideri, paulò ante quàm Soli congreditur: & postquam ab illius coitione digressa, nouam cursus auspicatur rationem. Itaq; ueteres Græciæ poëtæ non ab re finxerunt sub Apollinis ac Dianæ nomine, fratris eos inter se ac sororis uinculo iungi. Quòd igitur suapte natura opaca sit, Solaribusq;

à radijs

à radijs pro interiecta intercapedine illustretur. Lunã plerique Latinorum dictam uolũt, tanquam luce lucentem aliena, cum lumine cassa sit proprio. Cui opinioni etsi assentiendum uidetur propter scriptorum autoritatem ac temporum, tamen quòd ea fortasse ambitiosior est, nobis magis placet, nocturna ab illuminatione Lucenam initio uocitatam, pòst uero subtracta syllaba, quod cõpluribus in dictionibus usuuenit, pro Lucena Lunã in ore hominum percrebuisse, nomenq; ipsum integrum siue Iunoni siue Dianæ, una tantum commutata litera permansisse. Lucere tamen eam dimidiam ubique ratio ipsa docet. Semper enim dimidium corporis eius Solari expositum esse illustrationi ita constat, ut ex integris dimidijs, altero semper luceat, qua in Solẽ prospectat: altero, qua uidelicet parte illi aduersatur, opacet. Nam corniculatam cum intuemur inferiore quidem à parte, tunc uero à superiore pertumescit, ut corniculatio illa inferior superiori coniuncta tumori dimidiationem integram Lunaris corporis impleat. è contrario cum inferius intumescit, superius insinuat cornua. Cumq; mortalibus lucet dimidiata, quæ tamen quarta pars eius pro obtutu nostro est, altera quidem pars, quæ integram dimidiationem cõstituit, lucet immortalibus: & cum nobis nulla quidem cernitur, illis existit plena, hoc est ex dimidio toto superiori à parte illuminatur: cumq; illis nulla, nobis prorsus est plena. Quo fit, ut uarietas illa figurarum è discursu eius existat ad oppositam nunc Soli regionem, nunc rursus ab opposita regione ad Solis cõgressum. Non desunt tamẽ, qui asseuerent Lunã ipsam ubiq; lucescere dimidia plus corporis sui parte, quòd ea natura sit corporũ illuminantium, cum longè maiora atq; corpulentiora sint: quæ uero illuminantur, minora. Quod nos ipsi minime quidem inficiamur, sed aliam potius sequendam in ijs esse rationem ducimus. Quam tamen antequam explicamus.

Reliqua desiderantur.

P. SVMMONTIVS LECTORI.

Opus hoc de Luna in Pontani scriptis ita ut uides, mancum inuenimus, cuius reliquum, ut alia etiam nõnulla, post autoris obitum amissum est hæredum incuria. Nec & his profecto quæ nunc habemus, eadem non incuria obfuisset, nisi nos idipsum timentes, periculo statim occurrissemus, ereptis q; tanquam è naufragio archetypis, salua per nos res fuisset. Quare discant præcauere sibi quicunq; literis aliquid mandant, nec se temere, si sapiunt, posteritatis committant negligentiæ. Vale.

EPISTOLAM HANC IVVENIS OLIM Pontanus super Herodoto scripsit, per Laurentium Vallensem in Latinum conuersa.

IOVIANVS PONTANVS PETRO SALVATORI VALLAE, ET IOANNI FERRARIO S.

TSi uerecundia mea uix dignum esse arbitror, ut alieno labori meum nomen inscribam, tamen Petro Saluatori Vallæ, & Ioanni Ferrario aliquid à Iouiano postulantibus, difficile dictu esset, non concedere. Efflagitastis enim, ut quoniam Halicarnassei Herodoti historijs mirum in modum delectaremini, quas nuper Laurentius Vallensis in Latinum conuertisset, sed morte præuentus, incepto operi ultimam nequiuerit manum imponere, id breui saltem testarer epistola, ne tantus labor à quo susceptus fuerit, id posteris esset incognitum. Feci itaq; non inuitus, ut rogatu uestro eruditissimi hominis famæ consulerem, quem & uiuum amaui, & mortuum etiam lachrymis sum prosecutus. Huius autem suscepti operis ratio hæc fuit, quòd cũ ille Neapolim se aliquando contulisset, salutandi regis Alphonsi gratia, cui multos ante annos esset cognitus, & de rebus Persarum ac Græcorum multus inter eos sermo esset exortus, rogatus est à studiosissimo principe, ut Herodotum, quem ea diligentissime complexum esse sciret, sibi Latinum redderet. Quod cũ ille Regi de se benemerito, ac honesta præsertim petẽti non denegasset, ne operam suam, ut erat pollicitus, omnino præstaret, immatura mors effecit. Quo mortuo Rex libros eos, ut erant, Romam sibi deferendos curauit, & in bibliotheca sua diligenter asseruari iussit. De hac autem tota conuersione, quod meum sit iudicium, nouistis. Mallem enim unumquenq; sua, quàm aliena ad nos afferre. Equidem & Ciceronem existimo, si uiueret, grauato id animo esse laturum, si quis Oratorem suum Græcè loqui faceret, & Demosthenem stomachaturum, si quæ ipse Atticè scripsisset, alia quispiam lingua eloqui uellet. Quòd autem ad Herodotum ipsum attinet, sanè id est, ut existimem tanti uiri ingenium non parũ omnes admirari debere, qui res tam uarias, ac tanta diligentia conquisitas, ea suauitate artificioq; explicauerit, ut nihil omnino sit, quod eius laudibus recte detrahi possit, nisi forte id aliquis calumniari uelit, quòd nõnulla apud eum ita legantur, ut ficta quàm facta potius esse uideantur: quæ culpa non magis scriptoris, quàm temporum illorum est existimanda, quam ego uel potiꝰi-

potißimam reor eſſe cauſam, cur nouem ille Muſarum nominibus libros ſuos inſcripſerit, quaſi ipſa operis inſcriptione apud poſteros id teſtatum relinquere cuperet. Nam & temporibus non omnino repugnari poteſt, & Muſis aliquanto etiam liberius, ut ſcitis, loqui conceſſum eſt. Sed de hoc licet alij quoque ſuum afferant iudicium, nihil enim obſiſto. Satis feci, ut opinor, cupiditati ueſtræ: quòd ſi breuior fortaſſe ſum, quàm erat ueſtrum utriuſque auiditas, id occupationibus meis attribuatis. Ad hæc & Laurentij noſtri, & Herodoti ipſius laudes maiores multo ſunt, quàm ut eas breuis epiſtola complectatur. Reliquum eſt, ut uos ad legendas hiſtorias adhorter, ex quibus ſi animi quæratur uoluptas, non eſt unde maior percipi poſſit: ſi uitæ commoditas, haud fermè inuenietur, ubi plura meliora; exempla reperiantur. Valete, Neapoli, Calendis Ianuarijs. An.

M. CCCC. LX.

PONTANI EPISTOLA, QVA DE VETE-rum libris iudicat, per Actium Syncerum inuentis. Hanc ne sine dolore legas, ultimam lector scias, post innumerabiles alias, quas tum publicis, tum priuatis de rebus, immortalitate dignus uir ille olim diuinitus scripserat.


PONTANVS SYNCERO ANIMI FIRMITATEM D.

QVæ ad Pudericum scripsisti, ea me mirificum in modum delecta runt. Sunt enim plena pietatis tuæ erga uetustatem ac diligentiæ. Quocirca uel auentißime expecto uidere Ouidianos illos pi sciculos in Euxino lusitantes, Mæotideq; in palude. Quòd uerò ad uenationem attinet, uisus est mihi uates ille lepidus, numerosus, & cultus. deq; eo, si recte memini, fit ab Appollinare mentio in hendecasyllabis. Rutiliani illi uersiculi enodes sunt & nitidi: cultus uero ipse peregrinus potius quàm urbanus, ne dicam arcessitus. Sed de his omnibus cuius erit iudicium rectius aut probatius quàm tuum? Ego, ut dixi, mirifice expecto Ouidianos illos ἐλωπας, nobis incognitos, præsertim sub Quadragesimale ieiunium. Tu uale, & in isto uoluntario exilio, seu potius peregrinatione dignam nobilitate tua fortitudinem retine.

Neapoli Idibus Februarijs. M. CCCCC. III.

ERRATA.

Pag. 41. uer. 26. tantum. 51. 18. cadentis. 112. 13. affectus. 121. calefactione. 166. 33. uelint res. 217. 26. ac. 259. 34. uero. 274. 25. Noni. 281. 6. matutinæ. 295. 9. pars.





Sequit̃ hymnus de tñ
tate ibꝰ lectonibꝰ ad.iiii.
psalti ñnũ:psalteriq̃ in ad
uentu/ & a pascha in tpe pasce
tum bꝰ ab pascha & totam
diem vsq̃ ad nonam. Et
qui tantꝰ hymnus.